Retorica

MARCI ANTONII Maioragij, in Oratorem M. T. Ciceronis ad M. Brutum, Commentarius:

Nuper adeò in eloquentiæ studiosorum gratiam conscriptus, nuncq; primùm in lucem editus.

AD CLARISSIMVM VIRVM, D. IOANNEM Ambrosium Cauenagum, Protophysicum, & Mediolanensis atq; Ticinensis Gymnasij præfectum.

Accessit locuples rerum & uerborum toto opere memorabilium Index.



Cum gratia & priuilegio Imperiali ad quinquennium.

BASILEAE, PER IOANNEM Oporinum.

EXCELLENTISSIMO AC CELEBERRIMO Protophyſico, & Mediolanenſis atque Ticinenſis Gymnaſij Præfecto, IOANNI AMBROSIO CAVENAGO, M. Antonius Maioragius S. P. D. 1

CVM tuum iſtud immortalitate dignum ingenium, iſtamq́ incredibilem ac penè diuinã artis Medicæ ſcientiam, qua non tantum eos qui noſtra tempeſtate uiuunt, præſtantes medicos, ſed etiam ueteres illos omnium ſermone celebratos antecedis, ſępe mecum diligenter conſidero, Deum immortalem laudare, mihi gaudere, ciuibus noſtris gratulari cogor, quòd te talem nobis habere contigerit. Tu enim iampridem in hac ciuitate, cùm tua præſtanti, mirificaq́ medendi ſcientia, tum eximia quadam ac ſingulari probitate, tam prudenter humaniterq́ geſsiſti, ut quamuis te principes omnes ſemper expetiuerint, atq; unum præ cæteris admirati fuerint: tamen tu ciues etiam & mediocres & infimos, quantum facultas tua tulit, ſemper curare uolueris. Itaque pariter omnes ſummi, mediocres, infimi te obſeruant, te ſuſpiciunt, te cupiunt eſſe (ſi fieri poſſet) immortalē. quod quidem uniuerſæ ciuitatis noſtræ deſiderium, nuper in eo morbo quo grauiſsimè laboraſti, declaratū eſt. Nemo enim in tam frequenti populo fuit, quem non inualetudo tua maiorem in modum perturbarit. Omnes erant de tua ſalute ſoliciti: omnes immortali Deo preces fundebant, uota nuncupabant, ut morbum illum quàm primùm depelleres, & priſtinam ualetudinem recuperares. Seruauit igitur te nobis Deus Opt. Max. incolumem: & (ut ſpero) multos etiam poſthac annos conſeruabit. neq; enim tam acerbum uulnus infligere ciuitati noſtræ, neq; tantum detrimentum importare uoluit, ut te nobis eriperet: qui uirtutibus omnibus inſtructus & cumulatus es. Quis enim ciuis te patriæ amãtior? quis fide, religione, ſanctitate præſtantior? Illud enim Anaxagoræ ſapientiſsimi philoſophi dictum, altius inſediſſe tibi in mente uidetur, qui frequentiſsime dicere conſueuerat, non alia de cauſa natos eſſe homines, niſi ut cœlum intuerentur, & iuſtis actionibus Deo quàm ſimillimos ſe præſtare contenderent. His autem tot ac tantis uirtutibus tuis, illam etiam rariſsimam & laudatiſsimam adiunxiſti: quòd, cum iampridem & Mediolanenſi & Ticinenſi Gymnaſio præfectus ſis, uniuerſos ingenuarum artium cultores ſic amplecteris, & foues, ut & præmijs, & honoribus quàm maximis afficias. Nam, ut de alijs nihil dicam hoc tempore, me certè ab initio

tam comiter excepisti, tēta semper humanitate prosecutus es, tot beneficijs affecisti, ut non tantum quæ possum, me tibi debere, sed etiam quæ non possum, putem. Quamobrem ingratissimus sim, nisi quicquid industria, studio, diligentia ualeo, totum id ad tuam in me liberalitatem, beneficētiam que celebrandam potissimū conferam. hoc enim mihi maximè consentaneū esse uidetur, ut, quoniam tu studiorum meorum patronus semper extitisti, tibi etiam, si quid ab eis, quod aliqua laude dignum sit, fortè prouenerit, iure optimo debeatur. Itaque cum nuper in Oratorem Ciceronis ad Brutum, quem librum hoc anno publicè sum interpretatus, fusiorem & enodatiorem explanationem absoluissem, eam in manus hominum sub tuo nomine apparere uolui, ut aliqua ex parte saltē tuis innumerabilibus in me beneficijs respondere uidear. Quem laborem nostrum tibi dicatum, eruditissime atq; optime CAVENAGE, quo me ipsum uultu soles, hoc est, hilari ac benigno ut accipias, te etiā atque etiam rogo. Cogites que, cum hoc maximum sit eorum, quæ magno cum labore tenuitas ingenij mei præstare potest, pro immortalibus in me beneficijs tuis, me, si per exiguas uires meas licuisset, maiora etiam libentissimè fuisse redditurum.

Vale.

M. ANTONII MAIORAGII PRAEFATIO IN ORATOREM CICEronis ad M. Brutum.

CVM multa sint, Auditores, in hac tam illustri mundi machina, & tam immensa rerū uniuersitate, totiusq; cœli ambitu, non mediocri digna admiratione: tū in primis humani animi natura mihi diligentius omnia perpēdenti talis esse uidetur, ut eā præter cætera quiuis summè admirari atq; suspicere debeat. Ut enim hoc loco prætermittam, ex tot animantium generibus solum hominem rationis esse participem, per quam (ut ait Cicero) consequentia cernat, principia & causas rerum uideat, earumq; progressus & quasi antecessiones non ignoret, similitudines comparet, rebusq; præsentibus adiungat atq; annectat futuras: facile totius uitæ cursum uideat, ad eamq; degendam præparet res necessarias, ut nihil dicam de tam multiplici scientiarum uarietate, quæ uel ad orationem aptè, distinctè, politeq; conformandam, uel ad uitam & mores honestè atq; liberaliter instituendos, uel deniq; ad rerum occultarum & ab ipsa natura inuolutarum cognitionem pertinet, in quibus tanquam in campo quodam Martio sese exercens optimi cuiusq; mens & cogitatio, mirum dictu quantopere illustretur, & excellat. Ut tot & tam uaria instrumentorum, operum,

rum, artium genera taceam, quæ singula si quis paulo accuratius considerare uoluerit, non dubium est, quin obstupescat. ut hæc (inquam) & cætera penè infinita, quæ magnam animaduertenti facile possint admirationem cócitare, hoc tempore non commemorem: nihil enim est arte aut manu factum, quod animus noster excogitando non inueneris. Quid admirabilius dici, aut cogitari potest, quàm quod ea uis est animi nostri, nullis ut certis finibus aut terminis claudi, circumscribi ue possit? sed omnem infinitatem peregrinetur, & nullo unquam certo tempore aut loco conquiescat? Unde eius origo meritò diuina creditur, quia motu cietur interiore & suo, & uiget, & sentit, & meminit, & præuidet in infinitum. Nam si longissimè uoluerimus respicere spacium præteriti temporis, & hominum memoriam recordari ultimam, tamen ultrà etiam animus progredietur, atq; illa secula tacitus ipse secum meditabitur, quibus

Unus erat toto naturæ uultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigestaq; moles. & *quibus*
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan,
Nec noua crescendo reparabat cornua Phœbe.

Et deniq; quibus nihil adhuc esset conditum, aut creatum, cum id quod beatum est et æternum sua, tantum fœlicitate contentum, sine ulla societate uel hominum uel deorum uigebat, in quo tamen nullum principium cogitando reperiet. Quòd si contrà futuri temporis finem aliquem quærere cogitatione tentauerimus, id nullo modo patietur animus noster, qui semper ultrà tendere paratus est. Ut enim uera sit Stoicorum sententia, quam etiam Theologi nostri sequuntur, fore aliquando ut totus hic mundus ardore deflagret: tamen etiã ultra deflagratione͂ illam animus cogitationem suam extendit, & sempiternis seculorum ætatibus in cælo summa beatitudine se fruiturum confidit. Quid, quòd etiam supra rotundam illam cæli conuersionem nostra mens euolat? & immensum quoddam ibi spacium sibi confingit, in quo nullus omnino sit finis, aut terminus? Quid, quòd uniuersas mundi partes momento temporis peragrare facillimè potest? Nulla est enim (ait Cicero) tanta celeritas, quæ possit cum animi celeritate contendere. Ut longè præstatior sit animus noster, quàm uel Luna, uel Sol, uel stellæ, uel deniq; cælũ uniuersum, quod non nisi certo tempore cursum suum conficere possit: cum interim animus ad totius cælestis spacij peragrationem tempore non indigeat, sed eam momento conficiat. Huc accedit illa animi maximè celebranda nobilitas, quòd rerum omnium imagines atq; formas in sese continet: ut in hac re menti illi diuinæ, quem nostri Dei filium appellant, quàm simillimus esse uideatur. Sicuti enim in illa sempiterna mente, non aliter atq; in amœnissimo quodam horto perfectissimæ rerum omnium ideæ consitæ sunt, unde uim habent uniuersa quæ in cælo, quæ in mari, quæ in terra gignuntur: ita in animo nostro sunt impressæ atq; insignitæ ab ipsa natura, rerum ferè omnium notiones, sine quibus nihil omnino cognoscere, nihil intelligere possumus. Verùm ita deorum prouidentia conformati sumus, ut nihil sit ex omnib. rebus quod nobis animus noster non facile repræsentare possit. Quoties enim uolumus uel amici nostri speciem, uel equi, uel canis, uel uillæ, uel ciuitatis,

uel cuiuslibet deniq; rei animo cernimus. imò uerò noua etiã, & quæ nunquã in rerum natura fuerunt, fingere cogitatione possumus, ut mõtes aureos, adamantinam ciuitatem, uolantes hominum legiones. Quid illud, quanti tandem faciendum est, quòd rebus omnibus quandam quasi perfectionem addit animus noster? Neq; enim res ulla tam pulchra, uel tam absoluta esse potest, qua nõ pulchriorem aut absolutiorem cogitare possimus. Nam rerũ omnium rationes, seu definitiones (quemadmodum Platonici censuerunt) animi nostri propriæ sunt. quoniam generalia tantum, quæ non sensibus subiecta sunt, sed animo comprehenduntur, definiri solent: itaq; nihil ut est in rerum natura, sed ut est in animo, perfectè definitur. Nihil enim, ait Cicero, simplici in genere ex omni parte perfectum natura expoliuit: in animo uerò perfecta est cuiusq; rei ratio. Quamobrem animus noster, cuius (ut antea dixi) uis est penè infinita, sibi eas rerum definitiones format, quæ omnino in se perfectæ sint, sed in nullo prorsus indiuiduo esse possint. Ut ecce philosophum eum esse dicimus, qui omnium diuinarum atq; humanarum rerum cognitionem habeat. at certè nullus unquam post hominum memoriam inuentus fuit, qui res omnes diuinas atq; humanas cognosceret. itaq; nullus esset hac ratione philosophus. Uerùm quia nemo perfectus esse potest: quanto quis plura didicerit atq; cognouerit, tanto philosophi nomine dignior esse iudicabitur. quod idem fit etiam in reliquis artibus & scientijs omnibus, ut quo quis ad perfectam illam rationem propius accedit, tanto præstantior artifex habeatur. Quod cũ optimè, sicuti cætera omnia, Cicero noster intellexisset, hoc in opere quod interpretaturi sumus, perfecti oratoris formam, non quæ reuera fuerit unquam, aut sit, aut futura sit in aliquo homine, sed quam ipse magnus orator animo comprehendebat, conatus est exprimere. rem sanè difficilem & arduam, ut idem ipse non uno in loco testatur: sed quam tamen adeò scienter & artificiose confecit, ut non melius Zeusis Helenam, aut Praxiteles Venerẽ expresserit. Quicquid enim habuit facultatis in dicendo, quicquid artis, quicquid eloquentiæ, id totum in hoc opus contulit, ut non tantũ perfecti oratoris effigiem in opere nobis expressam relinqueret, sed ipsum etiam opus ad illam perfectæ eloquentiæ formam, quàm proximè fieri posset, accederet. Itaq; non solum eam utilitatem ex hoc opere studiosus atq; diligens lector reportabit, ut qualis esse debeat perfectus orator, intelligat: sed illam etiam longè maiorem, ut ipse doctè & politè planeq; oratoriè dicere atq; scribere possit. Non enim aliud opus facile reperitur, in quo uel maior uariarum disciplinarum eruditio, uel grauiores sententiæ, uel splendidiora uerba appareãt. Ad hæc accedit mira quædam orationis iucunditas atq; suauitas, quæ facile non omnino desidem aut ignauum allicere lectorem possit. Atq; ut facilius unusquisq; uestrûm in hanc summæ eloquentiæ uiam pleno gradu possit ingredi, totius operis argumentûm paucis uerbis explicabo. *Quo tẽpore Cæsar, deuicto iam in Pharsalia Pompeio, bellum in Africa gerebat, & M. Brutum Togatæ Galliæ præfecerat, scripsit ad Ciceronem Brutus, quoniam ei maximè familiaris erat, et ab eo plurimum amabatur, ut sibi scriptis explicaret, quam esse optimam speciem, & quasi figuram dicendi censeret. Quod licet admodum difficile atq; arduum Ciceroni uideretur, quippe*

qui

qui quod animo cernebat, neq; uerbis satis exprimere, neq; scriptis mandare se posse consideret: tamen inductus amore Bruti, quem unicè diligebat, opus hoc & doctissimum & elegantissimum conscripsit, in quo singulas eloquentiæ partes, & dicendi genera ita studiose persequitur, ut nihil enucleatius fieri possit. Perfectè uerò eloquentem eum appellari posse ait, qui & humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperatè potest dicere: & qui mirabilius & magnificentius augere potest, atq; ornare quæ uult, omnesq; omnium rerum quæ ad dicendum pertinent, fontes animo ac memoria continet. Atq; hæc quidē ea est perfecti oratoris species, quem hoc in opere Cicero describit. Et quamuis post homines natos nullus unquam talis extiterit, neq; postea futurus sit, tamen in animo nostro insidet hæc eximia species eloquentiæ: cuius, ut cuiusq; est ingenium, alius aliam partem arripit, nemo autem unus totam assequitur. Nam (ut ab Heroicis usq; temporibus exordiar, & breuiter eorum aliquos qui in eloquentia floruerunt, enumerem) tres potissimum ab Homero, poetarum principe, uiros tanquam eloquentes inuenio celebratos fuisse, Menelaum, Nestorem, Ulyssem: quorum tamen nulli perfectam tribuit eloquentiam. nam alium in alia re floruisse ostendit. Subtilem enim & breuem, cum animi iucunditate, & propriam, & carentem superuacaneis eloquentiam, Menelao dedit. sic enim de illo:

παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος.

Nestori temperatum orationis genus, & iucunditatem eam attribuit, qua nulla fingi maior potest. nam ab eius ore melle dulciorem fluere dixit orationem:

τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

In Ulysse sublime dicendi genus, & summam uim esse uoluit. nam eius orationem similem niuibus hybernis esse dixit, hoc est (ut Plinius interpretatur) crebram, assiduam, & largam, postremò diuinam & cœlestem:

καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν.

Subsequenti uerò tempore tradunt Periclem Atheniensium principem in sublimi dicendi genere longe prioribus omnibus præstitisse, adeo ut etiam si quando inuitis Atheniensibus uerba facere incipere, tamen eius omnibus mirè grata esset oratio. de quo sic Eupolis scriptū reliquit: πρός δέ γ᾽ αὖ τούτῳ τάχ᾽ εἰ πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσιν, οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις. *Aristophanes uerò uim eiusdem Periclis, fulminibus comparat:*

ἤστραπτ᾽, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.

Iam uerò maximè florente Græcia, cum iam eloquentia summū ad culmē peruenisse uideretur, nemo tamē inuentus est, qui unus omnia præstare posset. Hinc est quod dispertitæ fuerint oratorū laudes, & alius alia in re cōmendatus. Nam grauitas et uis Demosthenis celebratur, iucunditas Isocratis, subtilitas Lysiæ, sonitus Aeschinis, acumen Hyperidis, copia Platonis. Apud Rom. etiam à Quintiliano celebratam inuenio uim Cæsaris, indolē Cælij, subtilitatem Calidij, grauitatē Bruti, acumen Sulpitij, acerbitatē Cassij, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalæ, sanctitatem Calui, copiā Senecæ, uires Africani, maturitatē Afri, iucunditatem Crispi, sonum Thracali, elegantiā Secundi. Uerùm cum nemo possit (ut iā antè diximus) uirtutes omnes oratorias assequi, tanto laudabilior quisq; est, quāto plures assecutus fuerit. Hinc in lib. de Claris Orat. à Cicerone propè iam perfectus orator

Demosthenes appellatur, quod nihil acutè inueniri potuerit in eis causis quas scripsit, nihil subdole, nihil uersutè, quod ille nō uiderit: nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleatè, quo fieri possit aliquid limatius: nihil contrà grande, nihil maturum, nihil ornatū uel uerborū grauitate, uel sententiarum, quo quicq̃ esset elatius. Sed tamen etiā huic ad perfectā illam oratoris speciem multa defuerunt. Nam & ab Aeschine exagitatus fuit ut putidus, & in hoc opere Cicero ita de eo loquitur: Usq; eò difficiles ac morosi sumus, ut nobis nō satisfaciat ipse Demosthenes: qui quanq̃ unus eminet inter oēs in omni genere dicēdi, tamen nō semper implet aures meas, ita sunt auidæ & capaces, & semper aliquid immensum infinitumq̃ desiderant. At Cicero noster, ut ait Quintilianus, cum se totū ad imitationē Græcorum contulisset, effinxit uim Demosthenis, copiā Platonis, iucunditatē Isocratis, ut dono quodā Prouidētiæ genitus esse uideatur, in quo totas uires suas Eloquētia experiretur. Quod licet ita esse mihi persuasum sit, tamen etiam hunc suorū hominum temporū incessere audebāt ut tumidiorē, et Asianum, & redundantē, & in repetitionibus nimiū, & in salibus aliquando frigidū, & in compositione fractum, exultantē, ac penè uiro molliorē. Unde uerissimum illud M. Antonij dictum uidetur, uix Deo cōcessum esse, ut omnes dicendi uirtutes & perfectā eloquentiam habeat. Sed tamen ea est huius summæ uirtutis excellentia, ut quæuis etiā minima pars eloquentiæ plurimū prodesse possit. Itaq; pro se quisq; literarū amantissimus eniti debet, ut hoc bono, quo nullū optabilius, nullum præstantius neq; datum est mortaliū generi deorū concessu atq; munere, neq; dabitur, quàm ornatissimus esse uideatur. Quod ita facillimè faciet, si Ciceronis opera quidē omnia, sed ea præcipuè, quibus Rhetorū mysteria patefecit, accuratissimè, studiosissimeq; perlegerit. Quo in numero librū hunc, & primo quidē in loco, ponendū censeo: qui licet aliquā in se difficultatem atq; obscuritatē habeat, tamen hoc utilitate maxima quæ ex eius intelligētia nascitur, cōpensari potest. Mitto enim hoc loco Latinæ orationis splendorē, qui maximè lucet hoc in opere, uerborū & sententiarū ornamenta, plurima cuiusq; generis dicēdi lumina, reconditā multarū rerū eruditionem: quid utilius esse potest ei qui Latinè aliquid uel scribere uel pronūciare uelit, quàm scire quomodo quicq; dicendū sit? quo dicēdi genere quauis in causa sit utēdum? quæ sit forma optimi, quod χαρακτὴρ Græcè dicitur? quid porrò præstabilius, quàm numeros & quasi pedes orationis intelligere? quod unū maximè solet imperitū oratorem à perito distinguere. Atqui hæc omnia tam ingeniosè, tamq; acutè traduntur hoc in opere, ut qui ea rectè percipere potest, nullum alium auctorem desideret. Neq; quenquam uestrûm operis obscuritas perterrefaciat. Nam ita nos interpretatione nostra singula illustrare statuimus, ut etiam artis oratoriæ penitus rudes, si diligenter animum aduertere uoluerint, plurimum se arbitrentur adeptos, & ad dicendum, & ad intelligendum.

FINIS.

M. ANTONII MAIORAGII IN ORATOREM M. TVLLII CICERONIS, AD M. Brutum, Commentarius.

CICERO de ratione dicendi multa conſcripſit o-
pera: quorum aliqua ſponte ſua compoſuit, ut duos
de Inuentione libros, cum adhuc eſſet admodum a-
doleſcens (nam quatuor illi ad Herennium, qui ſub
Ciceronis nomine iampridem legunť, non Cicero-
nis, ſed Cornificij ſunt, q̃d nos alias multis coniectu
ris & argumentis probauimus) Partitiones oratori-
as ad Marcum filium & Græcè & Latinè ſcripſit: ali
qua uerò amicorum rogatu conſcribere aggreſſus
eſt, ut tres libros De oratore ad Quintum fratrẽ, To
pica ad Trebatiũ, & hunc Oratorẽ ad M. Brutũ. Sed quæſtione mihi dignum
uidetur, cur nõ hoc opus De oratore, ſed Orator inſcribatur: cũ pręſertim tres
illi ad Quintum libri, in quibus penè eadẽ tractãtur, de Oratore inſcribantur.
Atq; illa quidẽ ſolutio facilis eſt, quę tamẽ mihi minimè ſatisfacit: hunc librum
nõ De oratore, ſed Oratorẽ inſcriptũ, ut ab illis tribus diſtinguereť, & ne qua
eſſet in titulo ambiguitas. Mihi lõgè potior ea ratio eſt, illos tres libros De ora
tore idcirco inſcriptos fuiſſe, quoniam ibi oratorem inſtituit, & quomodo fie-
ri poſsit oſtendit, ad eamq; rem præcepta tradit utiliſsima, ut nihil ſit in Rheto
rum doctrina, quod ibi non accuratè tractetur, ut inſcriptio ſit quaſi de orato-
re inſtituendo. Hoc autem in libro non inſtituit oratorem, ſed docet qualis eſ-
ſe debeat: & non diſcentem, ſed iam doctum & perfectum quærit. Non eſt igi
tur quæſtio, quomodo ſit inſtituendus orator: ſed quæ nam ſit perfecti orato-
ris ſpecies. Itaq; meritò liber hic non De oratore, ſed Orator inſcribitur. Vt
autem melius inſcriptionem hanc intelligamus, quærendum eſt quid ſit ora-
tor, & cui potiſſimum nomen hoc conueniat. M. Cato Cenſorius, ut Quinti- 12. Cap. 1.
lianus auctor eſt, oratorem ita definiebat: Orator eſt uir bonus, dicendi peri-
tus. Neq; enim improbus homo, licet magnam dicendi facultatem habeat, o-
rator appellari poteſt: quoniam (ut tertio de Oratore Craſſus atteſtatur) elo-
quentia eſt una de ſummis uirtutibus, quæ certè in ſceleſto homine eſſe non
poteſt. In Partitionibus uerò Cicero ſic eloquentiam definit: Nihil aliud eſt e-
loquentia, quàm copioſè loquens ſapientia: quo fit, ut qui ſapiens non eſt, is
eloquens dici non poſſit. Arceantur igitur ab oratorum collegio, praui atq; ſce
leſti homines, qui ſi dicendo ualeant, magna ſæpe incommoda, plurimasq; ca
lamitates in patriam ſuam inuehunt. Talis enim eſſe debet orator, qualem ui-
detur finxiſſe Virgilius, quem in ſeditione uulgi iam faces & ſaxa iaculantis,
moderatorem dedit:

Tum pietate grauem, ac meritis ſi fortè uirum quem
Conſpexère, ſilent, arrectisq; auribus aſtant.

Habemus igitur, ait Quintilianus, ante omnia uirum bonum: poſt hæc adie-
cit, Dicendi peritum:

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Quamuis autem nonnullis uitijs aliquis infectus fuerit, ſi in eo plurimæ uirtu
tes eluceant, non idcirco nomen amittet oratoris. Nam, ut ait Horatius, uitijs
nemo ſine naſcitur: optimus ille, Qui minimis urgetur. Tales fuerunt Demo-
ſthenes & Cicero. Quod ſi defuit his uiris (ait idem Quintilianus) ſumma uir- 12. Cap. 1.
tus, ſic quærentibus an oratores fuerint, reſpondebo, quomodo Stoici, ſi in-
terrogentur, an ſapiens Zeno, an Cleanthes, an Chryſippus? reſpondeant,
Magnos quidem illos, ac uenerabiles, non tamen id quod natura hominis

summum habet, consecutos. Sint igitur, secundum communem loquendi consuetudinē, perfecti Oratores, Demosthenes & Cicero: sed si propriè, & ad legem ipsam ueritatis loquendum erit, illis ad perfectionem multa deesse reperientur. Dubitari autem potest, quomodo à Grammatico, atq; à Philosopho, distinguendus sit Orator. nam Grammaticus, qui latinè literatus dicitur,
1. de Orat. Suetonio teste, penè infinitam uim & materiam (ut ait Cicero) scientia & cognitione comprehendit. Vnde sunt, qui Grammaticum à Grammatista distinguant, ut Latini literatum à literatore: & illum quidem absolutè, hūc mediocriter doctum existiment. quorum opinionem Orbilius etiam exemplis confirmat. Huc accedit, quòd ueteres Grammatici etiam Rhetoricam docebāt: atq; à multis de utraq; arte commentarios scriptos inuenio. Quinetiam quosdam è Grammaticis statim è ludo transisse in forum, atq; in numerum præstantissimorum patronorum receptos fuisse, legimus. Quid quòd ideo Critici dicebantur à ueteribus, quoniam sibi de omni genere scriptorum dijudicandi sumerent potestatem? Notissimum est, quantū Aristarchus, Didymus, Priscianus, plurimiq; alij Grammatici in omni doctrinarū genere præstiterint. Quinetiam extant adhuc doctissimi Ioannis Grammatici in multa Aristotelis opera commentarij. Vnde satis intelligi potest, Grammaticorū professionem omnium ingenuarum artium cognitionem sub se continere: neq; enim aliter optimos auctores & Græcos & Latinos rectè Grammaticus interpretari poterit, nisi erit omnium magnarum artium scientiam assecutus. Quid Philosophus? non'ne diuinarum atq; humanarum rerum scientiam profitetur? non'ne laudandarum artium omnium procreatrix & quasi parēs est Philosophia? non'ne Philosophi professione sua, omnia quæcunq; sunt, uel scientiæ peruestigatione, uel disserendi ratione comprehenderunt? Hæc eadem omnia profiteri uidetur Orator. Nam Crassus tertio De Oratore clamat, omnem prudentiæ doctrinæq; possessionem Oratoris esse propriam: & ueteres illi doctores auctoresq; dicendi, nullum genus disputationis à se alienum putabant. Ex quibus Elæus Hippias, cum Olympiam uenisset, maxima illa quinquēnali celebritate ludorum, gloriatus est, cuncta penè audiente Græcia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret. & Leontinus Gorgias apud Platonem, de omni re, quæcunq; in disceptationem quæstionemq; uocaretur, se copiosissimè dicturum esse profitetur. isq; princeps ex omnibus ausus est in conuentu poscere, qua de re quisq; uellet audire. Cui tantus honos habitus est à Græcia, soli ut ex omnibus, Delphis nō inaurata statua, sed aurea statueretur. Cum igitur & Grammatici, & Philosophi, & Oratores, omnia profiteri uideantur, quomodo quæso inter se distinguentur? aut qui fieri poterit, ut Orator à Grammatico, atq; à Philosopho dignoscatur? facile id quidē erit, si quis propositum, siue scopum cuiusq; consideret. Nam Grāmaticus id unum præ cæteris sibi proponit, ut emendatè pureq; loquatur & scribat: Orator uerò, ut aptè, distinctè, ornateq; dicat, & ad persuadendum accommodatè: Philosophus deniq; non tantum uerba, quantum res ipsas sibi considerandas esse statuit. Itaq; Grammaticus uerborum significationem, & cōsecutionem: Orator sermonis elegantiam, & compositionem: Philosophus rerum causas, & uitæ degendæ rationem quærit. Quo fit, ut Grammaticus excellens rerum omnium uocabula scire debeat, & de rebus omnibus emendatè loqui: omni uerò laude cumulatus Orator, omni de re proposita probabiliter et copiosè disputare: Philosophus, res omnes occultas atq; abditas intelligere, & sine ulla culpa uiuere. Quam distinctionem Tuscul. quæst. libro 2. agnouisse uidetur Cicero, ubi sic ait: Vt enim, si Grammaticum se professus quispiam barbarè loquatur, aut si absurdè canat is qui se uelit haberi Musicum, hoc turpior sit, quòd in eo ipso peccet, cuius profitetur scientiam: sic Philosophus in ratione uitæ peccās, hoc turpior, quòd in officio, cuius magister esse uult, labitur: artemq; uitæ professus,

fessus, delinquit in uita. Iam igitur Oratorē à Grammaticis & Philosophis distinctum habemus. Sed dubitari præterea potest, an idem sit Orator, Rhetor & Declamator: nam hæc tria uocabula uidentur idem significare. Siquidem Orator aliquando Rhetor dicitur, ut 2. de Finib. Cicero: Quasi uerò perpetua oratio Rhetorum solum, non etiam Philosophorum sit. & Iuuenalis, cum de Cicerone summo Oratore loqueretur,

Si fortuna uolet, fies de Rhetore Consul:
Si uolet hæc eadem, fies de Consule Rhetor.

Declamator autem dicitur, Rhetor, siue Orator, cum aut docēdi, aut exercendi sui gratia fictas in scholis causas agit. Sed tamen hæc ita distingui commodè solent, ut Rhetor sit is, qui artis oratoriæ præcepta uel docet, uel scribit: ut apud Græcos Hermogenes, apud Latinos Cornificius. Hoc in genere qui diligentissimi fuerunt, ab eloquentia longissimè, quod ait Quintilianus, abfuerunt, quoniam se præceptis illis cognitis, satis instructos ad eloquentiam arbitrantur. *8. in Proœm.* Declamator est, qui fictas agit causas: qui nisi aliquando in solem & puluerem ueniat, & in iudicijs, in concione, in senatu uersetur, nunquam inter oratores numerari poterit: qualis Porcius Latro fuisse dicitur. Orator denique is est, qui ueras agit causas: qualis fuit Hortensius, Cicero, Messala, Casellius Aulus, quem Horatius celebrat. Hoc igitur in opere Cicero nō de Rhetore, *in Arte poet.* aut Declamatore, sed de Oratore uerba facturus est. Hic autē M. Brutus, ad quem scribit Cicero, uir doctissimus, & maximè egregius fuit, natus ex Seruilia M. Catonis sorore, & C. Cæsare, ut multi existimant. nam Seruiliā ardentissimè Cæsar adamauit. Athenis optimarum artium studijs operam dedit, præcipueque Academicę Philosophię studuit: et in oratoria facultate Pammenem, uirum longè eloquentissimum Græciæ, audiuit, quemadmodum in Bruto Cicero ipse testatur. In bello ciuili partes Pompeianas secutus est: sed Pompeio deuicto, statim ad Cæsaris clementiam confugit: à quo non tantum ueniam impetrauit, sed etiam Galliæ Togatæ præfectus est. quo tempore scripsit hoc opus ad eum Cicero. Postea uerò, cum dominationem Cæsaris pati non posset, cum multis alijs senatoribus coniurauit, & Cæsarem ipsum in Senatu contrucidauit. Ferunt Cæsarē, cum in se irruentem Brutum uideret, exclamasse, καὶ σὺ τέκνον; Tandem post mortē Cęsaris, cum apud Philippos, eius exercitus ab Octauio & Antonio superatus fuisset, districto gladio incubuit. atque hunc finem habuit Bruti uita. Neque dubium est, quin uir disertissimus & prudentissimus fuerit: quod satis eius epistolæ declarāt, quas & ad Ciceronem, & ad Atticum scribit.

M. T. CICERONIS AD M. Brutum, Orator.

Vtrum difficilius aut maius esset, negare tibi sæpius idem roganti, an efficere id quod rogares, diu multūque Brute dubitaui.

Hoc exordium quatuor partibus constat: Propositione, Ratione, Rationis confirmatione, & Conclusione. Propositio dubitationem continet, & à comparatione ducitur. Ratio ibi incipit, Nā et negare ei. Rationis confirmatio ibi, Quid enim est maius. Conclusio ibi, Quod quoniam me sæpius rogas. Sed uideamus Propositionem, in qua duo facere conatur: primò, Brutum beneuolum, cum se negare nolle quod rogat, ostendit: deinde eundem attentum, cum magnam esse rem, quam ille rogat, ait. Comparatio est inter difficultatem negationis, & magnitudinē rei, quæ magnam animo dubitationem adfert. nam difficilis homo dicitur, qui non facile roganti obsequitur: ut Horatius, Et te sæpe uocanti Duram, difficilis mane. Sicuti cōtrà facilis, qui paratus est obsequi: & facilitas, uirtus, qua libenter multis gratificamur, quā in Pompeio magno-

pro L. Manil. pere commendat Cicero. Nollet igitur hoc loco difficilis Bruto uideri, negan do quod ab eo petebatur. Sed contrà rei magnitudo deterret eum ab obsequio, facitque ut diu multumque dubitet. hoc igitur est, quod Bruto proponit. Duos autem affectus continere in se uidetur hæc propositio, cupiditatem & timorem: qui animum ita transuersum rapiunt, ut eum uehementer dubitare faciant. Cupit enim obsequi: sed timet, ne possit efficere. Præterea continet excusationem, cur tardè uenerit ad scribendum, etiam si sæpius à Bruto rogatus fuisset. non enim distuli (inquit) ea de causa, quòd tuæ uoluntati morem gerere non cuperem: sed quia quod petebas, difficile atque magnum uidebatur.

Nam & negare ei quem unicè diligerē, cuique me charissimum esse sentirem, præsertim & iusta petenti, & præclara cupienti, durum admodum mihi uidebatur: & suscipere tantam rem, quantam non modò facultate consequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti, uix arbitrabar esse eius, qui uereretur reprehensionem doctorum atque prudentium.

Hæc est ratio propositionis, in qua dubitationis suæ causas explicat. Diuiditur autem hæc ratio in duas partes, prima pars à persona Bruti ducitur, secunda ab ipsa re. Primò igitur ait: Videbatur mihi durum & inhumanum, negare aliquid tibi Brute, cum te uehementer amem, & me abs te amari sentiam: præsertim cum id quod petis, iustum sit, & præclarum. Singula autem uerba magnam habent emphasim, & procedunt quasi per incrementum quoddam, ad conciliandam Bruti beneuolentiam. Quatuor enim causas adfert, quare Bruto gratificari debeat. Prima est, quoniam eum unicè diligit: durum est autem aliquid ijs negare, quos diligimus. Altera causa est, quod se Bruto charissimum esse sentit: nihil enim minus hominis est, quàm in amare non respondere. Tertia causa est, quia Brutus iusta petit, quæ negari non debent. Quarta et ultima, quòd præclara cupit, in quibus elaborare gloriosum est. Ponamus igitur ante oculos uirum aliquem egregium, quem unicè diligamus, cui nos charissimos esse sentiamus, qui à nobis iusta petat, & qui præclara cupiat: an non durum admodum uidebitur, ei negare? hæc est prima pars rationis. Altera, quæ magnam adfert dubitationem, hæc est: quòd res adeò magna sit, ut uix effici possit. Nam in deliberatione primò quæritur, an id de quo deliberatur, fieri possit: & quæ perdifficilia sunt (ut in Partitionibus docetur) perinde habenda sæpe sunt, ac si effici non possint. Qui autem res aggrediuntur uiribus suis impares, & id onus suscipiunt, quod sustinere non possunt, ij meritò à doctis & prudentibus hominibus reprehenduntur. hoc est, quod se uereri Cicero testatur. Charissimum habebat Brutus Ciceronem, propter doctrinam & sapientiam. nam inter charitatem & amorem Cicero in Partitionibus ponit hanc differentiam, ut charitas propriè ad deos, ad parentes, ad patriam, ad eos homines qui aut sapientia aut opibus excellunt, pertineat: amor autem, ad coniuges, liberos, fratres, & cæteros amicos referatur. cuius hæc sunt uerba: Nam cùm deorum, tum parentum patriæque cultus, eorumque hominum qui aut sapientia aut opibus excellunt, ad charitatem referri solet: coniuges autem, & liberi, & fratres, & alij quos usus familiaritasque coniunxit, quanquam etiam charitate ipsa, tamen amore maximè continentur. Iusta petenti.) Quoniam, ut ait Plautus, iniusta ab iustis im-
in Amphit. petrari non decet. Est autem quæstio, Vtrum iniusta petenti amico gratificari debeamus. Et Cicero quidē in Lælio, uidetur assentiri, ut amicorū causa nonnunquam à iustitia declinemus. cuius hæc sunt uerba: Vt etiam si qua fortuna acciderit, ut minus iustæ uoluntates amicorum adiuuandæ sint, in quibus eorum aut caput agatur, aut fama, declinandum sit de uia, modo ne summa turpitudo

pitudo ſequatur. Chilo Lacedæmonius, conſeruandi amici cauſa falſum con- *A. Gell. 1. ca. 3*
ſilium dedit: ſed idipſum tamen in fine quoq; uitæ, an iure poſſet reprehendi,
dubitauit. Pericles, cũ amicus quidã eum rogaret, ut pro re cauſaq; ſua peiera-
ret, ita reſpondit: Δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν. Theophraſtus ita
cenſuit, paruam turpitudinem uel infamiam ſubeundam eſſe, ſi ea re magna
utilitas amico quæri poteſt. Sed quoties amicus iuſta petit, modo nobis facul
tas detur, ei gratificari debemus. Hoc eſt, quod hoc loco Ciceronem mouet.

Et ſuſcipere tantam rem.) Stultum eſt enim id aggredi, quod perficere non
poſsis. Vnde rectè præcepit Horatius:

Sumite materiam ueſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & uerſate diu quid ferre recuſent,
Quid ualeant humeri.

Solent autem & oratores & poetæ amplificandæ
rei, de qua dicturi ſunt, gratia minuere uires ſuas, & ſe impares oneri ſuſtinen-
do dicere. Ita Cicero pro Roſc. Amer. Fide ſapientiaq; ueſtra fretus, plus o-
neris ſuſtuli, quàm ferre me poſſe intelligo. Sic Tibullus:

Te Meſſala canam, quanquam mea cognita uirtus
Terret, ut infirmæ ualeant ſubſiſtere uires.

Non modo facultate.) Multa ſunt quæ cogitatione complectimur, & ea ta
men facultate conſequi non poſſumus. Quoniam (ut ait Cicero) fieri poteſt, ut *1. Tuſcul.*
rectè quis ſentiat, & id quod ſentit politè eloqui non poſsit. Maximam autem
rem eſſe oportet, quam ne cogitatione quidem complecti poſsimus, cum li-
beræ ſint cogitationes noſtræ, & quæ uolunt, ſic intuentur, ut ea cernimus, *Pro Milon.*
quæ uidemus. Ergo ſuperlatione, quam ὑπερβολὴν Græci uocant, utitur hoc
loco Cicero. Doctorum atq; prudentium.) Qui meritò reprehendere poſ-
ſint. Diſtinguuntur docti à prudentibus: licet idem aliquando ſit, & prudens
& doctus. Docti enim dicuntur, qui ſcientiam aliquam uel multas, præceptio
nibus & uſu acquiſiuerũt: prudentes uerò propriè, qui naturali pręſtant intel-
ligentia. Donatus prudentem ait eſſe, qui intelligẽtia ſua aliquid ſentit. Vnde *In Eun. Ter.*
Prudentiam definiunt, eſſe ſcientiam rerum bonarum & malarũ, & utrarũq;.
& Socrates, cæterarũ omnium uirtutum moderatricem eſſe prudentiã ſtatue- *Cic. 2. de Inuẽ.*
bat. Plato dixit oculum eſſe, Ariſtoteles quaſi architectum quendã uirtutum
omnium. Menander ita: ἀγαθὸν μέγιστον ἡ φρόνησις ἐστ᾽ ἀεί. Xenophon, nullius uir-
tutis uſum abſq; prudentia dixit eſſe. quem (ut opinor) imitatus Iuuenalis, ita
clamat: *Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia.* Cum igitur prudentes uiri, quid ag
grediendum ſit, & quid fugiendum, rectè intelligant, meritò reprehenſionem
eorum ueretur Cicero, ſi id aggreſſus fuerit, quod perficere non poſsit.

Quid enim eſt maius, quàm cum tanta ſit inter oratores bonos diſsi-
militudo, iudicare quæ ſit optima ſpecies, & quaſi figura dicendi?

Hæc eſt confirmatio rationis, quæ magnitudinẽ rei continet, per interroga
tionem. Senſus eſt: Multi ſunt boni oratores, ſed inter ſe ualdè diſsimiles. Itaq;
nõ facile eſt iudicare, quæ ſit optima dicendi figura. nã in ſimilibus rebus non
difficile eſt iudicare, quæ potiſsimum excellat: in diſsimilibus uerò, non item.

Tanta diſsimilitudo.) Nam alij ſubtiles ſunt, ut Lyſias Syracuſanus: alij me
diocres & iucundi, ut Iſocrates & Demetrius Phalereus: alij ſublimes, ut Ae-
ſchines, ac in multis locis Demoſthenes. Species & quaſi figura.) Vtrumq;
per tranſlationem dictum nam ſpecies propriè forma eſt illa cuiuſq; rei, quam
aſpicimus: figura uerò, à fingendo dicta eſt. Verùm quia ſpecies ea eſt, quæ
rebus omnibus appellationem & proprietatem quandam attribuit, ideo pro
cuiuslibet rei propria natura poni ſolet. ut ſpecies hominis ſit idem quod na-
tura hominis: atque ita de reliquis. Itaque dicunt ſpecies rerum æternas eſſe:
quia licet ſingularia atque indiuidua intereant, tamen ipſa natura conſerua-
tur. ut poſt centum annos nullus erit eorum hominum, qui nunc ſunt: &

tamen erit hominum species & natura, sed in alijs hominibus. Hoc autem in loco species ponitur pro modo quodam, & quasi facie orationis: quæ tunc optima est, cum res eas de quibus sermo est, ita exprimit, ut ante oculos ponere uideatur, & res humiles presse ac subtiliter, mediocres æquabiliter ac temperatè, magnas sublimiter & grauiter enunciet.

Quod quoniam me sępius rogas, aggrediar non tam perficiendi spe, quàm experiundi uoluntate.

Hæc conclusio est præcedentis exordij, qua se Bruto gratificari statuisse ostendit. Decreui (inquit) hoc opus aggredi, non quia sperem me posse perficere, sed quia tu me sæpius rogas, & quia experiri uolo an tibi satisfacere posim. Perficiendi spes certa tollit omnem dubitationem, & alacriores ad res aggrediendas nos facit: sed cum incerta est & dubia, tunc nobis tarditatem adfert. Sed si res magna est, sæpe etiam sine perficiundi spe illam aggredimur, illud occinentes,

Ouid.1.Met. *—Et quid tentare nocebit?* Et illud,

Propert. lib.2. *Quod si deficiant uires, audacia certè*
Laus erit: in magnis & uoluisse sat est.

Lib.1. Cap.18. Nam ut apud Gellium ait Varro, successum fortuna, experientiam laus sequitur. Hoc est igitur quod ait Cicero, uelle se experiri quod pulchrum est.

Malo enim, cum studio tuo sim obsecutus, desiderari à te prudentiam meam, quàm si id non fecerim, beneuolentiam.

Hoc est corollarium exordij, in quo, quanti Bruti beneuolentiam faciat, apertè declarat: cum eius conseruandæ gratia se uel imprudentem appellari, pati uelit. Volo (inquit) obsequi studio tuo, etiamsi me imprudentem fortè iudicabis, ne uidear beneuolentiam meam erga te minuisse. Et hoc etiam pertinet ad conciliandum Bruti animum, cum eius causa se uel prudentiæ famæ iacturam facere paratum ostendat.

Quæris igitur, idq; iam sæpius, quod eloquentiæ genus probem maximè, & quale mihi uideatur illud, cui nihil addi posit, quod ego summum ac perfectißimum iudicem.

Hæc est propositio totius operis. Cum enim Brutus intelligeret, unum Ciceronem eminere inter omnes in omni genere dicendi, quæsiuit ab eo, quod eloquentiæ genus maximè probaret? Et quoniam sciebat responsurum Ciceronem, id à se genus probari, cui nihil addi posset, & quod esset perfectißimum: iterum petit ut sibi explicet, quod nam sit illud quod perfectißimum existimet? Hæc igitur summa quæstio est, de qua futura est omnis disputatio: Quoniam eloquentiæ multa sunt genera, quod nam sit illud, quod omnium est perfectißimum. Nam ita natura comparatum est, ut inter res omnes cuiusque generis, sint aliqui gradus atque differentiæ: ut inter homines alij rustici sunt, alij nobiles, alij principes, alij imperatores, alij reges, qui præstant omnibus: inter belluas etiam ijdem gradus spectantur, ut aliæ perfectiores sint, aliæ minus perfectæ. Sic inter arbores, metalla, gēmas, lapides, & res deniq; omnes. Sed tamen in ipsis rebus nihil est ex omni parte perfectum, licet species in animo formari perfectæ posint. Id autem perfectum dicitur, cui nihil omnino deest.

In quo uereor, ne si id quod uis effecero, eumq; oratorem quem quæris expressero, tardem studia multorum: qui desperatione debilitati, experiri id nolent, quod se assequi posse diffidant.

Proposuit quæstionem: sed antequam eam tractare aggrediatur, præmunitione

nitione utitur, ne fortasse perterreantur eorum aliqui, quos eloquentiæ studium delectat. nam (ut ait Iustinianus Imperator) diffidentia plerunque iuuenum animos auertit. Agunt enim homines omnia propter finem aliquem. itaque dum se finem eum assecuturos sperant, alacriores sunt ad agendum: sublata uerò spe finis consequendi, confestim tardiores fiunt. Hoc est quod ait Cicero: Si perfectum oratorem formauero, uereor ne multi studium eloquentię derelinquant, qui se ad illam perfectionem nullo modo peruenire posse intelligent. Desperatione debilitati.) Sicuti enim spes animum corroborat, ita desperatio infringit: itaq; qui sperant, dicuntur animo erecto esse: qui uerò desperant, animo cadere. Sed qui desperationem in consilium cogitationū suarū admittit, is nihil egregium præstare potest. Parendū est igitur illi sententiæ Græcę, ἐλπίζειν πάντα μέχρι γήρως θνητὸς ὤν. Verùm illud meminisse oportet, tantum illis spem prodesse, qui labore & industria sua, quod sperant, assequi conantur. Nam illud quod Socrates dicere solebat, uerissimū est: ὅτι γυνὴ χωρὶς ἀνδρός, ὅτι ἐλπὶς ἀγαθὴ χωρὶς πόνου, γεννᾷ τι χρήσιμον: Neque mulier (inquit) sine uiro, neque spes bona sine labore, utile quicquam parit. Neq; igitur desperandum est unquam in rebus honestis, neq; sine labore quicquam sperandum.

Sed par est omnes omnia experiri, qui res magnas & magnopere expetendas concupiuerunt. Quod si quem aut natura sua, aut illa præstantis ingenij uis fortè deficiet, aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum quē poterit.

Vtitur adhortatione, qua desperationem amoliatur: quoniam nemo est, qui studio non aliquid assequatur. Est autem pulcherrima argumentatio, quę constat quatuor partibus: Propositione, ratione, assumptione, & conclusione. Propositio est, ea quam præmisimus, quæ duabus constat partibus: habet enim sententiam generalem, & admonitionem singularem. Sententia generalis est, ut omnes qui res egregias concupiscunt, omnia experiantur. Admonitio singularis est, ut si quis non admodum ingeniosus fuerit, efficiat tamē quod potest. Ratio ibi incipit, Prima enim sequentē. Assumptio ibi, An in poetis: quæ quidem quatuor generibus exemplorum confirmatur, hoc est, à poetis, à philosophis, à statuarijs, & ab oratoribus. Conclusio ibi incipit, Quare non est. In propositione igitur primò generaliter omnes adhortatur, ut omnia experiri uelint. Nam (ut ait Aristoteles) experientia facit artem, inexperientia uerò casum. Laudantur autem, qui in agendis rebus nihil inexpertum relinquunt. Sic Horatius in Arte poetica: *1. Metaph.*

Nil intentatum nostri liquere poetæ
Nec minimum meruere decus. —

Sententia autem utilissima est, ad desides animos excitandos. Quod si quem.) Tria sunt quæ in perfecto Oratore potissimum requiruntur: natura idonea, magna uis ingenij, multarum rerum cognitio. Nam nisi quis naturæ bona consecutus fuerit, ut firmam corporis constitutionem, uocem claram & suauem, linguæ solutionem, laterum firmitudinem, & eius generis cætera: & nisi maximo ingenio polleat, ut acutè excogitare, copiosè explicare, firmiter meminisse posit: & denique nisi plurimarum rerum scientijs imbutus fuerit, in magnis oratoribus esse non poterit. Quid ergo? Si quem, unum horum, aut omnia fortè deficiant, is'ne se statim ocio tradere debet, & omnem adipiscendæ eloquentiæ spem deponere? Minimè uerò, inquit. nam unusquisq; tenere debet eum cursum, quem potest, neq; unquam animo defatigari. Etenim (ut ait Horatius:)

Est quódam prodire tenus, si non datur ultrà.

Prima enim ſequentem, honeſtum eſt in ſecundis, tertijsq́ conſiſtere.

Ratio propoſitionis: Non omnes ſummi eſſe poſſunt, locus eſt etiam mediocribus. Eſt autem ſententioſa ratio, quæ non magni homines ingenij facile conſolari poteſt. Debemus quidem omnes ad ſumma aſpirare: ſed ſi quò cupimus, peruenire non poſſumus, laudabitur tamen conatus noſter. Eſt apud Græcos in hanc ſententiam pulchrum adagium, ἄκρον λάβε, καὶ μέσον ἕξεις. quo admonemur, ut alta & ſublimia ſemper ſpectemus. Sic enim fore, ut mediocribus potiamur. Hæc autem metaphora ſumpta eſt à curſoribus. non enim tantum illi qui metam primus attigiſſet, uerùm etiam ſecundo, tertioq́ præmia dabantur. quòd apud Virgilium in Anchiſæ patris ludis Aeneas facit. ſic enim ait:

Lib. 5. *—Tres præmia primi*
Accipient, flauaq́; caput nectentur oliua.
Primus equum phaleris inſignem uictor habeto,
Alter Amazoniam pharetram, plenamq́; ſagittis
Threicijs, lato quam circumplectitur auro
Baltheus, & tereti ſubnectit fibula gemma.
Tertius Argolica hac galea contentus abito.

Cicero primo de Oratore libro, docet mediocrem etiam eloquentiæ facultatem plurimum utilitatis afferre. Sic enim ibi: Quis enim non uidet, C. Cælio æquali meo, maximo honori fuiſſe, homini nouo, illam ipſam quamcunque aſſequi potuerit in dicendo mediocritatem? quis ueſtrûm æqualem meum Q. Varium, uaſtum hominem atq; fœdum, non intelligit, illa ipſa facultate, quamcunq; habet, magnam eſſe in ciuitate gratiam conſecutum? non debemus igitur deſperatione debilitari, quamuis aſſequi prima nõ poſsimus: cum ſecundis etiam tertijsq́ magna ſit propoſita gratia.

An in poetis, niſi Homero ſoli locus eſt (ut de Græcis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro: & non horum uel ſecundis, uel etiam infra ſecundos?

Aſſumit exemplis probandum, quod propoſuerat: Tenendum eſſe eum curſum, quem quiſq; poteſt. Primum exemplũ eſt à poetis ductũ. Sunt autẽ poetarum genera multa, quemadmodũ Iſaacius Zezes, interpres Lycophrõis, copioſè docet: ſed eorũ qui cæteris præſtent, quatuor genera numerãtur: Heroici, Iambographi, Tragici, Lyrici. Heroicorũ princeps habetur Homerus, Iambicorũ Archilochus, Tragicorũ Sophocles, Lyricorũ Pindarus: qui licet omnibus cæteris antecellant, tamen etiam alij leguntur, & in precio ſunt. Hoc eſt quod ait Cicero: non Homero ſolũ, aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro locus eſt in poetis, ſed alijs etiã, qui non tam excellẽtes ſunt. Cum autẽ poetam dicimus, niſi aliquid adiungimus, κατ' ἐξοχὴν ſemper Heroicum intelligimus. Fuerunt autẽ apud Græcos quinq; potiſsimum celebres Heroici poetæ, Homerus, Heſiodus, Panyſis, Antimachus, Piſander, atq; ij ueteres. recentiores autem plurimi fuerũt. Horum officium eſt, ut principum & imperatorum res geſtas & bella decantent. ſic enim Horatius:

Res geſtæ regumq́; ducumq́; & triſtia bella
Quo ſcribi poſſent numero, monſtrauit Homerus.

Iambographi maledicta et conuicia in aduerſarios conferunt. Ex hoc numero tres, præter cæteros, celebrantur, Archilochus, Ananias, Hipponax: quorum Archilochus princeps iambum repeẽriſſe dicitur. de quo ſic Horatius:

Archilochum proprio rabies armauit iambo.

Tragici res triſtes & calamitoſas, quæ magnis perſonis feruntur accidiſſe, tractant,

tractant. In hoc genere multi apud Græcos floruerũt, ſed hi præcipue: Sophocles, Euripides, Aeſchylus, Arion, Theſpis, Phrynicus. Lyrici dicti ſunt, eo quòd ad lyram carmina ſua canebant, quibus aderat chorus hominum quinquaginta, præmium autem uictoriæ taurum accipiebant. ex hoc genere celebres decẽ numerantur: Pindarus, Steſichorus, Bacchyllides, Ibycus, Anacreõ, Simonides, Alcman, Alcæus, Sappho, Corinna. hi ſcribebant deorũ hymnos, uictorum in ludis laudes, amores & conuiuia, quod ait Horatius:

Muſa dedit fidibus diuos, puerosq́; deorum,
Et pugilem uictorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera uina referre.

Homero ſoli.) Homerus antea Meleſigenes uocabatur. poſtea uerò cum cæcus factus eſſet, dictus eſt Homerus: quoniam (ut ait Herodotus) Cumæi atque Iones, hominem cæcum, Homerum uocant. Ex qua uerò ciuitate fuerit, incertum eſt. nam (ut ait Cicero pro Archia) Homerũ, Colophonij ciuẽ eſſe dicunt ſuũ, Chij ſuũ uendicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi uerò ſuũ eſſe confirmant. Apud Gelliũ de Homeri patria duo hęc carmina lęgunt: *Lib.3.Cap.11.*

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν ὁμήρου,
Σμύρνα, ῥόδος, κολοφών, σαλαμίν, ἴος, ἄργος, ἀθῆναι.

Antipater poeta quodam in Epigrammate, patrẽ homeri Cœlum eſſe dixit, matrem uerò Calliopen. Sed octo fuiſſe celebres Homeros inuenio: quorum primus, Smyrnæus fuit: alter Chius, in medicina clarus: tertius Cumæus, artibus magicis deditus: quartus ex Salamine Cypria, nobilis in arte inſtiteria: quintus Colophonius, qui in pictura & cælatura excelluit: ſextus Atheniẽſis, qui leges antiquatas reuocauit: ſeptimus Argiuus, Geometra & Muſicus excellens: octauus Mæonius, poeta omniũ præſtãtiſsimus. Aut Archilocho.) Fuit Archilochus ex Paro inſula, ut Strabo auctor eſt, et Tullij Hoſtilij Romanorum regis tempore floruit: poeta quidẽ nobilis, ſed maledicus et obſcœnus. nã de mulieribus ea ſcripſit, quæ nemo ſanus uel legat, uel audiat. Adeò uerò contumelioſus fuit, ut etiã prouerbio dicatur, Archilochi patria: in mordaces, & maledicos. & Cicero Archilochia edicta, cõtumelioſa appellat. Val. Maximus ait, Archilochum à Lacedęmonijs cum ſuis ſcriptis expulſum, ne iuuenes diſcerẽt ab eo maledicere, atq; obſcœnè loqui. Plutarchus ait ideo fuiſſe expulſum, quia ſcripſerat melius eſſe clypeũ amittere, quàm interfici. In Lycambem ſcripſit, qui Neobulen filiã ei deſponderat, deinde dare abnuerat, adeò atrociter, ut ipſum Lycambẽ & tres filias ad laqueũ compulerit. mox uerò in bello fuit interfectus. Sed eius interfectores (ut ait Plinius) Apollo Delphis arguit. Sunt qui putent, ab Archilocho iambum inuentum fuiſſe: quoniam Horatius in Arte poetica dixit,

Archilochum proprio rabies armauit Iambo.

Et quoniam Ouidius in Ibin ſcribens, ita loquitur:

Vtq; repertori nocuit pugnacis Iambi,
Sic ſit in exilium lingua proterua tuum.

Verùm Ariſtoteles & Attilius hanc opinionem refellunt, qui ſcribunt, Homerum in Margite hoc genere carminis uſum fuiſſe, longè ante Archilochum. Igitur ab Archilocho rabioſus & pugnax Iambus factus eſt, cum alijs rebus antea fuiſſet accommodatus. Aut Sophocli.) Sophocles Athenienſis fuit, Sophili filius. Habitabat autem in Colonæo, ut Cicero ſcribit. Floruit eo tempore, quo A. Torquatus filium ſuũ, quia contra edictum cum Gallo dimicauerat, ſecuri percuſsit. Fuit autem Socrate decem & ſeptẽ annis ſenior, ſed tamen cũ eo claruit. propter ſermonis dulcedinẽ μέλιτταν, hoc eſt apes cognominabãt. Primus fabularum contra fabulas certamina conſtituiſſe dicitur. Etiam in adminiſtratione Reipub. uerſatus eſt, Nam Cicero pretorem eum cum Pericle *de Senect.*

fuiſſe

5. de Fin.

fuisse tradit: & Iustinus ait, eum contra Lacedęmonios Imperatorē profectū,
2. de Diuin. uictorē rediisse. Mirū quod Cicero de hoc poeta scribit. cum enim ex æde Herculis patera aurea surrepta fuisset, in somnis Sophocles uidit deum dicentem sibi, quis hoc fecisset. quod semel ille, iterūq; neglexit. ubi idē sæpius accepit, in Areopagū rem detulit. Areopagitę comprehendi iubent eum, qui à Sophocle fuerat nominatus. is quæstione adhibita confessus, pateram retulit. quo facto, fanum illud Indicis Herculis est nominatum. Vixit ad quintū & nonagesimum annum: & eo tempore mortuus est, quo Lacedęmonij duce Lysandro,
Lib. 7. Athenarū urbem obsidebant. de quo ita scribit Plinius: Obsidentibus Lacedęmonijs Athenarū urbem, Liber pater iussit Sophoclē, Tragici cothurni principem, sepeliri: Lysandro rege in quiete sæpius admonito, ut pateretur humari delicias suas. Quidam aiunt, eum accepto uictoriæ nuncio, ob immensam lętitiam interijsse. Lucianus, grano uuæ strangulatum prodidit. quod Sotades testatur: Σοφοκλῆς ῥᾶγα φαγὼν σταφυλῆς πνιγεὶς τέθνηκε. Quanti uerò fuerit æstimatus Sophocles apud antiquos, declarat illud Virgilij:

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Rursus illud Ciceronis ad Tyronem: An pangis aliquid Sophoclæum? Aut Pindaro.) Pindarus Thebanus genere fuit, Scopelini tibicinis filius, à quo datus in disciplinā Lasi Hermionæi Lyrici uatis, magistrum longo interuallo superauit. tantumq; profecit, ut Apollini gratissimus esse iudicaretur, adeò ut eorum munerum quæ in Apollinis templo offerebantur, partem acciperet. itaq; nomen etiā mortui familiæ suæ profuit. Nam cum Thebas Alexander diripe-
Lib. 7. ret, Pindari uatis familiæ (quod Plinius scribit) penatibusq; parci iussit. quod & antea Lacedæmonios fecisse legimus, cum hanc inscriptionē in ædibus uidissent, Πινδάρου τοῦ μουσοποιοῦ τὴν στέγην μὴ καίετε. id est, Pindari poetæ tectum ne cremate. Vixit annos quinq; & quinquaginta, ut Suidas ait. deinde cū à Deo petijsset, ut quod optimum esset, sibi daretur: cum esset in theatro, in genibus
Lib. 9. Cap. 12. sibi dilecti pueri mortuus est. Val. Max. de huius poetæ morte ita scribit: At Pindarus, cum in gymnasio super gremium pueri, quo unicè delectabatur, capite posito quieti se dedisset, non prius decessisse cognitus est, quàm Gymnasiarcha claudere eum iam locum uolente, nequicquam excitaretur. Quintilianus ita de Pindaro scribit: Nouem Lyricorum longè Pindarus princeps, spiritu, magnificentia, sententijs, figuris, beatissima rerum uerborumq; copia, & uelut quodam eloquentię flumine: propter quòd Horatius eum meritò credidit nemini imitabilem. Nota est Oda Horatij, qua Pindarum summis ad cœlum effert laudibus.

Nec uerò Aristotelem in Philosophia deterruit à scribendo, amplitudo Platonis: nec ipse Aristoteles, admirabili quadam scientia & copia, cæterorum studia restinxit.

Secundum exemplum, à Philosophis: quorum principem ubiq; Platonem facit, secundo loco ponit Aristotelem. qui duo quamuis reliquis omnibus pręstent, multi tamen post eos celeberrimi fuerunt. Non igitur Plato Aristotelē, nec Aristoteles cæteros posteriores deterruit. Amplitudo Platonis.) Fuit enim Plato uarius, multiplex, & copiosus, ut in Academicis ait Cicero: cuius admirabilis eloquentia prodigio declarata fuit. Cum enim infans adhuc
Lib. 1. Cap. 6. esset in cunis, apes in os eius mel intulerunt, ut Valerius Maximus scribit. Diogenes Laertius ait, Socratem uidisse per quietem, oloris pullum in gremio suo plumas emittere, qui statim in sublime uolans, suauissimos cantus ederet. Postridie uerò cum ad eum à patre Plato ductus fuisset, dixisse, illū esse cygnū quē in somnis uiderat. Tantus deinde euasit, ut etiā ab hominib. sui temporis tanq; numen aliquod coleret: ut non sine causa Platonis amplitudinem dixerit hoc loco Cicero. Aristoteles uerò uiginti annos Platonē audiuit, cum decimum

decimum & ſeptimum annum natus, cum audire cœpiſſet. Poſtea uerò deſciuit à magiſtro Platone, aliamq; docendi & ſcribendi rationem ſecutus, quanto Platone dicendi copia fuit inferior, tanto in tradenda ſcientiarum methodo, hoc eſt uia & ratione, ſuperior à doctis exiſtimatur. Quanti autem Ariſtotelem fecerit Cicero, cùm alibi multis in locis, tum hic præcipuè declarat, ubi ſcientiam eius admirabilem appellat.

Nec ſolum ab optimis ſtudijs excellentes uiri deterriti non ſunt, ſed ne opifices quidem ſe artibus ſuis remouerunt, qui aut Ialyſi (quem Rhodi uidimus) non potuerunt, aut Coæ Veneris pulchritudinem imitari.

Tertium exemplum ab opificibus ductum, quorum duo genera commemorat: hoc eſt, pictores, & ſtatuarios. & primò à pictoribus argumentatur. Quamuis (inquit) Protogenes & Apelles præſtantiſsimi pictores fuerint, non tamen reliquos deterruerunt, quo minus pingendi artem diſcerent, licet nemo potuerit operum eorum pulchritudinem imitari. Nec ſolum.) Argumentum à minori: Si opifices non deterrentur, multo minus in optimis ſtudijs excellentes uiri deterreri debent. Aut Ialyſi.) Quid Ialyſus fuerit, aliqui dubitant. Sunt qui putent, Satyrum hoc nomine fuiſſe. alij Bacchum, qui à Rhodijs ita uocaretur. Qui melius ſentiunt, aiunt Ialyſum fuiſſe unam è tribus antiquiſsimus Rhodijs ciuitatibus. Pindari interpretes aiunt: Cercaphum Solis & Rhodi nymphæ filium, tres liberos procreaſſe, Ialyſum, Lindum, Camirũ: qui tres ciuitates in Rhodo conditas, ſuis nominibus appellarũt. Ialyſum igitur miro quodam artificio Protogenes pinxit, quo tempore Demetrius Poliorcetes Rhodum obſidebat. erat autem eo tempore Protogenes quietus in ſuburbano, quem accerſitum Demetrius interrogauit, qua fiducia extra muros ageret: reſpondit, Se ſcire illi bellum eſſe cum Rhodijs, non cum artibus. Protogeni patria fuit Caunus, gentis Rhodijs ſubiectæ. Rhodi uerò floruit adeò, ut clariſsimus pictor Apelles, ad eum uiſendum Rhodum accederet, & in ductu linearum cum eo certaret: quo in certamine ſuperior Apelles diſceſsit. Tradũt hunc Protogenẽ, quo tempore Ialyſum pingebat, madidis lupinis uixiſſe: quoniam ſimul famem ſuſtinerent, & ſitim, ne ſenſus nimia dulcedine obſtrueret. hæc tabula poſtea Romæ dicata eſt in templo Pacis, ut auctor eſt Plinius. Cicero fatetur eã ſe Rhodi uidiſſe, eo fortaſſe tempore, quo in arte Rhetorica Apollonio Moloni operã dabat. nam Rhodus inſula quidẽ eſt una ex Cycladibus, ſed in ea ciuitas eſt eodem nomine celeberrima, quæ & legibus, & rei naualis ſcientia, & literarum ſtudijs maximè floruit. inde dicta, quòd cum ędificaretur, ibi roſa fuerit inuenta. nã Rhodon Græcis idem eſt quod roſa. Soli uerò ſacra fuit, quoniam nunquã tam nubilum cœlum eſt, ut in Rhodo ſol non appareat: quod etiam Syracuſis accidere, teſtis eſt Cicero. Pindarus ait in Rhodo aurum pluiſſe, ob eximiam inſulæ fertilitatem. Hoc noſtro tempore in Turcarum poteſtate poſita eſt. Aut Coę Veneris.) Hoc opus Apellis fuit, ſed imperfectum. Cum enim caput & ſumma pectoris pinxiſſet, morte pręuentus perficere non potuit. quod Cicero Epiſt. lib. 1. innuit. Fuit Apelles patria Cous, tam egregius pictor, ut omnes prius genitos futurosq; poſtea ſuperarit, ut ait Plin. Zeuſidis fuit diſcipulus. Cum aliorum pictorum opera miraretur, dicere ſolebat, illis nihil deeſſe præter eam Venerẽ quam Græci Charita uocant. Cum Protogene dixit paria ſibi eſſe omnia, aut etiã illi meliora: ſed uno ſe præſtare, quòd manum ille de tabula neſciret tollere: memorabili præcepto, nocere ſæpe nimiam diligentiam. Tamẽ Apelli fuit ea conſuetudo, ut nunquã diem ullũ prętermitteret, in quo lineam ducendo non artem exerceret. Vnde prouerbium, Nulla dies ſit

Plin. 35. cap. 10

7. in Verrem.

35. Cap. 10.

fine linea. Alexander Magnus (ut Horatius scribit) edicto uetuit, ne quis se præter Apellem pingeret, aut alius Lysippo duceret æra. Cum Alexander in eius officinam uenisset, & de pingendi arte dissereret, comiter illum Apelles admonuit, ut taceret: quoniam à pueris, qui colores tererent, irrideretur. Hæc autem tabula Veneris Coæ, de qua meminit hoc loco Cicero, ideo remansit imperfecta, quoniam post Apellis mortem nemo unquam ausus est illi manum extremam addere, cum tamē post eum multi fuerint egregij pictores. Apellis etiam dictum illud celebre est, Ne sutor ultra crepidam.

Nec simulachro Iouis Olympij, aut Doryphori statua deterriti reliqui, minus experti sunt quid efficere, aut quò progredi possent. quorum tanta multitudo fuit, tanta in suo cuiusque genere laus, ut cum summa miraremur, inferiora tamen probaremus.

Nunc ad statuarios transit, quorum principes fuerunt Phidias & Polycletus: ille Iouis Olympij simulachro, hic Doryphori statua clarus. Phidias statuarius Atheniensis fuit, nunquam satis laudatus, ut ait Plinius. Simulachrum Iouis Olympij fecit ex ebore, tanta cura atque magnificentia, ut inter septem orbis miracula numeraretur. Fecit etiam Venerem Heliensibus, quæ altero pede testudinem calcaret. quo symbolo significare uoluit, oportere mulieres domum custodire, & silentium seruare. Idem etiam simulachro Palladis draconē
34. Cap. 8. apponere solebat, ostendens, uirgines peruigili cura custodiēdas esse. Hic primus (ut ait Plinius) artem toreuticen aperuisse atque demonstrasse meritò iudicatur. Tantopere uerò Phidiæ opera laudata fuere, ut quæ primo statim aspectu probantur omnium suffragijs, placere dicantur, ut Phidiæ signū. Sic enim Cicero de Claris oratoribus: Nam Q. Hortensij admodum adolescentis ingenium, ut Phidiæ signum, simul aspectum & probatum est.

Aut Doryphori statua.) Hoc opus Polycleti fuit. erat autem puer hastam ferens, unde etiam nomē habuit. Polycletus Sicyonius fuit, Ageladis discipulus, diligētia & decore supra cæteros, ut ait Quintilianus. De hoc meminit etiam 2. de Orat. Cicero, & in Bruto. Multa egregia signa finxit, quæ numerātur à Plinio. inter quæ fuit etiam hic Doryphorus, de quo meminit hoc loco Cicero. Quò progredi.) Metaphora sumpta à uiatoribus, uel à nauigantibus.

Tanta multitudo.) Plinius libro 34. magnam nobilium statuariorum multitudinē, & lib. 35. pictorū numerat. Sed qui max. floruere pictores, multi sunt: ut Eumarus Atheniensis, qui primus figuras omnes imitari ausus est: Cimon Cleonæus, qui articulis membra distinxit, & uenas protulit: Polygnotus Thasius, qui primus mulieres lucida ueste pinxit: Zeusis uerò superiores omnes antecelluit, & ex arte picturæ magnas opes acquisiuit. Clari fuerunt etiam, Timantes, Androcides, Eupompus, Parrhasius, infinitiq; alij. Sculptores autem & statuarij, præter Phidiam & Polycletum, permulti nobiles fuerunt: ut Euphranor, Mentor, Myro, Lysippus, Praxiteles, Scopas, innumerabilesq; alij. Licet igitur (inquit Cicero) præstātium opificum opera miremur, tamen etiam inferiora probamus.

In oratoribus uerò Græcis quidem admirabile est, quantum inter omnes unus excellat. attamen cum esset Demosthenes, multi oratores magni & clari fuerūt, & antea fuerāt, nec postea defecerūt.

Quartum & ultimum exemplum est ab oratoribus ductū, quorum nemo Demosthenis præstantia deterritus est. Admirable est.) Omnes enim alios longo interuallo post se reliquit Demosthenes, cuius industriā primo de Oratore ad extremum celebrat Antonius. Eius est illa præclara sententia, μελέτη τὰ πάντα δύναται: quæ facile uel ignauum excitare potest. Multi oratores.) Plutarchus decem oratores celebrat, qui apud Græcos maximè floruerunt:

Antiphon.

Antiphontem Rhamnusium, Andocidem Cydathenæum, Lysiam Syracusanum, Isocratem, Aeschinem, Isæum Chalcidensem, Lycurgum, Demosthenem, Hyperidem, Dinarchum. quorum etiam singulorum uitam describit. Antea fuerant.) Cicero in Bruto ait, ante Demosthenem in eloquentia floruisse Themistoclem, Periclem, Cleonem, Alcibiadem, Critiam, Theramenē, Thucydidem: & dicendi magistros, Gorgiam Leontinum, Thrasymachum Chalcedonium, Protagoram Abderitem, Prodicum Chium, Hippiam Elæum, nonnullosq; alios. Nec postea defecerunt.) Post Demosthenem non ita multi numerantur, propterea quòd in seruitutem Macedonum Athenienses deuenerunt. Fuit tamen Demetrius Phalereus oratione maximè suauis, & Demochares. Rhetores uerò quàm plurimi: ut Apollonius Molo, Areus, Dionysius Halicarnasseus, Apollodorus Pergamenus, alijq; penè innumerabiles: qui magis ad imitationem præstantium oratorum, ad eloquentiam inflammarentur, quàm eorum excellentia deterrerentur.

Quare non est cur eorum qui se studio eloquentiæ dediderunt, spes infringatur, aut languescat industria.

Conclusio est præcedentis argumentationis: Non debemus, inquit, spem abijcere, aut studium remittere, etiamsi perfecti oratores fieri non posimus. Spes perueniendi quò uelis, excitat industriam: sed cum spes infringitur, statim languescit industria. Spes infringatur.) Metaphora sumpta ab instrumentis, quibus utimur in opere faciendo: quibus fractis, statim ab opere cessamus. Est autem infringi, ualde frangi. quod sentit Seruius in eo Virgilij:

Turnus ut infractos aduerso Marte Latinos

Defecisse uidet. Frangitur etiam exercitus, cum fugatur. Languescat industria.) A' corpore sumpta metaphora, cum ęgrotat. languor enim à morbo prouenit. Industria uerò maximè alit ingenium. Cic. pro Cæl.

Nam neq; illud ipsum quod est optimum, desperandum est: & in præstantibus rebus magna sunt ea, quæ sunt optimis proxima.

Hoc corollarium est sententiosum, quod ad plenam conclusionis probationem adhibetur. Nihil enim tam altè positum est à natura, quò uirtus eniti non posit: & (ut ait Seneca) animus hominis quicquid sibi imperauit, obtinuit. Quod si summam eloquentiam assequi nemo potest, propius tamen ad illam accedet, qui maiori studio atq; industria usus fuerit.

Atque ego in summo oratore fingendo, talem informabo, qualis fortasse nemo fuit.

Post adhortationem, ne quis desperatione debilitetur, ad propositionem suam reuertitur, atq; ostendit rem ipsam se considerare uelle per sese, non autem qualis in hoc aut in illo fuerit. Nemo enim integram eloquentiam assecutus est unquam. Fingendo.) Translatio sumpta ab ijs qui uasa conficiunt ex argilla, qui à fingendo figuli dicuntur, & ipsa uasa fictilia uocantur. ut Tibullus,

Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis.

Fingere dicuntur etiam statuarij, non autem pictores, ut quidam existimant. hoc enim inter se differunt, quòd pictores non fingere, sed pingere dicuntur. Cicero 5. Epist. Neq; enim Alexander ille gratiæ causa ab Apelle potisimum pingi, & à Lysippo fingi uolebat. nec ita multo pòst: Nec minus est Spartiates Agesilaus ille perhibendus, qui neq; pictam, neq; fictam imaginem suam passus est esse. Verùm hoc loco Cicero uerbum hoc ad scriptionem traduxit. Informabo.) Perstat in metaphora. forma enim ea est, quæ superinducta materiæ, facit ut res ipsa nomen habeat. Ea uel artificiosa est, uel naturalis. Artificiosa, quam artifex inducit: ut statuarius è marmore formam hominis fingit. Na-

turalis, quæ proficiſcitur à natura: ut è ſemine equi naſcitur equus, non a utem bos, & ita de reliquis. Sed hæc forma in alijs perfectior eſt, in alijs minus perfecta. Præſtat enim homo homini, & equus equo: ſed in nullo tamen indiuiduo perfectiſsima reperitur. Hoc eſt quod ait Cicero, ſummum oratorem fuiſſe neminem.

Non enim quæro quis fuerit, ſed quid ſit illud, quo nihil poſsit eſſe præſtantius: quod in perpetuitate dicendi non ſæpe, atque haud ſcio an unquam, in aliqua autē parte eluceat aliquando. idem apud alios denſius, apud alios fortaſſe rarius.

Rationem adfert, quare talem informare uelit Oratorem, qualis nemo unquam fuit. Quoniam (inquit) non eſt nobis propoſita quæſtio, quis ſummus Orator fuerit: ſed quid in ſummo Oratore eſſe debeat. Quid ſit illud.) Hoc eſt, quæ ſit ratio uel definitio ſummi Oratoris. Solæ enim definitiones perfectæ & perpetuæ ſunt, ſi per ſe conſiderentur, non autem quatenus in aliquo ſubiecto ſunt. Vt uirtus non conſideratur qualis eſt in Platone, aut Socrate, quoniam in eis non eſt integra, ſed qualis eſt per ſeſe: quod idem ſit in alijs rebus. In perpetuitate dicendi.) Raro (inquit) accidit, & fortaſſe nunquam, ut in tota oratione perfectè dicat aliquis Orator, cum tamen in aliqua orationis parte nonnunquam eluceat id quod præſtantiſsimum eſt. Eluceat.) Ab aſtris, uel ab igne ducta translatio. Sic etiam dicimus orationis lumina, ſplendorem uerborum. In aliqua parte.) Sunt enim qui in exordijs maximè excellunt, ut Demoſthenes: alij in narrando, & rem ante oculos ponendo, quod de Craſſo & Hortenſio legimus: alij plurimùm ualent in refellendo, ut M. Antonius ille diſertus, & ex Chriſtianis Lactantius, de quo ita Diuus Hieronymus: Vtinam tam noſtra bene confirmaſſet, quàm aliena deſtruxit. Sunt qui in perorationibus potiſsimum excellant, ut ipſe Cicero, qui in hoc opere de ſeipſo ita prædicat: Quid ego de miſerationibus loquar, quibus eo ſum uſus pluribus, quòd etiam ſi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant. Denſius.) Nam quanto quis melior eſt Orator, tanto pluribus in locis in eius oratione elucet id quod præſtantiſsimum eſt. Rarius.) Sicut in poetis Cherilus ille, de quo ſic Horatius in Arte poetica,

Quem bis terq; bonum cum riſu miror.

At dicet fortaſſe quiſpiam, Si in nullo fuit unquam homine, neque futura eſt perfecta eloquentia, ubi igitur ea eſt? Certè in eo, in quo eſt omnis perfectio, nempe in Deo, ſiue in mente diuina, ubi ſunt exemplaria perfecta rerum omnium, quas Plato Idæas appellauit. unde etiam mens diuina dicitur Iouis paradiſus, quòd in ea quaſi conſitæ ſint, conditarum rerum omnium formæ: quas quidem nullo ſenſu nos percipere poſſumus, ſed tantum cogitatione complectimur. hoc eſt quod Cicero ſubiungit,

Sed ego ſic ſtatuo: Nihil eſſe in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id ſit, unde illud ut ex ore aliquo, quaſi imago exprimatur, quod neq; oculis, neque auribus, neq; ullo ſenſu percipi poteſt, cogitatione tantum & mente complectimur.

Species rerum à materia ſeparatæ, ſunt adeò pulchræ, nihil ut eis addi poſſit: ſed cum in materiam delabuntur, magnam pulchritudinis ſuæ partem ſtatim amittunt. Vt architectus (exempli gratia) pulcherrimi cuiuſdam ædificij modulum animo complectitur, cupit ædificando formam illam quam animo concepit, exprimere: ſed quod cupit, nunquam aſſequitur. Pulchriorem enim ſemper in animo formam habet, quàm ſit ea qua formatur ædificium.

Quod

Quod idem fit etiam in reliquis rebus. Est enim forma nescio quid diuinum, ut sentit etiam Aristoteles. In ullo genere.) Genus hoc loco pro multitudine indiuiduorum intelligendum est: non autem pro natura, neque pro notione, quę ad diuersas species attineat. Vnde illud.) Speciem, siue Idæam intelligit, quod etiam exemplar, & à Gręcis ἀπόδειγμα dicitur: propterea quòd ex ea res quæ sensu percipiantur, effluunt, & ad eius similitudinem & quasi effigiē conformantur. Vt ex ore.) Metaphora sumpta à pictoribus, qui ex ore cuiuslibet hominis imaginem exprimunt. Sed hæc est differentia, quòd pictores sæpe formam naturalem arte superant. Possunt enim aliquem longè pulchriorē, quàm reuera sit, effingere. Sed neque ars, neque natura quicquam idæa pulchrius efficere potest. Imaginem appellat eam, quæ est in indiuiduis, in quibus nihil est quod uerum sit: ut in Socrate non fuit sapientia, sed imago quædam sapientiæ: in Demosthene non eloquentia, sed eloquentiæ quædam imago. Cicero primo de Officijs, simulachrum uocat, quam hic imaginem: Quoniā autem (inquit) uiuitur non cum perfectis hominibus, sed cum ijs in quibus præclarè agitur, si sint simulachra uirtutis: etiam hoc intelligendū puto, neminem omnino esse negligendū, in quo aliqua significatio uirtutis appareat. Quod neque oculis.) Plato in Timæo duo genera rerum facit: alterum, quod semper est, neque ullum habet ortum: alterum quod gignit, & nunquam est. illud quod semper est, & nullum habet orrum, ait intelligentia & ratione comprehendi, unumque atque idem semper esse: quod autem gignitur, ait esse rationis expers, & totum opinabile, quod adfert opinionem sensus, & interit, nec unquā esse uerè potest. Res ergo quæ sensu percipiuntur, non uerè sunt, quia continenter intereunt: quæ uerò intelligentia comprehenduntur, solæ sunt æternæ, atque perfectę. Neque ullo sensu.) Oculi & aures non sunt sensus, sed sensuum instrumenta. Et mente.) Atqui etiam mens ipsa sensus est, ut alibi ait Cicero: sed hic de exterioribus intelligendum. Sunt enim exteriores & interiores sensus. mens autem est interior.

Itaque & Phidiæ simulachris, quibus nihil in eo genere perfectius uidemus, & his picturis quas nominaui, cogitare tamen possumus pulchriora.

Exemplo probat, id quod proposuerat. Phidias, de quo suprà meminimus, multa simulachra finxit, ut auctor est Plinius. Nam præter Iouē Olympium, 34. Cap. 8. quem nemo æmulatur, fecit ex ebore Mineruam Athenis: ex ære fecit Amazonem, & Mineruam tam eximiæ pulchritudinis, ut à forma cognomen acceperit. Fecit & tertiam Mineruam, quam Romæ Paulus Aemilius ad ædem Fortunæ dedicauit. item duo signa, quæ Catulus in eadem æde posuit, palliata. Hæc simulachra Phidiæ (inquit Cicero) pulcherrima quidem sunt, sed tamen cogitatione nostra possumus etiam pulchriora fingere. Quod idem accidit etiam in picturis, & in alijs rebus omnibus. Quas nominaui.) Hoc est, Ialysum Protogenis, & Coam Venerem Apellis.

Nec uerò ille artifex cum faceret Iouis formam, aut Mineruæ, contemplabatur aliquem è quo similitudinem duceret: sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam, quam intuens, in ea'que defixus, ad illius similitudinem, artem & manum dirigebat.

Phidiam etiam ipsum ait egregiā illam formam Iouis & Mineruæ, quam in ebore finxit, non à sensibus, sed ab intelligentia ac mente sumpsisse. Ille artifex.) Κατ' ἐξοχὴν Phidiam intelligit. Apud Ciceronem nulla est inter opificem & artificem differentia. Faceret formam.) Propriè locutus est. non enim ma

teriam, sed formā artifices faciunt: ut faber nō ligna, sed lectū & mensam facit: & statuarius non marmor, sed hominē & equū è marmore. Contemplabať.) Vocabulū est augurum, sed usu iam generale factū. nam templum, spacium id erat, quod augures ad auspicia capienda designabant. E quo similitudinē.) Quemadmodū pictores solēt, cum alicuius imaginem atq; effigiem delineare uolunt. Species pulchritudinis.) Mens cum formas abstrahit à materia, longè pulchriores eas cogitationi repræsentat. unde fit, ut amatoribus amicę suæ multo pulchriores, quàm reuera sint, uideantur: quoniam de illis frequenter
3. Cap. 7. cogitant. In eaq; defixus.) cogitatione scilicet. Nam ut ait Valerius Max. cū Iouis Olympij simulachrum perfecisset, interrogatus ab amico, quónam mentem suam dirigens, uultū Iouis propemodum è cœlo ipso petitū eboris lineamētis esset amplexus? Homeri uersib. illis, quasi magistro se usum respondit,

ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε κρονίων,
ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος
κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

Vt igitur in formis & figuris est aliquid perfectum & excellens, cuius ad excogitatam speciem imitando referuntur ea, quæ sub oculos ipsa cadunt: sic perfectæ eloquentię speciem animo uidemus, effigiem auribus quærimus.

Hac similitudine reuertitur ad propositum suum, ut ostēdat etiam eloquentiæ quandam esse perfectam idæam. Sicut, inquit, in animo nostro formarum & figurarum species est, ita etiam eloquentiæ. In formis & figuris.) Videtur formas ad statuarios, figuras ad pictores referre: quod tamen propriū non est. Perfectum & excellens.) Idæam intelligit, non artis pręstantiā, quod ex sequētibus intelligi facile potest. Excogitatā speciem.) Eam appellat formā, unde illa fingitur quæ iam in materia spectatur: quæ una solet artificum differentias ostendere. Nam imperiti formas seu species ineptas, præstantes uerò artifices pulchras etiā formas inducunt. Sub oculos.) Ad idæarum differentiam, quæ non oculis corporis, sed animo tantū cernuntur. Vnde Plato meritò Diogenē Cynicū reprehendit. cum enim de Idæis disputaret Plato, cœpit eū Diogenes irridere, dicens: Ego quidē mensam & cyathū uideo, sed mensæ & cyathi idæam non uideo. Tunc Plato: Nec mirū, inquit. nā oculos habes, quibus mensæ & cyathi cernuntur: sed mentem non habes, qua cernuntur mensę & cyathi idęæ. Perfectæ eloquentiæ.) Nos quidem, inquit, animo quandā perfectam eloquentiam comprehendimus, cuius deinde effigiem audire non solemus. Effigiem.) Est effigies propriè imago illa, quæ tanquam ex ore alíquo efficta est, & ad uiuentis similitudinem facta. Vnde quidam uerbum effigiare deduxerunt, quod apud antiquos scriptores non reperitur. Auribus quærimus.) Sunt enim aures auidæ & capaces, & semper aliquid immensum infinitumq; desiderant: & earum iudicium (ut alibi ait Cicero) superbissimum est. Quin Cornificius ad Herennium libro 4. aurium sensum fastidiosissimum appellat. Itaq; præstantem eum esse oportet, qui sit audientium auribus satisfacturus. Qui benè de aliquo Oratore iudicare possunt, illi dicuntur à Cicerone, teretes aures habere. ut De optimo genere oratorum: Qui teretes aures habent, intelligensq; iudicium. & in hoc opere, Atticorum aures teretes & religiosas uocat. de Claris oratorib. Tritæ nostrorum aures.

Has rerum formas appellat idęas, ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi grauissimus auctor & magister Plato: eas'que gigni negat, & ait semper esse, ac ratione & intelligentia contineri: cætera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno & eodem statu.

Hæc

Hæc παρέκβασις est, siue digreßio, ad explicandam Platonis sententiam. Plato, inquit, non tantum in Philosophia præstans, sed etiam in dicendi ratione, has rerum formas quas in animo habemus, appellat idæas, quæ sint æternæ & immortales, cum cætera omnia caduca sint. Idæa, sicuti eam definit Seneca, est eorum quæ naturaliter fiunt, exemplar æternum. Id exemplar in mente diuina Plato esse uoluit, quod in natura dicatur semen, in anima uerò ratio. quo fit, ut idem sit idæa, semen, ratio, quòd ad substantiam attinet: sed quod ad subiectum, plurimum differant. In animo nostro dicitur idæa, forma illa cuiusque rei, quæ nobis cum uolumus repræsentatur: ut hominis, equi, arboris. talia uerò exemplaria sunt infinita. Non intelligendi solum.) Platonis magna laus, à rerum cognitione, & ab eloquentia. Tantum enim eloquentiæ Platonis tribuebant antiqui, ut dicerent, Iouem, si loqui uellet, non alijs uerbis quàm Platonis usurum. Gigni negat.) Nam quicquid gignitur, ut etiam intereat necesse est. Semper esse.) In mente diuina scilicet: quam ideo paradisum Iouis appellat, quod in ea tanquam in horto cõsitæ sint ideæ. Cætera.) Quæ sensibus subiecta sunt, quorum materia tanquam Protheus quidam uarias formas subingreditur, & continenter fluit.

Quicquid est igitur, de quo ratione & uia disputetur, id est ad ultimam sui generis formam speciemq; redigendum.

Concludit hanc primam partem, & quidem generaliter: semper esse disputandum de summa & perfecta specie: hoc est, ut ego interpretor, de definitione. Nam ueræ definitiones rerum, perfectæ sunt. Ratione & uia.) quod Græci dicunt Methodo. Vltimam formam.) Platonicè uocat Idæam, qua nihil in quoq; genere Plato prius esse uolebat. nam Aristotelico more, forma ultima diceretur, quæ tantum indiuidua complectitur, neque in plures species diuidi potest. Vltimam uerò speciem uocat idæam, quatenus ad nos attinet, quorum cognitio à sensibus incipiens, in idæa tandem consistit. Quod si rerum naturam considerare uoluerimus, tunc idæa non erit ultima species, sed prima. nam ab ea tanquam à principio quodam, reliqua omnia pendent. Sui generis.) Genus usurpat hoc loco, sicuti etiam sæpe alibi, pro indiuiduorum multitudine, quæ una specie continentur.

Ac uideo hanc primam ingreßionem meam, non ex Oratoris disputationibus ductam, sed è media Philosophia repetitam: & eam quidem cùm antiquam, tum subobscuram, aut reprehensionis aliquid, aut certè admirationis habituram.

Quoniam oratorios limites egressus esse uidebatur, quòd de idæis quædam uerba fecisset, ne quis fortè miraretur, utitur hoc loco τῇ προλήψει, hoc est occupatione: quam exornationem interdum maximè utilem esse, Quintilianus fatetur. Scio (inquit) fore ut aliquis me reprehendat, aut admiretur, quòd hoc initio disputationis meæ, non Oratorum consuetudinem sequar, & ex communi ac uulgari sensu uerba faciam: sed, ut philosophi solent, res antiquas & obscuras in medium adferam. Ingreßionem.) Appellat disputationis initium. nam ingredi propriè dicuntur infantes, cum se pedibus suis sustinere & ambulare incipiunt. unde sæpenumero uerbum hoc pro incipio ponitur, ut in Lucullo: Sed quod nos facere nunc ingredimur. & 2. de Diuinat. De diuinatione ingreßi sumus his libris scribere. Ingreßio uerò, & ingressus, quoniam utroque modo dicitur, præter actum ingrediendi, etiam initium siue principium alicuius rei significat. Disputationibus Oratoris.) Hoc est, apertis & ad uulgarem opinionem accommodatis. quoniam (ut in primo de Oratore docet Cicero) in dicendo uitium uel maximum est, à uulgari genere orationis, atque à consuetudine communis sensus abhorrere.

unde summus philosophus Aristoteles has disputationes oratorias ἐξωτερικοὺς λόγους appellabat, ut Gellius auctor est, & Eustathius: & ad eas pomeridiano tempore cuiuslibet ætatis atque ordinis discipulos admittebat. quoniam quæ oratorio more disputantur, ab omnibus intelligi facile possunt. Cum autem philosophicè disputaret idem Aristoteles, & res occultas atque ab ipsa natura inuolutas tractaret, tunc eos tantum qui ingenio præstarent admittebat: & id quidem matutino tempore, cum animus ad discendum promptior est. eas uerò disputationes ἀκροαματικοὺς λόγους uocabat, quoniam non nisi audiendo percipi eas posse censebat. Hoc est quod ait Cicero, è media Philosophia se disputationem hanc repetiuisse. Mediam uerò philosophiam appellat eam, quæ de natura & rebus occultis tractat. Fuit enim accepta à Platone philosophandi ratio triplex (ut in Academicis ait Cicero) una de uita & moribus, altera de natura & rebus occultis, tertia de disserendo, & quid uerum & quid falsum sit iudicando. Antiquam appellat, quoniam ante alias Philosophiæ partes tractari cœpit hæc, quæ de natura est, & rebus occultis. cuius inuentores quidam aiunt barbaros fuisse: quoniam apud Persas Magi, apud Babylonios Chaldæi, apud Indos Gymnosophistæ, apud Gallos Druidæ iam olim philosophabantur. Sed Diogenes Laertius ad Musæum Atheniensem, & Linum Thebanum initia huius philosophiæ refert. Verùm Eusebius philosophiam, sicut reliquas ferè omnes disciplinas, ab Hebræis originem habuisse censet. Pythagoras uerò primum Philosophiam appellauit, cum antea Sophia diceretur: & qui eam sequebantur, Sophi. Nullum enim hominem, sed solum Deum sapientem esse, Pythagoras aiebat. ideo se non sophon, id est sapientem, ut priores uocabantur: sed philosophum, hoc est sapientiæ studiosum, appellauit. Quidam aiunt, Thalem Milesium fuisse primum, qui aliquid de natura disputare inciperet. Laertius huius philosophiæ duo principia facit: alterum Ionicum appellatum, quoniam Thales Milesius ex Ionia fuit, qui Anaximandrum instituit: alterũ Italicum, quoniã Pythagoras in Italia philosophatus est. Plato uerò, quod ait Aristoteles, in ijs rebus quæ ad naturam pertinent, Pythagoram secutus est. Hãc igitur philosophiam Cicero meritò antiquã uocat. Addit etiã, Subobscuram: quoniã Socrates putabat, nihil eorũ quæ natura fiunt, rectè percipi posse. ideo frequenter dicebat: Quæ supra nos, nihil ad nos. nam etiam Democritus aiebat, ueritatem in profundo mersam esse. Quo factum est, ut philosophi quidam Sceptici dicerentur, quoniam de rebus omnibus dubitabant. Alludit autem ad Platonis idæas, quarum tractatio sanè quàm obscura est: quoniam ad nullum sensum referri potest.

1. de Prep. (margin note beside "& Linum Thebanum")

Nam aut mirabuntur, quid hæc pertineãt ad ea quæ quærimus: quibus satisfaciet res ipsa cognita, ut non sine causa altè repetita uideatur. aut reprehendent, quòd inusitatas uias indagemus, tritas relinquamus.

Ratio est, cur existimet alios admiraturos, alios reprehensuros hanc disputationem suã. Admiratio propter causarũ ignorationẽ nasci solet: unde causa cognita, statim admiratio cessat. hoc est quod ait Cicero: Qui mirantur hanc ingressionẽ disputationis meæ, simulac rem ipsam intellexerint, mirari statim desinent. Quid hæc pertineant.) Ineptũ est enim, aliquid adferre, quod ad propositũ non attineat: & nõ cauere, ne quisquã obijcere possit, Nihil ad Bacchũ, nihil ad chordã, nihil ad uersum. Res ipsa.) Hoc est, perfecta species & figura dicendi, quã quærimus. Altè repetita.) ab ultimo principio incepta. Pulchra locutio, & Ciceroni familiaris. Sic Virgilius: Quid causas petis ex alto?

Aut reprehendent.) Facilius est ijs satisfacere qui mirantur, quàm qui reprehendunt. Nam qui mirantur, cognita causa, mirari desinunt: qui aũt reprehendunt, putant se melius rem intelligere: itaque plerũque fit, ut rationes audire meliores

liores nolint. Inusitatas uias.) Ab iter facientibus sumpta metaphora. Securius enim esse putant, tritã à multis uiã sequi, quàm inusitatã ingredi. Vnde Pythagoras pręcipere solebat, ἐκτὸς λεωφόρου μὴ βαδίζειν: hoc est, extra publicã uiã ne deflectas. Licet hoc per allegoriã intelligatur, mores & consuetudinẽ uulgatam esse sequendã. nam loquendũ est ut plures, sapiendũ ut pauci. Quin diuersum etiã ab hoc præceptũ dedit Pythagoras, λεωφόρῳ μὴ βαδίζειν, Per publicam uiã ne ambules: quo monebat (quemadmodũ sentit D. Hieronymus) ne uulgi errores sequamur: quoniam, ut rectè scribit Horatius,

Interdum & uulgus rectum uidet, est ubi peccet.

Ego aũt & me sępe noua uideri dicere intelligo, cũ peruetera dicã, sed inaudita plerisq;: & fateor me oratorẽ, si modò sim, aut etiã quicũq; sim, nõ ex rhetorũ officinis, sed ex Academiæ spacijs extitisse.

Reprehensoribus hoc loco respondet, & eos ignorantiæ primò coarguit, quòd ea putent esse noua quæ peruetera sunt. deinde, à Philosophia se plurima adiumenta ad dicendum accepisse ostendit. Ego autem.) Non me latet, inquit, imperitorum sensus, qui noua putant ea, quæ nunquam audierunt. Peruetera.) Vel quæ iampridem à philosophis tractata sunt, ut à Pythagora, Platone, Xenocrate: uel quæ reliqua omnia præcedunt, quoniam sunt æterna, cum cætera oriantur & intereant. Pauci uerò sunt, qui philosophiæ dent operam. ideo dicit, hæc inaudita esse plerisq;, atque idcirco uideri noua. Nouum enim uidetur, quod aliàs non auditum est. Me oratorem.) Modestè de se loquitur, ne arrogãs esse uideatur. nam (ut ait Quintilianus) omnis iactatio sui uitiosa est, eloquentiæ tamen in Oratore præcipuè, quę non modo fastidiũ audientibus, sed etiam plerunq; odium adfert. Rhetorũ officinis.) In quibus dicendi præcepta traduntur. & metaphoricè locutus est. Nã officina propriè est, ubi artifices opera sua conficiũt: sicuti taberna, ubi aliquid uenditur, ut ait Valla. Ideo primo de Offic. ait Cicero: Opifices omnes in sordida arte uersantur, nec uerò quicquam ingenuũ potest habere officina. Sed per translationẽ Cicero uocat officinas, & rhetorũ & philosophorũ scholas. ut de Claris orat. Domus Isocratis quasi ludus quidam atq; officina dicendi. & primo de Legibus ait, philosophos quasi officinas instruxisse sapientiæ. Ex Academiæ spacijs.) hoc est, è Platonica philosophia. Quoniã in Academia Plato docuit: id erat nobile gymnasium Athenis, sic ab Academo quodam heroe nominatũ. in eo loco qui uersabantur unà cum Platone, ornamentis omnibus & animi & corporis dediti erant. Vnde factũ est apud Gręcos prouerbiũ, ut cum aliquem doctũ & nitidum, ac elegantẽ hominem significare uellent illi, dicerent, Ἀκαδημίηθεν ἥκεις: id est, ex Academia uenis. Tradunt enim, Platonem preciosis & nitidis uestibus delectari solitum, ut eximiæ sapientiæ corporis etiam ornatus accederet: quod etiam de Aristotele Platonis discipulo legimus. Spacia uocat ambulationes, in quibus philosophi docebant. unde etiam spacia facere, primo de Oratore, ponitur pro eo quod est ambulare.

Illa enim sunt curricula multiplicium, uariorumq; sermonum, in quibus Platonis primùm sunt impressa uestigia.

Hæc est exegesis, hoc est interpretatio, qua declarat quæ sint Academię spacia: sed trãslatione pulchra utitur, à cursoribus sumpta. Sensus est: Multiplices & uariæ scientiæ fuerunt in Academia tractatæ, quarum princeps Plato fuit. Curricula.) Propriè sunt loca in quibus currimus. sed ponitur etiã pro cursu, & pro paruo curru. Apud Ciceronẽ ferè translatum est: ut pro Rab. Exiguum nobis uitæ curriculũ natura circumscripsit, immensum gloriæ. Sępissimè uerò pro aliquo studij genere ponitur. ut de Senect. Hæ sunt exercitationes ingenij, hæc curricula mentis. pro Mar. Nec fas esse ducebam, uersari me in uestro

ueteri curriculo. Hoc loco pro exercitatione capere uidetur. Quod autem ait multiplicium, id etiam in Acad. de Platone posuit: Platonis, inquit, auctorita te, qui uarius, multiplex & copiosus fuit. Platonis primum.) Nam ante Platonem in Academia nemo docuerat. Hunc autem locum ad philosophandū elegit Plato, uel quòd esset à turba remotus, in suburbano: uel quòd in eo natus esset, ut quidam aiunt: uel quòd parum saluber esset, ut corporis intemperantiam castigaret. quæ sanè ratio mihi non satisfacit. Vestigia.) Perstat in metaphora: quoniam curricula dixerat, in quibus cursores imprimunt uestigia. Solebant autem in utranq; partem de rebus omnibus Academici disputare: atque ideo Cicero sermones eorum uarios & multiplices appellat.

Sed & huius & aliorum philosophorum disputationibus, & exagitatus maximè Orator est, & adiutus.

Cum se prius ex Academiæ spacijs Oratorē esse dixisset, nunc ostendit in quibus discrepet à philosophis orator, & in quibus conueniat, & ab illis adiuuetur. Plato, inquit, & cæteri philosophi exagitarunt quidē suis disputationibus Oratorē, sed etiā adiuuerunt. in dialogo qui Gorgias inscribitur, Plato facit Socratē cum Gorgia Leontino, & eius discipulo Polo, de rhetorica disputantem, & eam artē quasi irridentē. Quin multis in locis apud Platonem Rhetores exagitantur: ut in Phędro, in libris de Rep. Quod autem adiutū esse oratorem à philosophis dicit, ad illud respicit, quòd Pericles Anaxagoram, Demosthenes Platonem frequenter audiuerit.

Omnis enim ubertas, & quasi sylua dicendi, ducta ab illis est, nec satis tamen instructa ad forenses causas, quas (ut illi ipsi dicere solebant) agrestioribus Musis reliquerunt.

Ratio est, cur à philosophis adiutus sit orator. quoniā (inquit) ab eis omnē copiā, & dicendi materiam accipit. hoc est quod etiam Horatius ait in Arte:

Scribendi rectè, sapere est & principium, & fons:
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ,
Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur.

Quasi sylua.) quā Græci uocant ὕλην, id est materiā. Nihil est enim, de quo philosophi non loquantur, cum res omnes diuinas atq; humanas sibi tractandas sumant. Ad forenses causas.) Quoniam (ut alibi dicit) philosophorū oratio neruos non habet oratorios, quę magis sermoni, quàm contentioni similis est. Agrestioribus Musis.) Sic enim philosophi forenses causas appellabāt: quoniam in eis, ut frequenter agrestes homines solent, Oratores uociferātur, clamant, litigant, & sæpe de rebus tantū pecuniarijs certant. In Partitionibus Cicero duo genera hominum facit: alterum agreste, quod utilitate ac lucro: alterum uerò urbanū, quod honestate magis mouetur. Quin aliquando Cicero philosophicas disputationes solet appellare Musas mansuetiores. ut ad Lentulum epist. 1. Nam etiā ab orationibus disiungo me ferè, referoq; ad mansuetiores Musas, quæ me maximè, sicut iam à prima adolescentia, delectant. nam Cicero pro quacunq; doctrina Musam ponit: ut 5. Tuscul. Quis est enim omniū qui modò cum Musis, id est cum humanitate, et cum doctrina, habeat aliquod commercium. & ad Atticum 2. Cum omnibus Musis rationem habere cogito. Vnde apud Græcos, uir omni scientia destitutus, ἄμουσος appellatur: hoc est, ut Cicero pro Archia uidetur interpretari, auersus à Musis. Hinc illud prouerbium, Indoctos à Musis atque Gratijs abesse. Sic Athenæus parum eruditas fabulas, ἀμουσολογίας uocat. Contrà μουσικώτατον Græci uocant, hominem maximè eruditum & politum: quasi quis Latinè dixerit, omnibus Musis instructum. Quoniam igitur apud uulgum imperiti homines (quod ait Aristoteles & Quintilianus) plerunq; uidentur ingeniosiores in dicendo, quàm eruditi, ideo Musas agrestes uocant.

Sic

Sic eloquentia hæc forensis, spreta à philosophis, & repudiata, multis quidem illa adiumentis, magnisq́ caruit: sed tamen ornata uerbis, atque sententijs, iactationem habuit in populo, nec paucorum iudicium reprehensionemq́ pertimuit.

Docet qua ratione à Philosophia distincta sit eloquentia forensis. Quoniam (inquit) eam philosophi spreuerunt, qui poterant ei plurimum prodesse. Populares homines eius studium amplexi, uerborum luminibus exornarunt: & populi iudicio contenti, quid de se philosophi sentirẽt, penitus neglexerũt. Eloquentia forensis.) Est enim duplex Rhetorica: altera forensis, altera philosophica. quod secundo de Finibus ostendit Cicero, cũ ait: Obsequar igitur uoluntati tuæ, dicamq́ si potero rhetoricè: sed hac Rhetorica philosophorum, non nostra illa forensi, quam necesse est, cum populariter loquatur, esse interdum paulo hebetiorem. Hanc igitur forensem eloquentiam, quæ hebetior est, philosophi spreuerunt: non illã doctam & elegantẽ, quã & in Platone, & in Aristotele uidemus. Repudiata.) Quoniam ab administratione Reip. remoti, suis tantum studijs uacabant. Multis adiumentis.) Quoniam rerũ cognitio, quam philosophi sibi uendicant, uerborũ copiã alit: ut ait Crassus 3. de Orat. Sed tamen.) Duabus de causis ostendit eloquentiã in populo multũ ualuisse, licet esset à rerũ cognitione separata: primò, propter elocutionẽ & ornamenta uerborũ: deinde, propter sententias hominũ opinioni accõmodatas. Paucorũ iudicium.) id est, philosophorũ. sensus est: Quamuis oratores philosophi reprehenderent, & eos imperitos iudicarent, tamen populo iudice contenti, nequaquam à proposito destiterunt.

Ita & doctis eloquentia popularis, & disertis elegans doctrina defuit.

Concludit hanc partem. Vbi aduertendum est, à Cicerone magnam poni differentiam inter doctos & disertos. Doctos enim, philosophos appellat, qui popularem eloquentiam negligunt: disertos uerò uocat Oratores, qui tantum forensi eloquentia instructi, Philosophiam non attigerunt. Quod autem ait eloquentiam popularem philosophis defuisse, id non ita intelligendum est, quasi nulli Philosophi fuerint eloquentes: hoc enim falsum est. quoniã in Platone atq́ Xenophonte tanta fuit eloquentia, ut Iouem, si loquatur, dicant nõ alijs uerbis quàm Platonis usurum, et Xenophontis ore Musas fuisse locutas: & tertio de Oratore dicat Crassus, Socratem eloquentia, uarietate, copia, quã se cunq́ in partem dedisset, omnium fuisse facile principem: sed quia causas forenses non agebant. Atque ideo primo de Oratore, tradit Antonius, non aliam ob causam Socratem, nisi propter imperitiam dicendi, fuisse condemnatum. Qui duo loci contrarij uidentur. cum tamen, si rectè intelligantur, multum conueniant. Et disertis.) M. Antonius dicebat, multos à se disertos uisos fuisse, eloquẽtem uerò neminem. quoniã disertum eum esse statuebat, qui ex communi sensu ornatè posset & copiosè dicere: eloquentem uerò, qui non tantum ornatè, sed etiam sapienter & doctè de omnibus rebus uerba facere posset. Disertus etiam dicitur, quicunq́ copiosè loquitur, etiam si nullam habeat scientiam. ut Catullus:

Est enim lepôrum Disertus puer, & facetiarum. Sic Horatius:
Fœcundi calices quem non fecere disertum?

Elegans doctrina.) Quæ alio modo, diligens ratio differendi uocaẽ, ut initio Topicorum: aliquando subtilitas differẽdi, ut primo de Oratore: nonnunquam ratio de omnibus rebus in utranq́ sententiam dicendi, ut tertio de Oratore. Quin M. Antonius secundo de Orat. uim incredibilem dicendi uocat, quam in Carneade summam fuisse ostendit. sic enim ait: Carneadis uerò uis

uis incredibilis illa dicendi,& uarietas,perquàm esset optanda nobis. Qui ue rò perfectè coniunxerit elegantem doctrinam cum eloquentia populari,nullum adhuc fuisse constat. Ideo dicebat Antonius, uix Deo concessum esse, ut perfectam haberet eloquentiam. Est autem hoc loco figura, quæ ἀνταναίρεσις uocatur. Nam doctos cum disertis comparando, quid inter se differant, ostendit: & utrisque aliquid adimit, quod alteris attribuat. Illud etiam notandum est,eloquentiam aliquando simpliciter dici,quæ ita definitur in Partitionibus: Eloquentia est,copiosè loquens sapientia. aliquando cũ adiunctione, & tunc uel popularis,uel Philosophica dicitur.

Positum sit igitur in primis, quod pòst magis intelligetur, sine Philosophia non posse effici quem quærimus eloquentem: non ut in ea tamen omnia sint, sed ut sic adiuuet, ut palæstra histrionem. Parua enim magnis sæpissimè rectè conferuntur.

Hoc loco disputationẽ ingreditur, qua probat Oratori futuro necessariam esse Philosophiæ cognitionem: quoniã superius se Oratorẽ ait ex Academiæ spacijs extitisse. Hoc igitur primò exemplis ostendit: deinde rationibus, à singulis Philosophiæ partibus sumptis: postremò Antonij auctoritate, atq; inde ad propositã quęstionẽ reuertitur. Positũ sit igitur.) Hæc est propositio, quę cum distinctione quadã profertur. Sensus est: Philosophia quidẽ Oratori necessaria est, sed tamen eum non perficere potest. Positum sit.) Philosophica locutio est. nã positiones Philosophi, uocant eas propositiones, quæ sine probatione ponuntur, & quarũ in aliud tempus probatio differtur. Græci θέσεις uocant. Quem quęrimus.) id est perfectũ. Nam mediocris Orator etiã sine Philosophia potest esse. hoc autẽ loco perfectũ quærit. Non ut in ea.) Neq; enim per se Philosophia potest Oratorẽ efficere, nisi accedant artis præcepta, & frequens exercitatio. Vt palæstra.) Histriones, qui etiam Ludij & Hypocritæ uocabantur, ideo palæstram discebant, non ut luctarentur, aut certarẽt, sed ut in formandis gestibus, aptius membra omnia mouerẽt. ita Orator ideo Philosophiã nosse debet, non ut philosophorũ more disputet, sed ut doctiorẽ & pleniorẽ orationẽ efficiat. Quoniã uerò similitudo hæc humilior esse uidebatur, quàm rei dignitas postularet: ideo sententiosam rationẽ adiungit, sæpissimè fieri, ut parua magnis rectè conferantur. de qua re Virgilius dubitare uidetur, cum ait: *Si parua licet componere magnis.*
Sed Homerus Heroas illos suos non tantum leonibus, ursis, apris, sed etiam muscis frequenter comparat. Vt non absurdum sit, si Oratorem histrioni conferat Cicero.

Nam nec latius, nec copiosius de magnis, uarijsq; rebus, sine Philosophia, potest quisquam dicere.

Prima ratio, cur Oratori Philosophia necessaria sit: quoniã sępe accidit, ut de magnis et uarijs rebus Oratori dicendũ sit: quod sine cognitione Philosophię facere nullo modo potest, cũ maximæ quæq; res ad Philosophiã referantur.

De magnis.) Aristoteles Rhetoricorũ libro primo, quinq; maxima esse scribit, de quibus Oratores in ciuitatibus uerba facere & cõsultare solent: hoc est, de uectigalibus, de bello & pace, de custodia regionis, de rebus exportandis & importandis, & de ferendis legibus: de quibus omnibus latè & copiosè scire debet Orator disserere. Varijs.) Rerum uarietatẽ ubiq; Philosophię attribuit, sine qua inanis est omnis oratio. Nam (ut in primo de Inuentione legimus) uariare orationẽ magnopere oportebit. nã omnib. in rebus similitudo est satietatis mater. Sed cauendũ est, ne id accidat quod Horat. in Arte poet.

Qui uariare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum syluis appingit, fluctibus aprum.

Quod

Quod imperitis oratoribus frequenter accidit, ut dum orationẽ uariare cupiunt, ea conquirant, quæ nihil ad propositum facere uideantur.

Siquidem etiam in Phædro Platonis, hoc Periclem præstitisse cęteris dicit oratoribus Socrates, quòd is Anaxagoræ physici fuerit auditor, à quo censet eum, cum alia præclara quædam & magnifica didicisset, uberem & fœcundum fuisse, gnarum'que (quod est eloquentiæ maximum) quibus orationis modis quæque animorum partes impellerentur.

A'Periclis exemplo probat, in Oratore necessariã esse Philosophiã. is enim nunquã tantam dicendi facultatẽ comparasset, nisi Anaxagoræ physici discipulus fuisset. Pericles Atheniensium princeps, & in bello & in pace uir maximè egregius fuit: sicut ex eius uita, quam Plutarchus copiosè scribit, intelligi potest. Quod autem ad propositũ attinet, fuit etiã dicendi laude clarissimus: q̃d ait in Bruto Cicero. Huius suauitate maximè hilaratæ sunt Athenę: huius ubertatem & copiã admiratę, eiusdẽ uim dicendi terrorẽq; timuerunt. huius labris suadelam sessitauisse, scripsit Eupolis. Aristophanes dixit eum fulminare, tonare, Græciam permiscere. Illud autem de hoc uiro memorandũ, quòd licet esset eloquentissimus, nunquam tamen uerba facere uolebat, nisi diligenter præmeditatus fuisset. Vnde cũ aliquando populus eum rogaret, uti uerba faceret, respõdit, ἀσύντακτός εἰμι. Hanc tantã eloquentiã Socrates existimabat eũ ab Anaxagora philosopho didicisse. Fuit aũt Anaxagoras Clazomenius genere, qui primus à mẽte diuina dixit fuisse omnia creata, cũ antea tantũ ὕλη, hoc est materia esset inordinata: unde cognomento νοῦς dictus fuit. auctor Diogenes Laertius. Patrimoniũ omne suũ amicis donauit, & Philosophiæ totũ se tradidit. Dicebat hominẽ ideo natũ esse, ut cœlũ cõtemplaretur. Cum ab Atheniensibus condemnatus fuisset, quòd de deis malè sentiret, & Solẽ nihil aliud esse diceret quàm candentẽ ferri massam, eum Pericles liberauit. Aiunt eum tanta fuisse constantia, ut cum filiorũ mors illi nunciata fuisset, nihil cõmotus dixerit: Sciebam me genuisse mortales. Cic. Tusc. 1. de huius philosophi morte sic ait: Præclarè Anaxagoras, qui cum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, uellet'ne Clazomenas in patriã, si quid ei accidisset, afferri: Nihil necesse est, inquit: undiq; enim ad inferos tantundẽ uię est. In Phædro.) Platonis dialogus est, qui Phædrus inscribitur, à Platonis discipulo qui Phædrus dicebatur. Præclara quædam.) Plato ait Periclem ab Anaxagora μετεωρολογίαν didicisse, hoc est, rationem earum rerum quæ in sublimi fiunt: & φύσιν νοῦ τε καὶ ἀνοίας, hoc est, naturam mentis & dementiæ. Hæc sunt quæ præclara & magnifica uocat Cicero. Vberem.) Sic enim Plato, πάντων τελειότατος εἰς τὴν ῥητορικήν, omnium in arte Rhetorica perfectissimus. Animorum partes.) Hoc est, appetitus & ratio. de quibus primo de Officijs ait Cicero: Duplex est enim animorum uis, atq; naturæ. una pars in appetitu posita est, quę est ὁρμὴ Græcè, quæ hominem huc atq; illuc rapit: altera in ratione, quæ docet & explanat quid faciendum fugiendumq; sit. Ita fit, ut ratio præsit, appetitus obtemperet.

Quod idem de Demosthene existimari potest, cuius ex epistolis intelligi licet, quàm frequens fuerit Platonis auditor.

Secundum exemplum, à Demosthene, qui Platonẽ studiosè dicitur audiuisse. A. Gellius libro 3. cap. 13. ita inquit: Hermippus hoc scriptum reliquit, Demosthenem admodum adolescentem uentitare in Academiam, Platonemq; audire solitum. Primo de Oratore tradit, Demosthenem Platonis studiosum audiendi fuisse: ut uim illam qua cæteris præstitit oratoribus, potius à

Philo-

Philosophia, quàm à Rhetoricis præceptis accepisse uideatur.

Nec uerò sine philosophorum disciplina genus & speciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus: nec iudicare quæ uera, quæ falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia uidere, ambigua discernere.

A' Philosophiæ partibus probat, eam oratori necessariam. Est enim, ex Platonis sententia, Philosophia in tres partes distributa: in differēdi subtilitatem, in uitam & mores, & in naturæ obscuritatem. Ac primò ostendit, differendi subtilitatem, quæ Logica uocatur, ita necessariam esse Oratori, ut sine illa nihil quod egregium sit, præstare possit. Quærit enim Orator causarum genera, & partes: quæ rectè nullo modo poterit intelligere, nisi prius quid genus, quid species sit, benè perceperit. Hoc autem à Logicis traditur. Præterea sæpe necesse est Oratorem definire, diuidere, argumentari: atqui hæc tria præcipua sunt Logici officia. Quid? consequentias & repugnantias rerū, ambiguitates uerborum, quis sine Logica uidere, aut discernere possit? quæ cum Orator præstare debeat, omnino ut Logicam discat oportet.

Quid dicam de natura rerum, cuius cognitio magnam Oratori suppeditat copiam?

Secunda Philosophię pars Physice nuncupatur, quę rerū causas & elementa atq; principia peruestigat, & deniq; rerum omnium naturam inquirit: quæ cognitio sine dubitatione longè pleniorem potest orationem efficere.

Quid de uita, de officijs, de uirtute, de moribus, sine multa earum ipsarum rerum disciplina, aut dici aut intelligi posse?

Tertia & ultima pars Philosophiæ uocatur Ethice, quæ de uita & moribus tractat: quam omnino necesse est Oratorem addiscere, alioqui munus suum obire minimè poterit. Aristoteles Rhetoricorum lib. 1. duas tantum Philosophiæ partes Rhetoricæ attribuit, hoc est Dialecticam & Politicam: ex quibus uult ipsam Rhetoricam uniuersam constare.

Ad has tot tantasq; res adhibenda sunt ornamenta innumerabilia, quæ sola tum quidem tradebantur ab ijs, qui dicendi numerabantur magistri.

Hactenus quid à Philosophis habere debeat Orator, ostendit. nunc uerò docet etiam, quid à Rhetoribus accipiat. Tantas res.) quantas tractant & docent Philosophi. Ornamenta.) quæ uel ad inuentionem attinent, ut quo modo sit exordiendum, narrandum, confirmandum, perorandum: uel ad dispositionem, ut quid quoq; loco dicendum sit: uel ad elocutionem, ut quibus rebus polita fiat & figurata locutio. Quæ sola.) Nihil enim aliud Rhetores tradunt, nisi quod ad expoliendam orationem pertinere uideatur.

Quo fit, ut ueram illam & absolutam eloquentiam nemo consequatur, quòd alia intelligendi, alia dicendi disciplina est: & ab alijs rerum, ab alijs uerborum doctrina quæritur.

Causam adfert, cur nemo perfectè fiat eloquens: quoniam, inquit, distinctæ sunt professiones, & alij sunt qui Philosophiā, alij qui Rhetoricā doceāt.
Intelligendi.) Multis in locis intelligendi scientiā Cicero Philosophiā appellat: quoniā sine Philosophia nemo quicq; rectè intelligit. Appellat etiā doctrinā rerū, quoniā non tam uerba, quàm res ipsas philosophus cōsiderare debet: &, ut apud Platonē Socrates docet, si res intelligatur, de uerbis non admodum soliciti esse debemus. Rhetoricam uerò, doctrinam uerborum appellat: quoniam

quoniam id unum præcipuè rhetores spectant, ut ornatis atque figuratis uerbis utantur. Quòd si quis rerum perfectam intelligentiam cum uerborum doctrina coniungeret, is perfectus esset orator: sed talis nemo unquam extitit.

Itaque M. Antonius, cui uel primas eloquentiæ patrum nostrorum tribuebat ætas, uir natura peracutus & prudens, in eo libro quem unum reliquit, disertos ait se uidisse multos, eloquentem omnino neminem.

Ab auctoritate M. Antonij probat, neminem esse perfectæ eloquentem. Fuit autem hic M. Antonius, M. Antonij triumuiri auus, uir ualde disertus, de quo in libris de Oratore multa Cicero. Tradit Valerius Max. hunc tanta eloquentia præstitisse, *Lib. 8. cap. 9.* ut cum à Mario & Cinna milites ad eum obtrucandum missi fuissent, sermone eius obstupefacti, districtos iam gladios uaginis reddiderint: donec P. Antonius superueniens, eum interfecerit. Vel primas.) Eodē tempore duo fuerunt summi oratores, L. Crassus, & M. Antonius. Sed alibi Cicero L. Crassum M. Antonio præponit. hic igitur ex aliorum opinione loquitur. Natura.) Quoniam doctrinis non admodum erat instructus, sed à natura quasi formatus ad dicendū. Longè enim præstantior est natura, quàm doctrina. quod Olympiorum oda secunda declarat his uerbis Pindarus: σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ. μαθόντες δὲ, λάβροι παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὣς ἄκραντα γαρύετον. In eo libro.) Libellum tantum unum, eumque de arte dicendi, reliquit Antonius: quem tamen sibi imprudenti excidisse dicebat. Nam orationes suas idcirco se non scribere dictitabat, ut si quando accideret aliquid contra eum dicere, quem postea defensurus esset, non fuisse dictum à se, posset affirmare. auctor Val. Max. *Lib. 7. cap. 3.* Disertos ait.) Quæ sit inter disertum & eloquentem differentia, superius iam dictum est.

Insidebat uidelicet in eius mente species eloquentiæ, quam cernebat animo, reipsa non uidebat. uir autem acerrimo ingenio (sic enim fuit) multa & in se & in alijs desiderans, neminem planè qui rectè appellari eloquens posset, uidebat.

Ratio, quare M. Antonius neminem se uidisse eloquentem diceret: quoniam animo cernebat speciem eloquentiæ, quam in nullo homine uidebat. In eius mente.) Ponit mentem pro memoria, animū uerò pro cogitatione. alioqui mens animi pars est sublimior, qua diuina contemplamur. ut Ouidius ait *Met. 15.* de Pythagora:

Mente Deos adijt, & quæ natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.
Cumque animo & uigili perspexerat omnia cura,
In medium discenda dabat. —

Hac de causa Socrates apud Platonem in Philebo dixit, mentem cœli terræque reginam esse: Omnes (inquit) sapientes in hac re cōsentiunt, ὡς νοῦς ἐστι βασιλεὺς ἡμῖν οὐρανοῦ καὶ γῆς. nam in mente uiget sapientia, qua sine dubio reguntur uniuersa. Menander apud Plutarchum censet mentem in nobis deum esse: & certè etiam Theologi nostri, mentem hominis Dei similitudinem atque imaginē habere confirmant. Sunt autem in mente rerum species, quas cum uolumus, nobis ipsa phantasia repræsentat. Hoc est quod ait Cicero, M. Antonium animo cernere solitum eloquentiæ speciem, quæ in mente eius insidebat. Nam animum pro ea quam Græci φαντασίαν uocant, posuit. Acerrimo ingenio.) Id est acutissimo, & promptissimo. sæpe enim hoc epitheto utitur Cicero, ut acre iudicium, ut acre studium, acre ingenium appellet. Oculorum etiam sensum acerrimum uocat. Acrem animū pro forti dixit pro Milone: Milo se acri

animo defendebat. Et in se.) Quia sibi in dicendo non planè satisfaciebat. nam quamuis suum cuique pulchrum sit, ut est in prouerbio, et omnes φιλαυτία decipiat: tamen qui sunt acri iudicio, suis etiam in rebus offenduntur, et ad perfectionem sibi multa deesse præclarè intelligunt. Et in alijs.) Hoc longè facilius est. Solemus enim acutius aliena uitia uidere, quàm nostra. quod Horatius ita notat:

Arist. 9. Ethic.

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum uitijs tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Desiderans.) Ea tantum quæ absunt, desideramus. Id autem cui aliquid deest, perfectum esse nullo modo potest. Cum igitur & in se, & in alijs Antonius multa desideraret, meritò neminem appellari posse eloquentem censebat. Itaque ab Antonij auctoritate probauit, quod initio proposuerat, esse quandam in animo perfectæ eloquentiæ speciem. atque ideo concludens hanc partem, ita subiungit:

Quod si ille nec se, nec L. Crassum eloquentem putauit, habuit profectò comprehensam animo quandam formam eloquentiæ: cui quoniam nihil deerat, eos quibus aliquid, aut plura deerant, in eam formam non poterat includere.

Eodem tempore fuerunt duo summi oratores, M. Antonius, & L. Crassus: quorum Crassus longè doctior habebatur, Antonius acutior in refellendo, uterque tamen reliquis omnibus præstabat. unde bene argumentatur Cicero: si Antonius neque se, neque Crassum eloquentem existimabat, ergo putabat aliquam eloquentiæ formam inueniri præstantiorem ea, quam ipse & Crassus consecuti fuerant. Fuit autem L. Crassus, præter summam eruditionem & eloquentiam, etiam suauissimo uir ingenio, quemadmodum in libris de Oratore Cicero docet: & præterea uir integerrimus. Tradit Valer. Max. quo tempore Crassus prouinciam Galliam obtinebat, in eam Gn. Carbonem uenisse, cuius patrem Crassus damnauerat, ut si qua inre posset, inimicum patris sui notaret, & Romæ deinde accusaret. Crassum autem tanta fiducia fuisse, ut Carboni locum in tribunali suo assignaret, nec ulla de re, nisi eo in consilium adhibito, cognosceret. Quin etiam quo tempore Carbonem patrem accusabat, cum Carbonis seruus scrinium ad eum attulisset, in quo plura continebantur, quibus Carbo facilè poterat opprimi: non modò non illud accepit, sed ut erat signatum, cum seruo catenato ad ipsum Carbonem inimicum suum remisit: auctor idem Valer. Max. Comprehensam animo.) Quoniam perfectæ rerum formæ in nullo consistunt indiuiduo, sed tantum animo cernuntur. Nihil deerat.) quia perfecta erat. In eam formam.) Cum enim forma res perficiat, atque eis appellationem attribuat, uidetur eas quodammodo includere. Nihil est igitur quod forma sua non sit inclusum. uerùm formæ diuersæ sunt: aliæ enim perfectiores sunt, aliæ minus perfectæ. una tantum ea quæ in animo insidet, planè perfecta est: reliquis omnibus aliquid, aut plura desunt. Oratores igitur omnes, sicuti etiam reliqui artifices, in aliquam formã includuntur: sed nemo in eam quæ est in animo, quia nemo perfectus inuenit.

Lib. 3. Cap. 7.

Lib. 6. Cap. 5.

Inuestigemus hunc igitur Brute, si possumus, quem nunquam uidit Antonius, aut qui omnino nullus unquam fuit: quem si imitari atque exprimere non possumus, quod idem ille uix Deo concessum esse dicebat, attamen qualis esse debeat, poterimus fortasse dicere.

Postquam satis sibi probasse uidetur, esse aliquã perfecti oratoris speciem, quæ tantũ animo cernatur: nunc cõcludit simul, & proponit, eã se inuestigare uelle, & dicere qualis esse debeat. Inuestigemus.) Metaphora sumpta à uenatoribus,

toribus, qui uestigia ferarũ sequentes, eas frequenter inueniunt. Ergo inuestigare, est diligenter inquirere. Sed interdum inuenire significat. Terentius: Nihil tam difficile, quin quærendo inuestigari possit. Nunquam uidit.) oculis corporis, licet animo cõprehenderet. Aut qui.) ἐπανόρθωσις, siue correctio. *in Heaut.*

Quem si imitari.) ut tales esse possimus, qualis ipse est. Vix Deo.) Hyperbole. nã Deus omnia potest, & omnes in se perfectiones habet. Vnde celebratur illud, ἀπροσδεὴς ὁ θεός: id est, nullius rei indigẽs Deus. Quin quoties uolumus ostendere uirum aliquem esse singularem & eximiũ, Deum illũ esse dicimus. ut libro 2. de Orat. In quo tu mihi Deus esse uideris. & in Adelphis Terentius: Apud illum Deum te facio. Socrates apud Platonem in Menone, ait hanc Laconum esse consuetudinem, ut quoties aliquem uirum admirantur, dicant, θεῖος ἀνὴρ οὗτος: id est, diuinus uir hic est. Quintilianus etiam libro 1. uirum omni laude cumulatum uulgò mortalem deum appellari solitum ostendit. Qui uerò sese ingeniosè rebus egregijs accommodant, eos primo de Oratore Cicero quasi à Deo fictos uocat: Sunt autem (inquit) quidam ita naturæ muneribus in ijsdem rebus habiles, ita ornati, ut non nati, sed ab aliquo Deo ficti uideantur. Vsus est igitur hyperbole M. Antonius, cum dixit, Vix Deo concessum esse, ut perfectus orator esse possit. Poterimus fortasse.) Dubitat etiam, ne uerbis exprimere non possit, quod animo complectitur. quoniam multa sentimus, quæ nõ possumus eloqui. Atq; ille sanè disertus est, qui dicendo sensa animi rectè potest exprimere.

Tria sunt omnino genera dicendi, quibus in singulis quidam floruerunt: peræquè autem, id quod uolumus, perpauci in omnibus.

Hactenus pręfatione usus est, qua & quæstionẽ proposuit, et causam attulit, quare tam pauci sint aut fuerint eloquentes. Nunc dicendi genera distinguit, ut quod' nam eorũ sit optimum aperiat. Cum igitur tria sint dicendi genera, unum sublime, alterũ humile, tertiũ æquabile & temperatum, in unoquoq; (inquit) aliqui floruerunt: ut in sublimi Aeschines, in tenui Lysias, in temperato Isocrates. Sic apud nos in grandi Liuius, in exili Terentius, in æquabili Cęsar. Sed qui æqualiter in omnibus florerent, perpauci aut nulli fuerunt. A. Gellius libro 7. cap. 14. ait & in carmine, & in soluta oratione tria esse probabilia dicendi genera, quæ Græci χαρακτῆρας uocant, eaq; uocari ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον: quæ nos appellamus, uber, gracile, mediocre. Exempla in Latina lingua M. Varro esse dicit, ubertatis Pacuuium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium. Ait hæc tria genera tradita ab Homero, in tribus uiris: magnificum & uber in Vlysse, subtile in Menelao, mixtum moderatumq; in Nestore. quæ tripertita uarietas animaduersa est in tribus philosophis, quos Athenienses Romam miserunt, uti multam Romani, quam illis indixerant propter Oropi uastationem, remitterent. Fuerunt autem, Carneades ex Academia, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus. uiolenta & rapida Carneades dicebat, scita & teretia Critolaus, modesta Diogenes, & sobria. Seruius ait, à Virgilio tria hæc dicendi genera fuisse expressa: ἰσχνὸν, siue humile, in Bucolicis: μέσον, id est mediocre & temperatum, in Georgicis: ἁδρὸν, id est grande & sublime, in Aeneide. Cicero etiam in epistolis utitur ferè humili genere dicendi. sic enim ait, ad Petum scribens: Epistolas quotidianis uerbis texere solemus. In libris Philosophicis mediocre dicendi genus sequitur. unde in proœmio librorum de Officijs ait: Sed hoc quoq; colendum est æquabile & temperatum orationis genus. In orationibus autem uarius est, & multiplex. nam in eadẽ oratione, prout causa postulat, aliquando sublimis, aliquando tenuis, aliquando mediocris esse perspicitur. Sunt etiam orationes unius generis multæ: ut pro Cornelio Balbo tota grauis, pro A. Cecinna tenuis & subtilis, pro lege Manilia mediocris & temperata.

Nam & grandiloqui (ut ita dicam) fuerunt cum ampla & sententiarum grauitate, & maiestate uerborum, uehementes, uarij, copiosi, graues, ad permouendos & conuertendos animos instructi, & parati: quod ipsum alij aspera, tristi, horrida oratione, neq; perfecta, neq; conclusa: alij leui, & instructa, & terminata, sunt consecuti.

Vnumquodq; dicendi genus in oratoribus quale sit, ostendit, ac primò de sublimi uerba facit. Qui uolunt, inquit, grandiloqui esse oratores, id primò student, ut graues sententias inueniant, & uerba maiestate plena: deinde, ut uehementer, uariè, copiosè, grauiter dicant: postremò, ut audientium animos permoueāt. Hoc fit aut aspera, aut leni oratione. Grandiloqui.) Poeticū uerbū, potius q̃ oratorium, atq; ideo [illegible] usus est. Talis fuisse dicitur Sulpicius, de quo in libro de Claris oratoribus ita Cicero: Fuit enim Sulpicius uel maximè omnium, quos quidē ego audiuerim, grandis, & (ut ita dicam) tragicus orator. Sententiarum grauitate.) ut pro Rab. perduell. quæ oratio tota sublimis est: Quamobrē si est boni Consulis, cum cuncta auxilia Reip. labefactari conuelliq; uideat, ferre opē patriæ, succurrere saluti, fortunisq; cōmunibus, implorare ciuium fidem, suam salutē posteriorem salute communi ducere: est etiam bonorū & fortium ciuium, quales uos omnibus Reip. temporibus extitistis, intercludere omnes seditionum uias, munire præsidia Reip. summum in Consulibus imperium, summum in senatu consiliū putare. Maiestate uerborum.) Vt in eadē oratione: Ab Ioue optimo maximo, cæterisq; dijs, deabusq; immortalibus, quorum ope & auxilio, multo magis hæc Resp. quàm ratione hominū & consilio gubernatur, pacē ac ueniam peto, &c. Vehementes, uarij.) Hæc omnia quæ sublimē efficiunt orationem, uariè sparsa uidentur apud Ciceronē: sed in oratione pro Milone multis in locis clarissimè lucent, præcipuè uerò in peroratione, qua conatur iudicum animos permouere. Quod ipsum.) Inter sublimes oratores est aliqua differentia, quod aliqui tristi & horrida oratione delectantur, aliqui uerò leni & expolita.

Et contrà tenues, acuti, omnia docentes, & dilucidiora, non ampliora facientes, subtili quadam & pressa oratione limati: in eodēq; genere alij callidi, sed impoliti, & consultò rudium similes & imperitorum: alij in eadem ieiunitate cōcinniores, id est faceti, florentes etiam & leuiter ornati.

Hoc dicendi genus sublimi oppositum est, in quo qui uersantur, non quærunt res amplificare atq; augere dicendo, sed satis sibi putant docere. qualis oratio est in Epistolis ferè omnibus, in Comœdijs, in Satyris Horatij, qui ideo etiā sermones uocantur. in hoc genere subtilitas & acumen cernitur, ut in tota oratione pro A. Cecinna: Ex hoc genere oratorū qui uersantur in tenui sermone, aliqui callidi sunt, & tamē dedita opera uolunt inornati uideri, & imperitorum similes: qualis M. Antonius & Cotta fuisse dicūtur, qui ideo probabiliores fore suas orationes arbitrabantur, si literas nescire putarentur. alij sequunē quidem eandē ieiunitatem & tenuitatē dicendi, sed tamen concinniores esse uolunt, & faceti, & florentes: talis fuit Iulius Cæsar, Catuli frater, qui libro de Oratore secundo de facetijs disputat. in hoc genere sunt epistolæ Ciceronis ad Trebatium libro 7. & ad Papirium Petum libro 9. quæ & facetæ sunt, & leniter ornatę. Attici apud Gręcos hoc in genere præcipuè floruisse dicuntur: unde Attica eloquentia, id est, pressa, subtilis, & faceta.

Est autem quidam interiectus inter hos medius, & quasi temperatus, nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorū, uicinus amborum, in neutro excellens, utriusq; particeps, uel utriusq;

(si uerum

(si uerum quærimus) potius expers. isq; uno tenore (ut aiunt) in dicendo fluit, nihil afferens præter facultatem & æqualitatem: aut addit aliquos, ut in corona, toros, omnemq; orationem ornamentis modicis uerborum sententiarumq; distinguit.

Hæc est descriptio tẽperati et mediocris oratoris, qui nec subtilitatẽ tenuiũ, nec magnificentiã sublimiũ sequatur, sed mediũ quendã cursum inter utrunq; teneat. Nec fulmine.) Sumptũ ab Aristophane poeta, qui Periclis orationẽ fulminibus comparabat. Vt enim fulmẽ omnia facillimè penetrat, ita sublimis oratio facile mentẽ subit & permouet. ita Cic. Epist. 9. Ain tandẽ insanire tibi uideris, quòd imitere uerborũ meorum, ut scribis, fulmina? Quicquid autem habet uehementem impetum, ab oratoribus & poetis fulmini comparari solet, ut pro Cor. Bal. Cicero duos Scipiones, qui à Pœnis in Hispania cæsi fuerunt, duo fulmina uocat. sic enim ait: Cum duo fulmina nostri imperij subitò in Hispania Gn. & P. Scipiones extincti occidissent. quem imitatus in Georgicis Virgilius, de eisdem Scipionibus ita dixit: *Et geminos, duo fulmina belli, Scipiadas.* Quin secundo Tuscul. ad extremum, ita inquit: Non modo stimulos doloris, sed etiam fulmina fortunæ contemnamus. Vicinus amborũ.) Nam in medio est, & utriusq; extremi naturam quodammodo participare uidetur.

Vel utriusq;.) Correctio: quia reuera quod medium est, ad utrumlibet extremorum comparatum, uidetur esse contrarium, ita erit utriusq; extremi expers. Vno tenore.) Putat Erasmus hoc esse prouerbiũ, de ijs rebus quæ sui similes sunt, sibiq; ueluti perpetua quadam serie succedunt. ita in Bruto: Vnus enim tenor est orationis, & idem stylus. Aliquos, ut in corona, toros.) In coronis sunt eminentiæ quædam, quæ tori uel toruli uocantur. ita, inquit, etiam in mediocri oratione nonnunquam, sed leniter, decet assurgere, ita ut modica uerborum & sententiarũ ornamenta appareant. Torus nonnunquã lectus est, ab intortis herbis: interdum significat pulpam carnis, in qua robur est: ut Virgil. *Luxuriatq; toris animosum pectus.* —

Et 2. Tuscul. O' pectora, ô terga, ô lacertorum tori. unde Torosa iuuentus dicitur à Persio, pro forti. Toruli uerò sunt ornamenta aurea uel argentea, quæ pileis & petasis adiunguntur. ut Plautus in Amphitryone: Tum meo patri autem torulus inerit aureus sub petaso. quo uocabulo in Emblematum suorum præfatione usus est etiam Alciatus noster:

Vestibus ut torulos, petasis ut figere parmas,
Et ualeat tacitis scribere quisq; notis.

In hoc mediocri genere sunt Virgilij Georgica, libri Ciceronis omnes de Philosophia, & oratio pro lege Manilia, sicut inferius uidebimus. Apud Græcos Isocrates in hoc genere maximè floruit, cuius orationes omnes hac mediocri iucunditate refertæ sunt. & Demetrius Phalereus, etiam Philosophiæ scientia nobilis.

Horum singulorũ generum, quicunq; uim singulis cõsecuti sunt, magnum in oratoribus nomen habuerunt. sed uidendũ est, satis'ne id quod uolumus effecerint. uidemus enim fuisse quosdã, qui ijdem ornatè & grauiter, ijdem uersutè & subtiliter dicerent.

Propositis tribus dicendi generibus, ostendit neminẽ adhuc in omnibus excelluisse: eos aũt qui in uno tantũ præstiterũt, magnos oratores fuisse existimatos: ut Sulpitiũ in sublimi, Cottã in tenui, Hortensiũ in temperato: tamen hoc non satis esse ait, ad id quod Brutus quærit. Magnũ nomen.) gloriam & celebritatem. ut, *Et nos aliquod nomenq; decusq; Gessimus.* —

Videmus enim.) Non esse negatũ ostendit homini, in omnibus dicendi generibus excellere: quoniã aliqui iam fuerũt, qui et in graui atq; ornato genere,

& in subtili atq; uersuto satis egregiè uersati sint. Quosdam ait fuisse, uerùm unum tantum Demosthenem nominat, qui in diuersis generibus præstiterit.

Atq; utinā in Latinis talis oratoris simulacrū reperire possemus. esset egregium, non quærere externa, domesticis esse contentos.

Hæc est εὐχή, hoc est deprecatio, qua causam reddit, cur non Latinis exemplis utitur, ad exprimendum aliquod summæ eloquentiæ simulacrū: quia nemo talis adhuc apud Latinos extitit. Simulacrum uocat, quod ad perfectæ eloquentiæ similitudinem formatum sit. sed propriè simulacra sunt uel è marmore, uel ære, uel ebore, uel deniq; ex aliqua materia formatæ statuæ: ut Iouis Olympij simulacrum, de quo suprà: & Veneris, & Palladis, quæ Phidias fecit. Esset egregium.) Latinis scilicet. nam, ut Horatius de poetis ait,

Nec minimum meruere decus uestigia Græca
Ausi deserere, & celebrare domestica facta.

Sed ego idem, qui in illo sermone nostro qui est expositus in Bruto, multū tribuerim Latinis, uel ut hortarer alios, uel quòd amarem meos, recordor longè omnibus unum anteferre Demosthenem: qui uim accommodarit ad eam quam sentiam eloquentiam, non ad eam quam in aliquo ipse cognouerim.

Apud Latinos licet in eloquentia multi excelluissent, nullum tamen absolutæ eloquentiæ simulacrum unquam extitisse docet: neq; sanè apud Græcos, præter unum Demosthenem, qui relictis priorum uestigijs, conatus est summam eloquentiam exprimere. Illo sermone.) quo Latinos omnes oratores recensuit. Vel ut hortarer.) Duas adfert causas, quare multū Latinis oratoribus tribuerit, etiāsi non ualde pręstantes fuerint. Prima est, ut alios adhortaretur & excitaret ad eloquentiam: secunda, quòd Latinos amaret. tamē etiam in illo opere Demosthenem omnibus & Latinis & Græcis antepofuit. Recordor anteferre.) Notanda locutio, pro eo quod est, recordor me antetulisse. Vim accōmodarit.) Hoc est, qui non aliquem oratorem imitatus fuerit: sed quam in animo habebat specie eloquentiæ secutus, eam uoce repręsentare audientibus contenderit. Nam qui aliorū uestigijs insistunt, nunquam excellere possunt. unde non sine causa Horatius imitatores appellat seruum pecus: quoniam, ut serui non audent uestigia dominorū deserere, ita imitatores ne latum quidem unguem ab eo quem imitātur discedere uolūt, sic enim ait Horatius:

O imitatores seruum pecus, ut mihi sæpe
Risum, sæpe iocos, uestri mouere tumultus.

Hoc nec grauior extitit quisquam, nec callidior, nec temperatior.

In omni genere dicendi cæteris omnibus Demosthenē præstitisse uult. Nā si dicendi genus sublime spectemus, nemo (inquit) Demosthene grauior: si tenue & pressum, nemo callidior, aut acutior: si mediocre & æquabile, nemo temperatior. Nec callidior.) Oratores qui in tenui dicendi genere uersantur, modò callidos appellat, modò uersutos, modò subdolos: quoniam acumen in eo genere maximè spectatur, & causæ pręsertim pecuniariæ tenuiter aguntur, & callidè. unde rectè Plautus in Truculento dixit: Ad suum quenq; quæstum æquum est esse callidum.

Itaq; nobis monendi sunt ij, quorum sermo imperitus increbuit, qui aut dici se desiderant Atticos, aut ipsi Atticè uolunt dicere: ut mirentur hunc maximè, quo Athenas quidem ipsas magis non credo fuisse Atticas.

Hæc parænesis quædā est, quæ tamē à Demosthenis laudibus non recedit.

Verùm

Verùm sciendū est, Ciceronis tempore fuisse quosdā imperitos homines, qui Ciceronē ipsum tanq̄ Asianū & nimis redundantē uituperarent (ut Quintilianus auctor est) ipsi uerò quoddam genus dicendi sequerentur aridum et ieiunum, atq; id Atticum esse dicerent: quos tamen derisos fuisse, libro Tuscul 2. docet ipse Cicero. Hoc igitur loco admonet eos qui se Atticos dici uolunt, ut Demosthenem admirentur: quoniam ille sic Atticam expresit eloquentiam, ut nihil addi posse uideatur. Sermo imperitus.) Quoniā longè à ueritate aberrant ipsi, atq; alios in eundem errorem trahere conantur. Atticè dicere.) Cum quinq; sint apud Græcos linguæ proprietates, communis, Attica, Dorica, Ionica, Aeolica, longè cæteris lepôre & elegātia dicendi præstat Attica. unde etiam Lepos Atticus, & Attica eloquentia prouerbio celebratur. ut Terentius in Eunucho: Dixin' in hoc Atticam esse eloquentiā? Athenas quidē ipsas.) In quibus nata est, atq; alta dicendi facultas & elegantia. Est aūt Hyperbole, ad amplificandas Demosthenis laudes. Primo de Oratore, Athenas appellat omnium doctrinarum inuentrices: & ait in eis summam dicendi uim & inuentam esse, & perfectam. 12.cap.10.

Quid enim sit Atticum discant, eloquentiam'que ipsius uiribus, non imbecillitate sua metiantur. Nunc enim tantū quisque laudat, quantum se posse sperat imitari. Sed tamen eos studio optimo, iudicio minus firmo præditos, docere, quę sit propria laus Atticorum, non alienum puto.

Hæc est παρέκβασις, siue digresio quædam, qua docere conatur quid sit Atticè dicere. Ac primò uituperat commune uitium eorū, qui ea uituperant quæ ipsi non possunt assequi, & qui res non natura ipsarū, sed imbecillitate sua definiunt. Quid sit Atticū.) Quæstio nominis, quæ definitiua nominatur: quoniam Atticū dicendi genus alijs aliud esse uidetur. Sunt enim qui putent Atticū, quicquid est tenue atq; humile: quod falsum est. alij, quicquid iocosum & facetum: quod uerū est, sed non solū. Hinc Attici sales, & Attica Musa celebratur, de sermone maximè festiuo & iucundo. Plutarchus in uita Platonis ait, id uulgo Xenophonti tributū fuisse, ut Attica Musa uocaretur, propter admirabilem in dicendo iucunditatē. Verùm Cicero uult Atticū esse, quod omnes eloquentiæ partes attingat. Nunc enim tantū.) Hæc est uulgaris imperitorū hominū consuetudo, ut ea damnent, quæ ipsi non possunt assequi. Videbis enim barbarū hominē Ciceronis eloquentiā irridere: Grecarū literarum imperitum, eos damnare qui illi studio dant operā: atq; ita de reliquis. Sed tamen eos.) Quoniā aliqui sunt, qui nō malitia, sed parū firmo iudicio peccant: eos se docere uelle profitetur Cicero, ut intelligant qua in re præcipuè laudentur Attici. Nam qui admonēt amicè, docendi sunt: qui inimicè insectantur, repellendi, ut ipse Cicero 1. de Nat. deorū ait. Studio optimo.) Multi enim, cum bene se facere existiment, propterea quòd uerè iudicare nesciāt, in errores incurrūt: quos uenia dignos esse, nemo non intelligit. Nam ea tantū peccata reprehenduntur, quæ uel à malitia, uel à negligentia proficiscuntur.

Semper oratorum eloquentiæ moderatrix fuit, auditorum prudentia. Omnes enim qui probari uolunt, uoluntatem eorum qui audiunt, intuentur: ad eam'que, & ad eorum arbitrium & nutum totos se fingunt, & accommodant.

Cum proposuerit se ostendere uelle, quod sit propriè Atticū dicēdi genus, primò declarat quo modo uariata sint dicendi genera, ut ex aliorum comparatione dignoscatur Atticum. Necesse est (inquit) ut orator intelligentiam auditorum sequatur, si probari uoluerit: neq; enim imperita multitudo, docta oratione, atq; egregiè polita delectabitur: neque eruditi auditores, impolitum

& rude dicendi genus approbabunt. Itaq; audientium natura (quod ait Quintilianus) orationis differentiam facit. nam orator totam orationem suam, ad eorum qui audiunt uoluntatem accommodat. Quo fit, ut aliter apud doctos, aliter apud imperitos loquatur. Quintilianus libro 12. cap. 10. tradit, olim apud Græcos eloquentiæ genera fuisse tria: Atticum, Asianum, Rhodium. Attici (inquit) limati & emuncti, nihil inane, aut redundans ferebanr. Asiana gens tumidior alioqui, & iactantior, uaniore etiam dicendi gloria inflata est. Tertium mox, qui hæc diuidebant, adiecerunt genus, Rhodium: quod uelut medium esse, atq; ex utroq; mistum uolunt. neq; enim Atticè pressi, neque Asianè sunt abundantes: ut aliquid habere uideantur gentis, aliquid auctoris. Aeschines enim, qui hunc exilio delegerat locum, intulit eò studia Athenarum, quæ (uelut sata quædam cœlo terraq; degenerant) saporem illum Atticum peregrino miscuerunt.

Itaq; Caria, & Phrygia, & Mysia, quod minimè politę, minimèq; elegantes sunt, asciuerunt aptum suis auribus, opimum quoddam, & tanquam adipatæ dictionis genus.

Incipit ab eo eloquentiæ genere, quod minus ab eruditis probatum est, hoc est, ab Asiano: quo Cares, Phryges & Mysi delectabantur. id erat (inquit) dicendi genus opimum: hoc est, pingue & tumidum, nimisq; redundans, quod luxuriare quodãmodo uideretur. Caria, & Phrygia, & Mysia, sunt regiones Asiæ minoris, quæ semper indocilitatis & leuitatis nomine malè audiuerunt. quod facetè & eleganter Cicero pro Flacco declarat his uerbis: Nanq; (ut opinor) Asia uestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. Vtrum igitur nostrum est, an uestrum hoc uetus prouerbium: Phrygem plagis fieri solere meliorem? Quid de tota Caria? non'ne hoc uestra uoce uulgatum est, si quid cum periculo experiri uelis, in Caria id potissimum esse faciendum? Quid porrò in Græco sermone tam tritum atq; celebratum est, quàm si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimum esse dicatur? Nam quid ego dicam de Lydia? quis unquam Græcus comœdiam scripsit, in qua seruus primarum partium non Lydus esset? hæc Cicero. Quæ uerò citat prouerbia, quoniã ad hunc locum rectius intelligendum mirè faciunt, ea breuiter explicabimus. Quoniam igitur Phryges barbari sunt, & seruili ingenio, quoties aliquem Græci notare uolebant, tanquam indocilem, qui non pudore, sed uerberibus melior redderetur, dicebant: φρὺξ ἀνὴρ πληγεὶς ἀμείνων καὶ διακονικώτερος. quod ita uertit Erasmus: Verberatus Phryx melior & obsequens erit magis. Quoniam uerò Cares tam uili atque abiecto ingenio erant, ut proposita mercede quoduis malum & periculum subire non recusarent: factum est, ut Græci, quoties ostendere uellent, experientiam periculosam in re uili, & quæ parum adferat dispendij, esse faciendam, dicerent: ἐν Καρὶ τὸν κίνδυνον, in Care periculum. Mysi denique, sicuti Strabo libro 12. scribit, à reliquis Græcis tantopere contemnebantur, ut quoties aliquem summo despicatui habendum significare uellent, eum Μυσῶν ἔσχατον appellarent. Non est igitur mirum, si hoc loco Cicero tradit Cares, Phryges, & Mysos minimè politos, minimèq; elegantes fuisse. Vocat autem opimum dicendi genus, quod redundans quidem est, sed tumidum & crassum. unde etiam pingue uocamus, id quod imperitè dictum est: & pingui Minerua loqui, hoc est, uulgari modo, sine eruditione: sicut etiam crassiore Musa. Sic Horatius de quodam philosopho Stoico:

Rusticus, abnormis sapiens, crassaq; Minerua.

Tanquam adipatæ.) Perstat in metaphora, quoniã dixerat opimum. Sunt qui legant adipale, quod non placet. Quamuis Erasmus in prouerbio, Pontificalis cœna, dicat alicubi se legisse adipales cœnas, & adiposas: uerùm

locum

locum ubi legerit, nullum citat. Ego sanè adipatū apud Non. Marcellum obseruaui. sic enim ait: Adipatum ueteres honestè pro pingui, & succulento, & opimo posuerunt. Itaq; ueterem dictionem eleganter hoc loco Cicero usurpauit. Iuuenalis etiam Satyra sexta ad extremum, utitur hac dictione, cum ait:

Liuida materno feruent adipata ueneno.

Adipalis uerò, quod sciam, nusquā apud probatos auctores legitur. Itaq; etiā hic adipatæ, non autem adipale scribendū est. Adeps uerò, pro omni pinguedinis genere ponitur, atq; etiam pro summa ignorantia, per translationē: quoniam (ut est in prouerbio) pinguis uenter nō gignit sensum tenuem. Cicero 3. in Catilinam: Hoc prouidebā animo Quirites, remoto Catilina non mihi esse P. Lentuli somniū, nec L. Cassij adipē, nec C. Cethegi furiosam temeritatem pertimescendam. Mirum auditu, quod Plinius lib. 11. cap. 38. refert, L. Apronij Consularis uiri filio detractos adipes fuisse, leuatumq; corpus immobili onere. Adeps in homine uocatur etiam abdomen. Iuuenalis Satyra 4.

Montani quoq; uenter adest abdomine tardus.

Vnde qui gulæ uentriq; dediti sunt, eos Cicero uocat abdomini natos. ut in Pisonem: Ille gurges atq; helluo, natus abdomini suo, non laudi atq; gloriæ. In eundem, abdominis uoluptates dixit: Solet in disputationibus suis oculorum atq; aurium delectationi, abdominis uoluptates anteferre.

Quod eorum uicini, non ita lato interiecto mari, Rhodij nunquā probauerunt: Græci aūt multò minus: Athenienses uerò funditus repudiauerunt, quorum semper fuit prudens, syncerumq; iudiciū, nihil ut possent nisi incorruptum audire, & elegans.

Asianum dicendi genus neq; à Rhodijs, neq; à Græcis alijs, nedum ab Atheniensibus probatum unquam fuit. Eorum uicini Rhodij.) Vicinos respectu Græcorum aliorum appellat. est enim in Lycio mari posita Rhodos insula, & est prima Cycladum, ut ait Plinius. ab altera parte in Carpathium pelagus uergit, quod ex Lucilij uersu patet:

Carpathuim Rhodos in pelagus se inclinat apertum.

Erant in hac insula quondam non tantū eloquentiæ, sed etiam omnium liberalium artium gymnasia. unde cum Aristippus aliquādo naufragiū passus, ad Rhodiorum littus deuenisset, & geometricas quasdā ibi figuras animaduertisset, ad socios conuersus ita exclamauit: Bene speremus, hominū uestigia uideo. auctor Vitruuius libro 7. Græci autem multo minus.) Distinguit hoc loco Græcos à Rhodijs & Asiaticis oratoribus: cum tamen satis constet, etiam Rhodios & Asiaticos Græca lingua uti solitos, & etiam Græcos appellatos, quod ex oratione pro Flacco facile potest intelligi. Verùm illud etiam in eadem oratione notauimus, quāuis multi essent populi qui Græci uocarētur, tamen tria propriè fuisse Græcorū genera: hoc est, Athenienses, Dores, Aeoles. Sed Ciceronis uerba præstat audire, qui sic ait: Quanquā quis ignorat, qui modo unquā mediocriter res istas scire curauit, quin tria Græcorū genera sint uerè: quorū uni sunt Athenienses, quæ gens Ionum habebatur: Aeoles alteri, Dores tertij nominabant. Atq; hæc cuncta Græcia, quę fama, quę gloria, quę doctrina, quę plurimis artibus, quę etiā imperio & bellica laude floruit, paruū quendam locum, ut scitis, Europæ tenet. semperq; tenuit. hæc Cicero. Athenienses uerò.) Præter cæteros omnes Græcos, Athenienses celebrat in eadem oratione pro Flacco, quando ait: Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atq; in omnes terras distributæ putant. In lib. de Fato ait Cic. ideo acutos fuisse Athenienses, quoniā Athenis tenue cœlū sit. ex quo sequit, ut eorū iudiciū fuerit prudēs & sincerū, ut ait hoc loco.

Eorum religioni cum seruiret orator, nullū uerbū insolens, nullum odiosum ponere audebat. Hæc

Hæc est causa cur Attici oratores reliquis longè politiores & cultiores fuerint, quoniam Atheniensium auribus teretibus & religiosis placere studebāt.

Eorum religioni.) Religionem uocat eam diligentiā, qua utebantur Attici, ne quod insolens uerbum aut loquerentur, aut audirent. Nam Cæsar dixisse fertur, non aliter insolens uerbū in oratione uitandum esse, quàm in mari scopulum. Initium enim eloquentiæ, uerborum esse delectum.

Itaq; hic quem præstitisse diximus cæteris in illa pro Ctesiphonte oratione longè optima, summissius à principio: deinde dum de Legibus disputat, pressius: pòst sensim incedens, iudices ut uidit ardentes, in reliquis exultauit audacius.

Ad Demosthenem reuertitur, atq; ostendit illum in una oratione uario dicendi genere usum fuisse, prout ipsa causa postulabat. Cum aūt multas habuerit orationes Demosthenes, unam Cicero reliquis anteponit, quæ pro Ctesiphonte habita est, & Grecè περὶ στεφάνου, hoc est de corona inscripta est. eam uerò Cicero Latinam fecerat, unà cum Aeschinis contra Ctesiphontē oratione: sed ambæ interierunt. Superest tantum præfatio, docta sane, quæ inscribitur De optimo genere oratorum, in qua est etiam argumentū illius orationis pro Ctesiphonte: quod quoniam ad hunc locū illustrandum mirè facit, libet adscribere. Cum esset lex Athenis, ne quis populiscitum faceret, ut quisquam corona donaretur in magistratu, prius quàm rationes retulisset: & altera lex, eos qui à populo donarentur, in concione donari debere: quia in Senatu Demosthenes curator muris reficiendis fuit, eosq; refecit pecunia sua: de hoc igitur Ctesiphon scitum fecit, nullis ab ipso rationibus relatis, ut corona aurea donaretur: eaq; donatio fieret in theatro, populo conuocato, qui locus non est concionis legitimæ: atq; ita prædicaretur, eum donari uirtutis ergò, beneuolentiæq;, quam erga populum Atheniensem haberet. Hunc igitur Ctesiphontem in iudicium adduxit Aeschines, quod contra leges scripsisset, ut & rationibus non relatis corona donaretur, & ut in theatro, & quòd de uirtute eius & beneuolētia falsa scripsisset: quoniā Demosthenes nec uir bonus esset, nec benemeritus de ciuitate. hoc iudicium factū est Alexandro iam Asiam tenente, licet Aeschines hanc mulctam à Ctesiphonte petijsset quadriennio ante Philippi Macedonis mortē. Aiunt ad hoc iudicium è tota Græcia concursum factum esse. exitus uerò iudicij talis fuit, ut Aeschines uictus Athenis discederet, & Rhodum iret exulatū. Vsus est igitur hac arte Demosthenes, ut in exordio summissè diceret, paulatimq; se erigeret: & dum de legibus quas Aeschines à Ctesiphonte uiolatas fuisse dixerat, disputaret, presse & subtiliter ageret. Sed postquam uidit oratione sua commotos iudices, eo quòd acutè rationes Aeschinis refellisset, cœpit audacius exultare, & eloquentiæ uela pandere, atq; omni affectuum genere exardescere.

Ac tamen in hoc ipso examinante uerborum omnium pondera, reprehendit Aeschines quædam, & exagitat; illudensq;, dura, odiosa, intolerabilia esse dicit.

Quamuis, inquit, Demosthenes diligentissimus in deligēdis uerbis fuerit, tamen inimici reprehensione non caruit. Illud enim uerū est quod prouerbio fertur, ἀλλ' οὐκ ἔστι συκοφάντου δήγματος, contra sycophantę morsum nullum est remedium. Neq; enim quicquam tam egregium est, quod calumniatores non aliqua in re uituperare audeant. unde qui rem aliquam excellentissimè conficit, per hyperbolem dicitur Momo satisfacere. Momus enim etiam deorum opera reprehendere non dubitabat. Examinante pondera.) Metaphora à libripende sumpta, qui aurum & argentum examinat, utrum iusti ponderis sit, nec ne. Dura, odiosa.) Cicero duobus modis interpretatur

id quod Aeſchines dixerat μιαρὰ. nã μιαρὸς ſi ad hominẽ referatur, improbum ac ſceleſtum ſignificat: ſi ad rem aliquam traducatur, duram, odioſam, et quam omnes uitare debeant. Quæ uerò Cicero uertit intolerabilia, ea dixit Aeſchines ἀπίθανα: hoc eſt, talia quæ nemini perſuaderi poſsint.

Quinetiam quærit ab ipſo, cum quidem eum belluam appellet, utrum illa uerba an portenta ſint? ut Aeſchini ne Demoſthenes quidem uideatur Atticè dicere.

Explicat totam illam reprehenſionem, qua Aeſchines contra Demoſthenem uſus eſt. Belluam appellet.) Aeſchines Demoſthenem κίναδον uocat. Suidas ait, κίναδον communiter quidem πᾶν θηρίον, hoc eſt omnem feram ſignificare: propriè uerò tantum uulpem, quæ eſt aſtutiſsima. unde frequenter etiam κίναδος pro aſtuto ponitur, quod idem Suidas refert, & Phauorinus ex Ariſtophane probat. Verba an portẽta.) ῥήματα ἢ θαύματα dixit Aeſchines. θαῦμα uerò dicitur, quicquid in admirationem homines ducit. Vt Aeſchini.) Quamuis nemo magis Atticè quàm Demoſthenes unquã dixiſſe uideatur, tamen Aeſchines eum cenſuit non planè Atticè uerba facere.

Facile eſt enim uerbum aliquod ardens (ut ita dicam) notare, idq́ reſtinctis iam animorũ incendijs, irridere. Itaq; ſe purgans iocatur Demoſthenes: negat in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ, hoc an illud, huc an illuc manum porrexerit.

Demoſthenem excuſat, quòd in feruore ipſo dicendi uerba aliqua uſurparit, quæ non ita eſſent uſitata. Multa enim dicuntur, cũ animi uel ira, uel miſericordia, uel alio affectu aliquo concitati ſunt, quę trãquillo & quieto animo nõ dicerent. Itaq; facit improbè, qui ſedatis animis irridet ea, quę in perturbatione dicta fuerãt. Reſtinctis incendijs.) Metaphora ab igne ſumpta. Sic enim etiam animus dicitur inflammatus ira, cupiditate, odio: quoniam ira nihil aliud eſt quàm feruor ſanguinis in corde, ſicuti cenſet Ariſtoteles. & omnes animi permotiones quodammodo ſanguinem incendunt. Itaq; ſe purgans.) Sæpenumero accidit, ut quæ refellere non poſſumus, iocis & ſalibus diluamus: ut Tarentini iuuenes, cum apud Pyrrhum accuſarentur, quòd de illius fama detraxiſſent: Imò (inquit unus ex eis) niſi nos lagena defeciſſet, occidiſſemus te. excuſans ebrietatem. Ita Demoſthenes, cum negare non poſſet, ea uerba quæ notauerat Aeſchines, parum eſſe Attica, dixit, fortunas Græciæ non in eo poſitas eſſe, hoc an illud ipſe dixerit. atq; ut magis etiam Aeſchinem irrideret, adiunxit illud: εἰ δεῦρ᾽ ἢ δεῦρο τὴν χεῖρα, ἀλλὰ μὴ δεῦρ᾽ ἐκτείνειε. id eſt, huc an illuc manum porrexerim. Multum enim refert in dicendi ratione, quo geſtu manuum utaris. 3. de Anima.

Quónam igitur modo audiretur Myſus, aut Phryx Athenis, cum etiam Demoſthenes exagitetur, ut putidus?

Argumentum à comparatione maiorum. Nam ſi præſtans orator Athenis exagitatur, multo magis imperitus exagitabitur. Myſus, aut Phryx.) Qui opimum quoddam, & tanquam adipatæ dictionis genus ſequebantur, ut ſuprà legimus. Putidus.) Propriè eſt mali odoris, & idem penè quod rancidus. ut Plautus: Tanti eſt, quanti fungus putidus. Transfertur ad ſermonem. & putidus tunc dicitur ille, qui orationem affectat: qua re nihil eſt odioſius. ita oratio putida dicitur affectata, quę ita aures offendat, ſicuti quę putida ſunt, nares. Dicitur etiã putidus homo, qui nunquã in rebus ſuis ſibi ſatisfacit.

Cum uerò inclinata, ululantiq; uoce, more Aſiatico canere cœpiſſet, quis eum ferret, aut quis potius non iuberet auferri?

Non tantum affectata & putida oratio, sed etiam indecora atq; inamœna pronunciatio fastidium auribus adfert. Quid enim molestius, quàm aliquem audire, qui inclinata atq; ululanti uoce canere uideatur? quemadmodum Mysi & Phryges rhetores solebant. Certè (inquit Cicero) talem hominem Athenis non modò nō ferrent, sed etiam exibilarent, atq; exploderent. Vlulanti.) Vlulare propriè luporum est, cùm quadam inclinata & tristi, & quodammodo lugubri uoce blaterant. ut Virgilius 1. Georg.

Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.

4. Aeneid. Transfertur & ad mulieres. unde fœmineum ululatum dixit Virg. & Cæsar 5. de bello Gal. barbarorum clamorem ululatum uocat: Tum uerò, inquit, suo more uictoriam conclamant, atq; ululatum tollunt. Iuberet auferri.) Respexit ad consuetudinem Græcorum, qui cum aliquid non probarent, id auferri et proijci iubebant. id autem uarijs modis. Vel enim dicebant, βάλλ' εἰς ὄλεθρον, hoc est, aufer in perniciem: uel, βάλλ' ἐς ὕδωρ, proijce in aquam, sicuti parricidæ in profluentem deijciebantur. uel, βάλλ' ἐς κόρακας, proijce ad coruos. quod Latini dicunt, Abi in malam rem, uel abi in malam crucem.

Ad Atticorum igitur aures teretes, & religiosas, qui sese accommodant, ij sunt existimandi Atticè dicere.

Conclusio huius partis, ut intelligatur quid sit Atticè dicere. quod nihil est aliud, quàm Atheniensium auribus satisfacere. Verùm aures illæ sunt teretes, hoc est rotundæ & perfectæ: & præterea religiosæ, nihil ut tolerare possint, quod incorruptum nō sit, et quodammodo sanctum. Videtur Horatius hunc locum in Arte poetica quodammodo expressisse, cum ait:

Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo Musa loqui.—

Quorum genera plura sunt, hi unum modo quale sit, suspicantur. putant enim, qui horridè inculteq; dicat, modò id eleganter enucleateq; faciat, eum solum Atticè dicere.

Castigat eorum opinionem, qui se putabant Atticos in dicendo, cum nihil minus præstarent. Ac primò docet eos decipi, qui unum tantum dicendi genus Atticum esse censebant, cum plura sint. Genera plura.) Quoniam alij sublimes sunt, ut Pericles: alij subtiles, ut Lysias: alij graues & ornati, ut Aeschines & Demosthenes. Putant enim.) Hi quos reprehendit, existimabant Atticam locutionem esse quidem elegantem & dilucidam, quod ad uerba & sententias attinet: uerùm quod ad compositionem, figuris & ornamentis carere, atq; horridam & incultam esse. Horridè.) sine figuris & numeris, intelligimus: quæ maximè solent orationem illustrare, sine quibus horrida est atq; inculta. Eleganter.) uerbis delectis, & politis. Enucleatè.) dilucidè & apertè. Metaphora ab ijs sumpta, qui nuces frangunt, ut nucleum eximant. Enucleare igitur est apetire, & rem ante oculos ponere.

Errant, quòd solum: quòd Atticè, non falluntur. Istorum enim iudicio, si solum illud est Atticum, ne Pericles quidem dixit Atticè, cui primæ sine controuersia deferebantur: qui si tenui genere uteretur, nunquam ab Aristophane poeta fulgurare, tonare, permiscere Græciam dictus esset.

Distinguit aduersariorum sententiam, & partim ueram partim falsam esse ostendit. In eo, inquit, quòd existimant, tenue dicendi genus Atticum esse, non falluntur: in eo uerò, quòd putant solum illud, neq; aliud ullum esse Atticum, magnopere decipiuntur. nam si hoc uerum esset, neq; Pericles, neq; Demosthenes esset Atticus. Ne Pericles quidem.) Argumentum est à consequentibus,

quentibus, quod hoc modo formatur: Si tenue dicendi genus solum est Atticum, Pericles, qui non tenuiter dicebat, non erit Atticus. Sed omnes in Attica eloquentia primas partes Pericli deferebant: ergo nõ solum tenue dicendi genus est Atticum. Primæ deferebantur.) Deferre primas est, concedere aliquem esse primum in aliqua facultate. Ab Aristophane poeta.) Verba Aristophanis citantur à Plinio, libro epistolarum primo: ἤστραπτε, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα. hinc factum est, ut fulmina orationis dicamus, & eloquio tonare. Virgilius in 11. *Proinde tona eloquio solitum tibi.*
A Ioue ducta metaphora, quem tonare & fulminare credidit antiquitas: licet aliter sentiat Aristoteles.

Dicat igitur Atticè uenustißimus ille scriptor, ac politißimus Lysias: quis enim id poßit negare? dum intelligamus, hoc esse Atticũ in Lysia, non quòd tenuis sit, atque inornatus, sed quòd nihil habeat insolens, aut ineptum.

Concedit Lysiam Atticè quidem dicere: sed eos ait decipi, qui putant ideo esse Atticum, quia tenuis sit, & inornatus: quod minimè uerum est: sed ideo Atticus est, inquit, quòd usitato atq; apto sermone utitur. Fuit Lysias genere quidem Syracusanus, et Cephali filius, sed Athenis natus, quoniam pater eius Athenas è Sicilia migrauerat. Cum autem quindecim annos natus esset, cum duobus fratribus Thurios in coloniam Atheniensium commigrauit: deinde cum inde expulsus fuisset, quòd Atheniensibus nimis fauere uideretur, Athenas reuersus est, annum agens septimum & quadragesimum. scripsit orationes supra trecentas, & artis rhetoricę libros & conciones, & encomia, & funebres orationes, & epistolas quasdam. hæc ferè Suidas. Cicero in Bruto, ait hũc in caussis forensibus minimè uersatum fuisse, sed tamen subtilem atq; elegantem scriptorem. in primo de Oratore, disertißimum oratorem appellat. Hoc loco, uenustißimum & politißimum, propter uerborum elegantiam, & locutionis proprietatem, primò uocat: deinde, tenuem & inornatum, propter dicendi genus pressum & humile, & propter figuras & numeros oratorios, qui illi defuerunt. Nihil insolens.) Hoc est inusitatum, barbarum, odiosum. Ineptum.) Quod à suscepta causa abhorreat, quod cum re, de qua agitur, non conueniat.

Ornatè uerò & grauiter & copiosè dicere, aut Atticorum sit: aut ne sit Aeschines, ne'ue Demosthenes Atticus.

Ab absurdo ductum argumentum, ut magis probare poßit, quod intendit: etiã Atticos ornatos & graues & copiosos esse. alioqui sequeretur, ut Aeschines & Demosthenes, qui principes oratorum fuerunt, Attici non essent. Ornatè uerò.) Tribus epithetis illud sublime dicendi genus, quod ἁδρὸν Græci uocant, exornat: ut sit ornatum, graue, & copiosum. Aeschines multi fuerũt: sed hic de quo loquitur frequẽter Cicero, fuit Atheniensis, Atrometi ludimagistri, & Leucothoæ tympanistriæ filius. primò fuisse histrio dicitur, deinde scriba factus est, tum orator, postremò etiam legatus Atheniensium. Verùm postea uictus in iudicio, quo Ctesiphontem accusauit, Rhodum in exilium discesit, atq; ibi rhetoricam artem docuit. Quintilianus ait, Aeschinem primum fuisse, qui Rhodios ad eloquentiam excitaret. Aiunt aliquãdo Rhodijs orationem suam, in qua uictus à Demosthene fuerat, recitasse: cumq; illi uehementer eam admirarentur, etiam illam quam contra se Demosthenes habuerat, legisse magna & elata uoce. quo factum est, ut Rhodij omnes obstupescerent. Quibus Aeschines inquit, τί δ' εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου ἀκηκόατε;

Suidas.

12. cap. 10.

Ecce autem aliqui se Thucydidios profitẽtur, nouum quoddam

imperitorum & inauditum genus. Nam qui Lysiam sequũtur, cau sidicum quendam sequuntur, non illum quidem amplum atq; gran dem, subtilem & elegantem tamen, & qui in forensibus causis pos sit prǽclarè consistere. Thucydides autem res gestas & bella narrat, & prælia, grauiter sanè & probè: sed nihil ab eo transferri potest ad forensem usum, & publicum.

Aliud genus imitatorum uituperat, qui unum Thucydidem sibi imitandum proposuerant: & hos magis etiam quàm priores uituperandos ait. Quoniam illi qui Lysiam imitantur, possunt aliquid ab eo percipere, quod ad causas forenses attineat: at uerò ex Thucydide nihil est, inquit, quo possit orator in cau sis adiuuari. Ecce autem.) Asconius & Valla dicunt, hoc proprium esse Ciceronis, ut in rebus improuisis utatur hoc aduerbio Ecce, quod quidem frequentissimum est: sed interdum etiam risus & contemptionis gratia ponitur, ut in hoc loco, & ad Atticum libro 1. Ecce aliæ deliciæ equitum uix ferendæ. Nam qui.) Vtitur comparatione, qua ostendat magis improbandos eos qui Thucydidem in dicendi ratione, quàm qui Lysiam sequuntur. cum Lysias orator sit, quamuis non sublimis: Thucydides uerò, tantũ historicus. Cau sidicum quendam.) Qui causas agere possit. sed hoc uocabulo Cicero per cõtemptionem utitur, sicut etiam primo de Oratore, cum ait: Non enim causidicum nescio quem, neq; proclamatorem, aut rabulam conquirimus. In forensibus causis.) Atqui Lysiam aiunt in foro nõ uersatum fuisse, sed orationes eis scribere solitum, qui causam essent dicturi, ut eas ediscerent, & coram iudicibus recitarent. quod etiam pro Socrate fecit, ut M. Antonius in primo de Oratore testatur. Scripsit enim orationem, quam ad Socratem attulit, ut si ei uideretur, edisceret, & ea pro se in iudicio uteretur. Verùm Socrates dixit, illã quidem orationem disertam sibi & oratoriam uideri, sed fortem & uirilem non ui deri. Thucydides autem.) Thucydidem quidem laudat, quòd grauiter & probè res gestas narrauerit: sed ait oratorem ab eo nihil adiuuari posse. quod sanè mihi mirum uidetur, cum in secundo de Oratore, sub Antonij persona di cat hæc uerba: Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile uicit. Quin Halicarnasseus Dionysius tradit, octies à Demosthene descriptas fuisse Thucydidis historias, ut eius stylum ac dicendi rationem imitari posset: qui si nihil ab eo fuisset adiutus, certè uanus Demosthenis labor fuisset, qui totum illud opus mandasse memoriæ dicitur. Sed in Bruto Cicero ita scribit: Thucydidem (inquit) imitamur: optimè, si historiam scribere, non si causas dicere cogitatis. Thucydides enim rerum gestarum pronunciatór syncerus, & gran dis etiam fuit: hoc forense, concertatorium, iudiciale non tractauit genus. Orationes autem quas interposuit (multæ enim sunt) eas ego laudare soleo, imitari neq; possim, si uelim: nec uelim fortasse, si possim. Fuit igitur ubiq; sententia Ciceronis, ab oratore non esse imitandum Thucydidem: quod etiam Quintilianus libro 10. cap. 1. docet.

Ipsæ illæ conciones ita multas habent obscuras abditasq; sententias, uix ut intelligantur: quod est in oratione ciuili uitium uel maximum.

Quoniam aliquis obijcere potuisset, in Thucydide multas esse conciones, quæ possint oratorem adiuuare: respondet Cicero, ualde illas esse obscuras, quod ab oratore alienum esse debet. quoniam prima uirtus orationis est perspicuitas, ut Aristoteles & Quintilianus censent. Vnde Cæsar Augustus meritò reprehendebat Antonium, quòd ea scriberet quæ magis mirarentur homines, quàm intelligerent. & Heraclitus Ephesius à multis damnatus est,

quòd

quòd discipulis suis præcipere solebat, ut orationem obscurarent: quod etiam ipse in scriptis suis faciebat, unde σκότεινος cognomento dictus est. In oratore uerò maximum uitium est, si sit obscurus in dicendo.

Quæ est autem in hominibus tanta peruersitas, ut inuentis frugibus, glande uescantur? an uictus hominum, Atheniensium beneficio excoli potuit, oratio non potuit?

Inuectio quædam in eos, qui relictis melioribus auctoribus, deteriores sequuntur. Sumpta metaphora à prisco hominum uictu, qui tantum glandibus uescebantur, cum nondum fruges essent repertæ. Dicunt autem historici, Athenienses primos fuisse qui ararint, & fruges inuenerint: quod in oratione pro Flacco fatetur etiam Cicero. Poetæ dicunt, Cererem primam fuisse quæ araret. unde Ouidius:

Prima Ceres unco terram dimouit aratro, Metam. 5.
Prima dedit fruges, alimentaq́ mitia terris.

Ouidius Fastorum quarto scribit, Triptolemum Atheniensem Cælei filium, à Cerere rationem arandi, & fruges colligendi percepisse, et hominibus deinde tradidisse. sic enim de Triptolemo:

Iste quidem mortalis erit, sed primus arabit,
Et feret, & multa præmia tollet humo.

Sensus est Ciceronis: Sicuti peruersè facerent homines, qui frugibus inuētis, tamen eas repudiarent, & glande potius uesci uellent: ita sunt illi damnandi, qui cum habeant Demosthenē & reliquos bonos auctores, quos imitari possint, tamen illis relictis, malint antiquiores & minus idoneos sequi. Glande uescantur.) Antequam fruges inuenirentur, pomis tantum & glandibus homines uictitabant, sed inuentis frugibus, statim glandes reiecerunt, dicentes ἅλις δρυός: id est, satis quercus. quod dictum in prouerbium deinde abijt, ut qui relicto uictu sordido, ad elegantiorem transeunt, dicant ἅλις δρυός. Plinius tamen testatur, etiam ætate sua, multas gentes glandibus uictitare solitas: & apud Hispanos etiam in delicijs fuisse, ita ut loco bellariorum, secundis mensis inferrentur. Hac igitur ratione, qui uetustis auctoribus delectantur, ut apud Græcos Thucydide, Herodoto: apud nos Plauto, Lucretio: meliores autem, ut Demosthenem, Ciceronem, relinquunt: ij meritò dici possunt, relictis frugibus glande uesci. An uictus.) Argumentum à comparatione maiorum: Si Athenienses hominum uictum excolere potuerunt, multo magis orationem potuerunt. Nam qui quod difficilius est, præstat, is etiam quod facilius est præstabit. 16.

Quis porrò unquam Græcorum rhetorum à Thucydide quicquam duxit?

Argumentum ab exemplo, uel auctoritate. Nam quod exemplo fit, id etiam rectè fieri putant, ait Cicero. Sensus est: apud Græcos multi fuerunt oratores, quorum nemo unquam Thucydidem non modò non imitatus est, sed ne quicquam quidem ab eo duxit. Ergo multo minus eum Latini oratores imitari debent.

At laudatus est ab omnibus, fateor: sed ita, ut rerum explicator prudens, seuerus, grauis: non ut in iudicijs uersaret causas, sed ut in historijs bella narraret: itaq; nunquam est numeratus orator. Nec uerò, si historiam non scripsisset, nomen eius extaret, cum præsertim fuisset honoratus & nobilis.

Occupatio, qua occurrit aduersariorum rationi, qui possent obijcere, summam laudem in dicendo assecutum fuisse Thucydidem, atq; ideo imitandum.

Vtitur ergo distinctione Cicero, & ait, laudatum quidem fuisse Thucydidem, sed non tanquam oratorem, sed tanquam historicum: ideo non ab oratoribus, sed ab historicis imitandum. Tribus autem modis Thucydidem laudat: quòd fuerit prudēs, in explicandis causis et cōsilijs rerū gestarū: quòd seuerus, in nemini parcendo, quo minus uerū diceret: quòd grauis, in ita eloquēdo, ut in rebus & uerbis pondus & auctoritas inesset. hæc enim tria præcipuè, qui scribūt historiam, præstare debēt. Nec uerò.) Tanta, inquit, in solitudine uixit Thucydides, ut nisi scripsisset historiam, nemo sciret eum fuisse natum, quamuis honoratus & nobilis fuerit. Hæc autem eò pertinent, ut ostendat, in oratorum numero nunquam fuisse. Nam oratores in luce, atq; in oculis hominum, non autem in solitudine uersantur. Honoratus & nobilis.) Nam Suidas ait, Thucydidem maternum genus à Miltiade duxisse, qui strenuissimus imperator Atheniensium fuit: paternum autem ab Oloro, qui Thraciæ rex fuit. Discipulus fuit Antiphontis Rhamnusij, qui primus causam capitis pro se dixisse, & orationem scripsisse dicitur. Cum puer adhuc esset, audiuit Herodotum suas historias recitantem: cuius gloria motus, lachrymas continere non potuit. Quod cum Herodotus animaduertisset, ad patrem eius conuersus dixit: Feliciter filium genuisti Olore, qui ad optimas artes animum applicatum habet. Cum historiam scribere aggressus deinde fuisset, tanta usus est diligentia, ut militibus mercedem daret, qui uera nunciarent: & etiam ab hostibus rem intelligere uolebat, ne quisquam suis magis faueret.

Huius tamē nemo neq; uerborum neq; sententiarū grauitatē imitatur: sed cū mutila quædā & hiantia locuti sunt, quæ uel sine magistro facere potuerunt, germanos se putant esse Thucydidis.

Hactenus ostendit, ab oratore Thucydidem imitandum non esse. Nunc eos irridet, qui cum eum sibi imitandum proposuerint, peruersè tamen imitantur. Est enim imitatio præcipua duplex: una uerborum, altera sententiarum. Possumus enim alicuius uerba imitari, & sententias relinquere. ut si uerbis quidem Ciceronis aliquid exponamus, sed neque artificium, neq; ordinem, neque figuras eiusdem sequamur. quam imitationem licet multi amplectantur, tamen paruæ admodum laudis est. Possumus etiam res & inuentiones alicuius imitari, uerba autem prætermittere: quod omnium ingeniosissimè Virgilius fecit, qui res ferè omnes ab Homero sumpsit. Sed qui & uerba, & res alicuius boni auctoris imitari nouit, ille præclarus & excellens imitator appellari potest. Meritò ergo Cicero reprehendit eos, qui cum Thucydidem uellent imitari, neq; uerborum eius, neq; sententiarum grauitatem imitabantur, sed mutilam tantum & hiantem compositionem. Mutila.) quæ aures non impleant. Debet enim uerborum ambitus talis esse, ut & compleat uerbis quod proposuit, nec quicquam redundet. ut in Partitionibus docet. Quæ uerò mutila sunt & breuia, nequaquam aures complere possunt. Hiantia.) quæ ex aspero uocalium concursu uastè pronunciantur. Nam (ut Cornificius ait) crebræ uocalium concursiones, uastam atq; hiantem orationē reddūt. ita Crassus 3. de Oratore præcipit: Ne asper uerborum concursus sit, ne'ue hiulcus. Germanos se putant.) Venusta irrisio, quæ tangit eorum imperitiam, qui sine magno labore & diligentia sperant se præclaros auctores imitari posse. hoc enim (inquit) quod isti faciunt, etiam sine ullo magistro facere potuerunt. fit autem sæpenumero, ut qui sine præceptore literis operam dant, in multis decipiantur. Vnde non sine causa Socrates apud Platonem, Heraclitum Ephesium, & qui eum sequebantur, reprehendit atque irridet, quod se αὐτοδιδάκτας esse gloriarentur. Vocant autem Græci αὐτοδιδάκτας, eos qui sine præceptoris ope proficiunt. unde Cynicus Diogenes paupertatem appellabat uirtutem αὐτοδίδακτον, quæ per se discitur. In primo de Natur. Deorum,

Cotta

Cotta Epicurum irridet, quod gloriaretur se magistrũ habuisse nullum. quod & non prædicanti (inquit) tamen facile quidẽ crederẽ: sicut mali ædificij domino, glorianti se architectum non habuisse.

Nactus sum etiã, qui Xenophontis similẽ esse se cuperet: cuius sermo est ille quidẽ melle dulcior, sed à forensi strepitu remotissimus.

Tertium genus eorum qui se Atticos dici uolebant, & Xenophontem imitabantur, quos minus quàm alios reprehendere uidetur: sed tamen ostendit, eos idoneos oratores fieri non posse. quamuis enim Xenophontis sermo suauissimus sit, tamen à causis forensibus plurimum abhorret. Xenophon Atheniensis fuit in primis nobilis, & adeò pulcher, ut mirum omnibus esse uideretur. hunc Socrates, cum in quodam angiporto factus obuiam esset, interrogauit, Vbi cibaria uenderẽtur? et cum ille promptè respondisset, iterũ petiuit Socrates, Vbi uiri boni fierent? Sed cũ hæsitaret Xenophon, tunc Socrates: Sequere me, inquit, & tibi locum ostendam. atque hoc modo factus est Socratis auditor. Et tanta dicendi suauitate præstitit, ut ἀττικὴ μοῦσα, uel ἀττικὴ μέλιττα (quod scribit Suidas) diceretur. Platonis non admodum amicus fuisse uidetur, cuius rei causam A. Gellius tradit. Multa scripsit opera politissimo ac suauissimo stylo. Sed equorum, & uenationis, & rei militaris maximè studiosus fuit: quod ex eius operibus intelligi facile potest. *Lib. 14. cap. 3.*

Referamus nos igitur ad eum, quem uolumus inchoandũ, & eadem eloquentia informandũ, quam in nullo cognouit Antonius.

Cum iam satis eorum opinionem refutarit, qui se Atticos & esse putabant, & dici uolebant: nunc ad propositam quæstionem suam reuertitur, ut cum formet oratorem, qui perfectus esse uideatur. Eadem eloquentia.) Non forensem tantum intelligit, neq; philosophicam, quam superius elegantem doctrinam uocauit: sed eam, quæ rerum cognitionem cum dicendi facultate coniunxerit, quæ copiosè loquens sapientia nuncupatur: qua qui præditus esset, tanquam mortalis quidam deus haberetur, ut ait Quintilianus. cuius imago quædam, licet imperfecta, in Demosthene & Pericle fuit.

Magnum opus omnino atque arduum Brute conamur: sed nihil difficile amanti puto. Amo autem, & semper amaui, ingenium, studia, mores tuos.

Quoniam in tanta oratorum uarietate difficillimum est iudicare quid optimum sit, ideo primò exclamat Cicero, difficile & magnum opus esse: deinde, quasi seipsum colligens, nihil esse ait, quod amore effici non possit: à se uerò Brutum uehementer amari. Atq; hinc nactus occasionem, Bruti laudes persequitur, quibus ad eum amandum inducatur: ut cum tam egregio uiro obsecutus fuerit, ueniã consequatur, etiamsi plenè quod ab eo Brutus petiuerat, præstare non potuerit. Magnum opus.) Epiphonema est, quo etiã attentionem & beneuolentiam renouat. Sed nihil difficile.) Sententia pulcherrima, qua uis amoris atq; beneuolentiæ declaratur. Hoc est quod etiam Menander dixit, ἔρωτος οὐδὲν ἰσχύει πλέον, Amore nihil est potentius. Vulgo dicunt, Nihil difficile uolenti: cum amanti potius dicendum sit. Amo autem.) Tria tangit, quæ hominem maximè amabilem efficiunt: ingenium, studia, mores. quæ omnia summa in Bruto esse dicit. Nam certè homines ingeniosos & acutos amare solemus. Præterea illos, quos studijs optimarum artium deditos esse intelligimus: deniq; etiam eos, qui probis atq; honestis moribus præditi sunt. Atq; hæc tria ad animum referuntur, & in amore potentissima sunt: reliqua omnia, quibus ad amandum inducimur, longè sunt infirmiora: ut coniunctio sanguinis, pulchritudo, diuitiæ, nobilitas, cæteraq; eius generis.

Incendor porrò quotidie magis, non desiderio solum, quo quidem conficior, congressus nostros, consuetudinē uictus, doctissimos sermones requirens tuos: sed etiam admirabili fama uirtutum incredibilium, quæ specie dispares, prudentia coniunguntur.

Ingreditur Bruti laudes, quibus ad eum amandum ait se quotidie magis incendi. Duas autem adfert causas, cur quotidie magis incendatur. Prima est, Bruti absentia: quæ faciebat, ne possent congredi, unà uiuere, & confabulari, quod uehementer se desiderare ostendit. Altera causa est, quod admirabilis esset fama uirtutum ipsius Bruti, qui iustissimè prouinciam administraret. Quo conficior.) consumor, contabesco. Ingens enim desiderium corpus conficit, & consumit. Tria uerò sunt, quæ se desiderare inquit Cicero: hoc est, cum Bruto congredi, cum eo uiuere, & confabulari: quæ sanè multo iucundiorem amicitiam efficere solent, cum interim absentia frequenter amicitiam imminuat. unde Græco prouerbio dicitur, τηλᾶ φίλοι ναίοντες, οὐκ εἰσὶ φίλοι. & Propertius,

Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

Isocrates tamen ad Demonicum scribens, ait: probos homines, etiam longè absentes amicos amare. Admirabili fama.) Epithetis, siue additis ad nomē, amplificat Bruti laudes, & orationē exornat. Specie dispares.) Virtutes inter se nullæ contrariæ sunt: quoniam bonum bono cōuenit ex omni parte, neque unquam bonum bono repugnat. Veruntamen sunt quædam uirtutes specie dispares, ut seueritas & comitas, clementia & uindicatio, quæ non nisi summa prudentia coniungi possunt. hoc est quod in Bruto maximè laudat. Prudentia.) Virtutem hanc Aristoteles quasi architectum quendam reliquarum omnium esse dixit: quod antea Socrates dixerat. is enim moderatricem quandam, et quasi parentem uirtutum omnium, prudentiā statuebat. Hac igitur uirtute Brutus cæteras specie dispares coniungebat.

Quid enim tam distans, quàm à seueritate comitas? quis tamen unquam te aut sanctior est habitus, aut dulcior?

Probat, à Bruto specie dispares uirtutes prudentia coniungi, quòd idem esset & seuerus & comis. Seueritas uirtus est, quæ in constantia totius uitæ, & in puniendi rigore perspicitur. Comitas autem est lenitas quædam, & animaduertendi moderatio, cum aliquid de summo iure remittitur. Hæ uirtutes (inquit) inter se distare, & quodammodo pugnare uidentur: sed tamen eas ita tu copulasti Brute, ut nullus unquam uel sanctior, uel dulcior fuerit.

Tam distans.) De uirtutibus intelligit: nam uitia multo magis distant. Cum uirtus omnis in mediocritate sita sit, omnis autem extremitas uitiosa.

Sanctior.) seuerior. Idem erit igitur sanctitas, quod seueritas. Oportet quidem uitiorum acerrimum esse uindicatorem, sed in cæteris decet comem & affabilem esse. hoc modo seueritas comitati coniungetur.

Quid tam difficile, quàm in plurimorum controuersijs dijudicandis, ab omnibus diligi? consequêris tamen, ut eos ipsos, quos contrà statuas, æquos placatosq́ dimittas. Itaq́ efficis, ut cum gratiæ causa nihil facias, omnia tamen sint grata quæ facis.

Summam Bruti prudentiam commendat, qui tam sapienter iudicia tractaret, ut etiam illi, quos contrà sententiam tulisset, eum amare cogerentur. quod omnino rarum est, atq́ difficillimum. Tam difficile.) Verum est enim illud, quod Theognis scriptum reliquit: ἔργμασιν ἐν μεγάλοις πᾶσιν ἁδεῖν χαλεπόν. adeò ut etiam prouerbio dicatur, Ne Iupiter quidem omnibus placet. Quod si in aliqua re difficile est omnibus placêre, id certè in dijudicandis controuersijs multo

multo difficillimum est. nam qui condemnatur, semper sibi iniuriam fieri existimat. Magnæ igitur cuiusdam sapientiæ est, eos placatos æquosq́ dimittere, quos contrà statueris. Hoc est quod in Bruto summopere commendat Cicero. Gratiæ causa.) hoc est, fauoris. Debet enim iudex in neutram partem inclinare, neque huic magis quàm illi fauere, sed trutinam (ut aiunt) rectam tenere. Gratia uerò pro fauore frequenter apud Ciceronem reperitur, ut pro Quintio: Quæ res in ciuitate duæ plurimum possunt, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia, & eloquentia. Ita pro Domo sua dixit, ferre legem per gratiam. Ita dicimus esse in gratia, pro eo quod Barbari dicunt, habere fauorem. ut ad Att. 2. Erit nebulo iste cum ijs dynastis in gratia. & 3. de Offic. dixit, In maxima gratia esse apud omnes: id est, fauorem omnium habere. Gratiæ causa nihil facere, est, nemini præter æquitatem fauere. Quod cum faceret Brutus, tamen id assequebatur, ut quæcunq; faceret, omnibus grata essent.

Ergo omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio, in qua frueris ipse te, cum in Italiæ luce cognosceris, uerseris'q; in optimorum ciuium uel flore, uel robore.

Quo tempore Cicero scripsit hoc opus, Cæsar in Africa Pompeiani belli reliquias persequebatur, contra Catonē & Scipionē: Brutus aūt cisalpinā Galliam obtinebat, qua in administratione tam iustè, tamq́ sapienter se gerebat, ut omnes Galliæ fortunas laudarent, quòd talem præsidem sortita fuisset. nam reliquæ partes Italiæ, cùm bellorum ciuilium impunitate, rum præsidum crudelitate & auaritia maximè premebātur. Ferunt Cæsarē, cum ex Africa reuersus fuisset, maximā ex Bruti cōtinentia & sapientia uoluptatē percepisse. Hoc est quod ait Cicero, Vnam Galliā non ardere cōmuni incendio. Galliam autem hanc nostrā intelligimus, quæ nunc Longobardia nominatur: quāuis aliquāto latior esset, cum etiā Mutinam et Bononiā Romanorū colonias contineret. Italiæ luce.) Galliā lucem Italiæ uocat, & florē & robur optimorū ciuium, quoniam & rerū ubertate, & ingeniorū præstantia, & bellica uirtute ferè cæteris semper omnibus antecessit. Hæc eadem penè de Galliæ nostræ laudibus tertia Philippica leguntur, ubi sic ait Cicero: Nec uerò de uirtute, constantia, grauitate prouinciæ Galliæ taceri potest. est enim ille flos Italiæ, illud firmamentum imperij Pop. Rom. illud ornamentum dignitatis.

Iam quantum illud est, quòd in maximis occupationibus nunquam intermittis studia doctrinæ: semper aut ipse scribis aliquid, aut me uocas ad scribendum.

Inter cæteras Bruti laudes hanc etiam maximam ponit Cicero, quòd literarum studia nunquam intermitteret. Erat enim adeò literis deditus, ut etiam in castris, & in bello semper aliquid aut legeret, aut scriberet. Scribit Plutarchus, pridie quàm in bello Philippensi mortem oppeteret, cum reliqui de futuro bello maximè soliciti essent, Brutum ipsum lectioni uacantem, epitomen historiarum Polybij conscripsisse. Putabant enim illi sapientes ueteres, omne perire tempus, quod studijs non impertiretur. Itaque uirorum eruditorum maxima erat eo tempore copia, quos Imperatores Romani secum habere consueuerant: ut Scipio Africanus Panætium, Pompeius Theophanem Mytilenæum, Lucullus Archiam poetam, Cicero Diodotum Stoicum, aliјq; alios: & unus aliquando plures, ut C. Cæsar. Quin legimus Octauianum Augustum, cum iam orbi terrarum dominaretur, nullum unquam diem prætermittere solitum, in quo non aliquid uel legeret, uel componeret. Vt uehementissimè damnanda sit principum nostri temporis peruersa consuetudo, qui cane peius & angue literas oderunt.

Itaque hoc sum aggressus statim Catone absoluto: quem ipsum nunquam attigissem, tempora timens inimica uirtuti, nisi tibi hortanti, & illius memoriam mihi charam excitanti, non parere, nefas esse duxissem.

Tempus notat, quo cœpit hoc opus conscribere: Cum primum, inquit, Catonem absoluissem. Quidam intelligūt librum de Senectute, qui Cato maior inscribitur: sed malè. nam Catonis Vticensis laudationem scripsit Cicero, quod opus Catonem appellauit. Erat autem Cato, & auunculus & socer Bruti, uir omni uirtutum genere cumulatus: qui cum per ea tempora, ne in manus Cæsaris deueniret, sibi mortem consciuisset, rogauit Brutus Ciceronem, ut eum quasi funebri oratione laudaret: quod Cicero se præstitisse dicit: nam Philippus Melancthonius (meo quidem iudicio) fallitur, qui putat à Cicerone Catonis laudationem, contra Cæsaris Anticatones scriptam fuisse: cum iam Cicero Catonem absoluisset, antequam Cæsar in Catonem scribere sit ingressus. imò uerò Cæsar ad scribendum uenit, ut Ciceroni responderet, & eius laudationem refutaret. quod ad Atticum scribens Cicero sic ostendit: Qualis futura sit Cæsaris uituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro quem Hirtius ad me misit, in quo colligit uitia Catonis. Fuit autem Catoni Cæsar semper inimicus, etiam dum priuatus in Rep. uiuebat.

Quem ipsum.) Duabus de causis se adductum fuisse ostendit, ad Catonem laudandum: primò, quia rogatus à Bruto fuerat: deinde, quia ipsum Catonem charum & amicum habuerat.

Sed testificor, me à te rogatum, & recusantem hæc scribere esse ausum. Volo enim mihi tecum commune esse crimen: ut si sustinere tantam quæstionem non potuero, iniusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti. in quo tamen iudicij nostri errorem, laus tibi dati muneris compensabit.

Antequam reuertatur ad quæstionem suam, testificatione utitur, qua docet se non sua sponte, sed rogatu Bruti uenisse ad opus hoc conscribendum.

Volo enim.) Ratio testificationis. Si acciderit, inquit, ut in aliquorum crimen incidam, uolo te criminis eius habere socium. Vt si sustinere.) Metaphora à baiulis sumpta, qui nonnunquam oneri succumbunt. Iniusti oneris.) iniustum onus uocat, id quod iustam excedit magnitudinem. Sic etiam Virgilius 3. Georg.

Iniusto sub fasce uiam dum carpit.

Hic notanda est etiam distributio, qua declarat, quomodo crimen commune sit futurum: Quia tu, inquit, mihi imposuisti, ego recepi. In quo tamen.) παραμυθία, hoc est solatium: Si, inquit, uituperationem meruero, quòd non uerè de perfecto oratore iudicarim: laudabor tamen, quòd hoc munus tibi offerre uoluerim.

Sed in omni re difficillimū est, formam, quod χαρακτὴρ Grecè dicitur, exponere optimi: quòd aliud alijs uidetur optimum.

Renouat quæstionem, quam suprà posuerat: hoc est, quæ sit forma optimi. quod ideo difficillimum esse ad exponendum ait, quòd uariæ sint hominum sententiæ. χαρακτὴρ idem est hoc loco, quod idæa. Significat autem cuiusq; rei formam, sed propriè quæ est in materia, cum idæa sine materia intelligatur.

Quod aliud alijs.) Nam, ut ait Terentius, Quot homines, tot sententiæ. & Persius eodem modo:

Mille hominum species, & rerum discolor usus,
Velle suum cuiq; est, nec uoto uiuitur uno.

Hinc

Hinc ortę sunt inter philosophos tot contentiones, quòd aliud alijs optimum uideretur. Nam (ut præclare dixit Euripides in Phœnissis) εἰ πᾶσι ταυτὸ καλὸν ἔφυ, σοφόν τ' ἅμα, οὐκ ἦν ἂν ἀμφίλεκτος ἀνθρώποις ἔρις: Si idem omnibus pulchrum atque egregium esset, nulla esset inter homines anceps concertatio.

Ennio delector, ait quispiam, quòd non discedit à communi more uerborum.

Exemplis probat, id quod proposuerat, aliud alijs optimum uideri. Erit aliquis, ait, qui Ennio delectetur, quoniam familiari dicendi genere utitur. Ennius Calaber fuit, Rudijs natus: quod oppidum est Calabriæ, teste Pomponio Mela, & Plinio. unde pro Archia Cicero, Rudium hominem eum uocat, & Ausonius Rudinum. Eusebius tamen Tarentinum fuisse scribit. Dicebat se natum ex stirpe Neptuni, à Mesapo illo de quo Virgilius:

Et Mesapus equum domitor, Neptunia proles.

Vnde Syllius Italicus ita de illo cecinit:

Ennius antiqua Mesapi ab origine regis.

A' M. Catone Romam deductus est ex Sardinia insula, cum ipse Cato Quæstor ex Africa rediret. postea uerò Scipioni Africano superiori factus amicus, etiam sub eo stipendia meruit: quod etiam Claudianus his uerbis ostendit,

Hærebat doctus lateri, castrisq; solebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas.

Ingenio fuit acri, & ad scribendum paratissimo: sed tamen in elocutione rudis habebatur. In sententijs uerò grauis fuit. unde Virgilius, cum ex Ennio sententias excerperet, dicebat, se aurum ex Ennij stercore colligere. Dicebat autem Homeri animam in suum corpus transmigrasse, atque ideo factum esse poetam. Multa scripsit opera, sed omnia interierunt. Mortuus est articulari morbo, cum annum septuagesimum ageret: & in Scipionum sepulchro constitutus est, ut ait Cicero. unde etiam Ouidius ita de illo scribit:

Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni Scipio magne tibi.

Antequam uerò moreretur, ipse sibi epitaphium composuit, quod Cicero uehementer laudat, & epitaphio Solonis illius sapientis anteponit. sic enim Ennius de se:

Aspicite ô ciues senis Ennij imaginis urnam,
Hic uestrûm panxit maxima facta patrum,
Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? Volito uiuus per ora uirûm.

At uerò Solon ille sapiens ita de se scripsit:

Mors mea ne careat lachrymis, linquamus amicis
Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Quintilianus de Ennio sic ait: Ennium sicut sacros uetustate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora iam non tantam habent speciem, quantam religionem.

Pacuuio, inquit alius: omnes apud hunc ornati elaboratique sunt uersus: multa apud alterum negligentius.

Erit alius, inquit, qui magis Pacuuio quàm Ennio delectetur: quoniam Pacuuius in elocutione magis elaborauit, & politius atque ornatius scripsit: Ennius autem multa negligenter conscripsit. M. Pacuuius Brundusinus fuit, Ennij sorore genitus, ut Plinius auctor est: quamuis Eusebius dicat, Ennij nepotem ex filia fuisse. Primò autem picturam exercuit. nam ædem Herculis in foro Boario pinxit, auctore Plinio: qui propter Pacuuium

poetam ait Romæ picturam factam fuisse clariorem. Tragicus insignis fuit, & elegans. Cum autem factus esset senex, et morbo grauis, Tarentum concesit, atq; ibi ferè nonagenarius diem suum obijt: cum sibi prius epitaphium composuisset uerecundiæ plenum, &, ut ait Gellius, dignum eius elegantissima grauitate, quod tale est:

Adolescens tametsi properas, hoc te saxum rogat,
Vt se aspicias, deinde quod est scriptum legas:
Heic sunt poetæ Pacuuij Marci sita ossua:
Hoc te uolebam nescius ne esses: uale.

C. Lęlius apud Ciceronem, amicum suum atq; hospitem Pacuuium appellat.

Fac alium Actio. uaria enim sunt iudicia, ut in Græcis: nec facilis explicatio, quæ forma maximè excellat.

Inuenietur, inquit, aliquis, qui magis etiam Actij lectione delectetur: quoniam non aliter in Latinis sunt uaria iudicia, quàm in Græcis: neq; quisquam facile potest explicare, quid sit illud quod cæteris omnibus præstet. Actio.) Actius Tragœdiarum scriptor, Romæ natus est, sed libertinis parentibus: cũ
Lib. 13. Cap. 2. iam Pacuuius floreret, & propè senex esset. Refert Gellius, Actium in Asiam proficiscentem, ad Pacuuium, qui Tarenti tunc uitam agebat, diuertisse, atq; ei Tragœdiam, quæ Atræus inscripta erat, perlegisse: quam Pacuuius laudauit quidem, sed in ea tamen quædam duriora & acerbiora dixit esse. quod Actius cum audiuisset, ita respondit: Est ut dicis, neque eius sanè me pœnitet. meliora enim fore spero, quæ deinceps scribam. nam quod in pomis est, itidem (inquit) esse aiunt in ingenijs, quæ dura & acerba nascuntur, pòst fiunt mitia & iucunda: sed quæ gignuntur statim uieta & mollia, atque à principio sunt uuida, non matura mox fiunt, sed putria. Erat paruæ staturæ, quod ait Plinius: & tamen in ęde Camœnarum ingentem statuam sibi poni curauit. Interrogatus aliquando, cur causas non ageret, cum in Tragœdijs tantam dicendi uim haberet? optimè respondit, in Tragœdijs ea dici quæ ipse uellet: sed in foro essent ea dicturi aduersarij, quæ ipse minimè uellet. Fuit adeò charus Decio Bruto, ut carminibus eius Brutus templorum aditus exornauerit suorum, ut ait Cicero pro Archia.

In picturis alios horrida, inculta, abdita, & opaca: contrà alios nitida, læta, collustrata delectant.

Non tantum in literis, sed etiam in reliquis artibus iudicia diuersa sunt: ut in picturis. Sunt enim quibus placeat horrida atque inculta pictura, quoniam quandam uetustatis imaginem præ se ferat, & naturam ipsam exprimere uideatur: alij uerò nitidam & lætam magis amant, quòd magis animum exhilarare uideatur. Sunt qui abditis & opacis figuris delectentur, quoniam umbrę frequentes in pictura non tantum magnum artificium ostendant, sed etiam iucunditatem afferant. Quidam autem ea magis admirantur, quæ radiantibus quodammodo lineamentis collustrata sunt, & splendore suo sensum oculorum feriunt. Neque absurdè post poetas picturæ exemplum attulit Cicero: quoniam, ut ait Horatius,

Vt pictura poesis erit, quæ si propius stes
Te capiet magis: quædam, si longius abstes.

Solet autem pictura ualde animum delectare. unde Virgilius de Aenæa,

—Atq; animum pictura pascit inani.

Quid est quo præscriptũ aliquod, aut formulam exprimas, cum in suo quodq; genere præstet, & genera plura sint?

Hoc ad augendã rei difficultatẽ pertinet: Quæ ratio est, inquit, ut possit aliquis certã quandam regulã exprimere, qua noscatur id quod optimũ sit, cum multa

multa sint genera, atque in unoquoque genere sit aliquid excellens? Præscriptum aliquod.) Hoc uocabulo sæpe utitur Cicero pro certa regula, quam sequi deceat. ut pro Cluentio: Omnia legum imperio & præscripto fieri uidebitis. & primo de Officijs: Hæc præscripta seruantem licet magnificè uiuere. in secundo de Inuentione ad extremum: Cuius, inquit, rei certum quiddã præscriptũ uidetur in perpetuum dari posse. Vnde ex præscripto uiuere, dicimus eum, qui seruat ea quæ fuerunt illi imperata atque præscripta. qua in significatione reperitur etiam præscriptio, ut in Acad. Hæc norma, hæc regula, hæc præscriptio est naturæ. Porphyrius ait, hanc metaphoram à ludimagistris sumptam esse, qui pueris dictant, & præscribunt, quod edifcant. unde Seneca: Pueri, inquit, ad præscriptum discunt. Aut formulam.) Idem est ferè formula & præscriptum, hoc loco, pro regula generali, qua possimus omnia quæ sunt eiusdem generis intelligere. Formulæ iuris erant apud antiquos uerbis quibusdam conscriptæ, à quibus in iudicijs discedere non licebat: alioqui litem perdebat is, qui discessisset. unde formula cadere, idem est quod litem amittere: quod etiam causa cadere dicitur.

Hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsus: existimauique in omnibus rebus esse aliquod optimum, etiam si lateret: idque ab eo posse, qui eius rei gnarus esset, iudicari.

Hic aperit sententiam suam, nimirum omnibus in rebus aliquid esse optimum, etiãsi non appareat: quod ille uidere posit, qui sit eius rei peritus. Hac religione.) Hoc timore, uel superstitione: nam propriè religio deorum cultus est. Verùm sæpe pro timore, uel obseruantia quadam ponitur. Cicero 2. de Nat. deorum, à relegendo dictam religionem putat. Lactantius libro 4. à religando. Seruius Sulpitius, à relinquendo. Ponitur pro eo quod uulgo scrupulum conscientiæ dicunt. hinc dicimus, Religionem offerre, uel inferre: & mihi religio est, hoc est, uereor. Repulsus.) Quoniam sæpe homines oblata religione, ab incepto desistunt, ne deum offendere uideantur. hic autem per translationem dicitur. Etiamsi lateret.) Quoniam à sensibus ualde remotum est. Hinc fit ut pauci sint, qui ea quæ sunt optima, cognoscere posint. Quare non sine causa Iuuenalis clamat:

Omnibus in terris quæ sunt à Gadibus usque
Auroram & Gangem, pauci dignoscere possunt,
Vera bona. Hoc autem ideo fit, quoniam nihil uerè bonum est, quod non sit à sensu remotum: & nihil difficilius est, quàm à sensibus cogitationem reuocare. Qui eius rei gnarus.) Hoc ab Aristotele sumptum uideri potest, qui Ethicorũ primo ita inquit: Quæ quisque nouit, de ijs uerè iudicat, eorũque æquus est æstimator. De omni ergo re uerè iudicabit is, qui usu rerum ualet.

Sed quoniam plura sunt orationum genera, eaque diuersa, neque in unam formam cadunt omnia: laudationum, scriptionum, & historiarum: & talium suasionum, qualem Isocrates fecit Panegyricum, multique alij qui sunt nominati Sophistæ, reliquarumque rerum formam quæ absunt à forensi contentione: eiusque totius generis, quod Græcè ἐπιδεικτικὸν nominatur, quod quasi ad inspiciendum delectationis causa comparatum est: non complectar hoc tempore, non quò negligenda sit: est enim illa quasi nutrix eius oratoris, quem informare uolumus, & de quo molimur aliquid exquisitius dicere.

Iam tandem incipit eam disputationẽ ingredi, quæ est huius quæstionis propria, & quæ ad informandum perfectum oratorem attinet. Sed primò utitur

diuiſione, qua declarat, cuius oratoris formam hoc in loco quærat. Sunt enim (inquit) orationum plura genera, quæ non poſſunt in unam formam omnia cadere. nos autem eum quærimus oratorem, qui in forenſi contentione perfectus ſit: itaq; formam earum orationum quæ ab uſu forenſi remotæ ſunt, hoc tempore non complectar: quamuis quædam ſint eius oratoris, quem quærimus, incunabula. Sed quoniam.) Hoc eſt diuiſionis genus quoddã, quod à rhetoribus nonnullis Seiunctio uocatur: cũ ea quę prætermiſſuri ſumus, ab ijs quæ tractare uolumus, diſtinguimus atq; ſeiungimus. Quinq; uerò genera ſunt orationum, quæ ſe prætermittere uelle oſtendit. Primum eſt, id quod laudationes continet. nam etiam Antonius 2. de Oratore, genus hoc tanquam minus oratori neceſſarium prætermittit, etiamſi maximè utile eſſe exerceri in eo, non diffiteatur. hoc à Græcis ἐγκωμιαστικὸν uocatur, in quo plurimum excelluit Iſocrates, ut tres eius in hoc genere ſcriptæ orationes declarant: Euagoras, Buſiris, & Helena. Non tantum homines laudantur, ſed etiam res aliæ: ut Ariſtides Romam laudauit, Alcidamus mortem, Syneſius caluicium, Lucianus muſcam, Eraſmus ſtulticiam, alijq; alia. Secundum genus ſcriptiones uocat, hoc eſt, ut ego interpretor, exercitationes quidem oratoriæ, ſed quæ remotæ ſint à foro: qualis eſt παραίνεσις Iſocratis ad Demonicum, Nicocles de regno. tales ſunt Chriæ, declamationes, & ſiqua ſunt alia eius generis. Tertium genus ponit hiſtorias, quæ non alia uoce niſi oratoris (ut ait Antonius) immortalitati commendantur. magna enim eloquentia in ſcribendis hiſtorijs opus eſt. Quartum genus appellat ſuaſiones, non omnes, quoniam ab oratore ſæpe in ſenatu atq; in concione dicenda ſententia eſt. Itaq; non remouenda eſt ſuaſio ab oratoris perfecti forma: ſed eas remouet Cicero, quæ ſunt eiuſmodi, qualis eſt Iſocratis Panegyricus, qui potius ad oſtẽtationem quàm ad ueritatem conſcriptus fuit. in quo ſuaſionum genere Sophiſtæ uerſabantur, & iuuenes exercebant. Quintum genus id eſt, quod ἐπιδεικτικὸν Græci uocãt, noſtri demonſtratiuum, quod delectationis gratia comparatum eſt. hoc autem genus longè latius patet, quàm id quod encomiaſticum uocatur: quòd id laudationes tantum contineat, & intra eas conſiſtat: hoc autem quod demonſtratiuum dicitur, præter laudes, etiam adhortationes & ſuaſiones quaſdam complectitur: neq; tantum demonſtrationis, quantum oſtentationis uim habere uidetur: quod ait Quintilianus. Hæc (inquit Cicero) nõ complectar, quia ſunt à forenſi contentione remota, quamuis multum alant eloquentiam, & oratori uehementer proſint. Panegyricum.) Quindecim annis ſcripſiſſe dicitur Iſocrates, in quo laudat potiſsimum Athenienſes, & de utilitatibus Græciæ tractat. Dicti ſunt autem Panegyrici, quoniam in maxima Græciæ celebritate recitabantur. nam πανήγυρις idem eſt, quod Latinè celebritas. Sophiſtæ.) Cicero in Lucullo ſic ait nominatos fuiſſe, qui oſtentationis aut quæſtus cauſa philoſophantur. Hoc nomine Socrates apud Platonem rhetores uocat, quales fuerunt Gorgias, Hippias, Protagoras, Prodicus: multiq; alij. Tamen aliquando nomen hoc bonam in partem capitur, pro eo qui ſapientiæ dat operam.

Eſt enim illa quaſi nutrix.) Forma, inquit, qua includuntur ea quę diximus à nobis eſſe hoc tempore prætermittenda, eſt quaſi nutrix perfecti oratoris: quoniam ab ijs incunabilis profectus, in ſolem & puluerem progreditur.

Ab hac & uerborum copia alitur, & eorum conſtructio, & numerus liberiore quadam fruitur licentia.

Tria tangit hoc loco, quæ ſunt in elocutione precipua: hoc eſt, copiam uerborum, conſtructionem, numerum. quæ ſingula fuerunt à Sophiſtis diligenter tractata, ut inferius ſuo loco dicetur. Nam in demonſtratione maximè requiritur uerborum copia, quoniam in amplificatione tota eſt: & conſtructio uerborũ, quoniam ad delectationẽ tota comparatur: et numerus, ut quandam

quasi carminis suauitatem præ se ferre uideatur.

Datur etiam uenia concinnitati sententiarum, & arguti certiq; & circumscripti uerborum ambitus conceduntur: de industriaq; non ex insidijs, sed apertè & palàm elaboratur.

Quoniam hoc genus totum ferè ad uoluptatem refertur, idcirco habere debet omnia quę delectationem auribus afferant. Tales sunt crebræ concinnęq; sententiæ, ut pro lege Manilia: Neq; enim potest exercitum is continere imperator, qui seipsum non continet: neq; seuerus esse in iudicando, qui alios in se seueros esse iudices non uult. Tales sunt etiam arguti uerborum ambitus. ut: Hunc audiebant antea, nunc præsentem uident, tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate, ut ij beatissimi esse uideantur, apud quos ille diutissimè commoratur. Hoc enim genus (inquit Cicero) palàm elaboratur. nam in alijs generibus oratores artem occultant, & quasi ex insidijs aduersarios aggrediuntur: in hoc autem apertè omnia faciunt, & artem atq; ingenium ostentant.

Vt uerba uerbis quasi demensa & paria respondeant, ut crebrò conferant pugnantia, comparentq; contraria: & ut pariter extrema terminentur, eundemq; referant in cadendo sonum. quæ in ueritate causarum, & rarius multo facimus, & certè occultius.

Quatuor exornationes rhetoricas, quæ maximam habent in dicendo suauitatem, hoc loco tangit, quibus ait Sophistas in orationibus suis frequenter uti solitos. quod apud Isocratem uidere licet, ubi nulla est pagina, quæ non his delicijs scateat. Hæ uerò quatuor exornationes ita Græcè dicuntur, ἰσόκωλον, ἀντίθετον, ὁμοιοτέλευτον, ὁμοιόπτωτον. Ac prima quidem quę ἰσόκωλον dicitur, Compar à Cornificio nominatur: quæ tunc fit, cum duo uel plura membra pari numero syllabarum proferuntur. Hoc est quod ait: Vt uerba uerbis quasi demensa & paria respondeant. huius exornationis ab Isocrate plurima possem exempla sumere: sed ego magis Ciceronianis delector, cum præsertim una sit apud Ciceronem oratio, quæ in hoc genere plurimum excellat, in qua de Pompeij laudibus agit, pro lege Manilia. Frequenter igitur in illa oratione comparibus membris utitur. ut: Qui plura bella gessit, quàm cæteri legerunt: plures prouincias confecit, quàm alij concupiuerunt. Hic quatuor sunt membra, quorũ prima duo, septem singula syllabas habent, altera duo singula nouem. Non ita multo pòst tria membra ponit, quæ singula nouem habent syllabas, cum ait: Extrema hyeme apparauit, ineunte uere suscepit, media æstate confecit. Sed huius generis in eadem oratione plura reperies. Secunda exornatio dicitur ἀντίθετον, uel ἀντίθεσις, latinè Contrarium, uel Contentio: licet aliquid inter se differre uideantur contrarium & contentio, sicut apud Græcos ἀντίθετον & ἀντίθεσις. nam Contentio, pręterquam quòd contraria continet, etiam comparationem habet. ideo Cicero tangit utrunq;, cum ait, Vt crebrò conferant pugnantia, hoc est ἀντίθετον: Comparentq; contraria, hæc est ἀντίθεσις. Est igitur ἀντίθετον, siue contrarium, cum pugnantia conferuntur. ut: Cuius adolescentia ad scientiam rei militaris, non alienis præceptis, sed suis imperijs, non offensionibus belli, sed uictorijs, non stipendijs, sed triumphis est traducta. Rursus illud: Vt is qui dignitate principib. excellit, facilitate par infimis esse uideatur. ἀντίθεσις uerò uel contentio est, quando contraria comparantur. quod in eadem oratione docet Cicero, quando ait: Summa enim sunt omnia, Quirites, sed ea magis ex aliorum contentione, quàm ipsa per sese cognosci atq; intelligi possunt. Paulo pòst contentione utitur, cum ait: Hę res quæ cæteros remorari solent, non retardarunt: non auaritia ab instituto cursu ad prædã aliquam

reuocauit, non libido ad uoluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem. Sunt etiam illæ contentiones pulcherrimæ: Illi libertatem ciuium Romanorum imminutam non tulerunt, uos uitam ereptam negligetis? ius legationis uerbo uiolatum illi persecuti sunt: uos legatum pop. Rom. omni supplicio interfectum, inultum relinquetis? Tertia exornatio uocatur ὁμοιοτέλευτον, à Latinis uerò similiter desinens, cum pariter extrema terminantur. ut: Quàm celeriter Cn. Pompeio duce belli impetus nauigauit? qui Siciliam adijt, Africam explorauit, inde Sardiniam cum classe uenit. item illud: Humanitate iam tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis uirtutem eius pugnantes timuerint, an mansuetudinem uicti dilexerint. Quarta exornatio dicitur ὁμοιόπτωτον, cum extrema referunt eundem in cadendo sonum. Differt à superiori, quoniam illa fit quoties eodem modo membra desinunt: hæc autem, quoties ijdem casus in membrorum fine ponuntur. itaque dicitur à Latinis similiter cadens. ut: Non enim illæ sunt solæ uirtutes imperatoriæ, quæ uulgo existimantur, labor in negocijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo. item illud: Ac primum quanta innocentia debent esse imperatores? quanta deinde omnibus in rebus temperantia? quanta fide, quanta facilitate, quanto ingenio, quanta humanitate? Hæ sunt exornationes, quibus in demonstratiuo genere frequenter utimur. Sed in ueris causis (inquit Cicero) eis multo rarius & occultius uti solemus.

In Panathenaico autem, Isocrates ea se studiosè consectatum fatetur. non enim ad iudiciorum certamen, sed ad uoluptatem aurium scripserat.

Isocrates annos natus nonaginta quatuor, orationem scripsit quæ Panathenaicus inscribitur: deinde uixit etiam annos quinque, quod in libro de senectute Cicero scribit. Vixit igitur annos nonaginta nouem. Ergo in orationis illius principio dicit, in iuuentute se delectatum fuisse uehementer uarijs orationum ornamentis, quæ senili iam ætati non conuenire uidebantur. itaque nolle se amplius illis uti, cum natus annos quatuor & nonaginta ueniret ad Panathenaicum scribendum. Eam uerò orationem Panathenaicum inscripsit, quoniam in Panathenæis erat recitanda. nam Panathenæa ludi erant, & celebritates, quæ quinto quoque anno in Palladis honorem Athenis fiebant. quos ludos Theseus (ut scribit Plutarchus) instituit. Isocratis oratio continet Athenarum encomium, & rerum ab Atheniensibus gestarum. Non enim.) Ratio est, cur Isocrates eas exornationes secutus fuerit: quoniam nihil aliud, quàm aurium delectationem sequebatur.

Hæc tractasse Thrasymachum Chalcedonium primum, & Leontinum ferunt Gorgiam: Theodorum inde Byzantium, multosque alios, quos λογοδαιδάλους appellat in Phædro Socrates. quorum satis arguta multa: sed ut modò primumque nascentia, minuta, & uersiculorum similia quædam, nimiumque depicta.

Exponit, qui fuerint inuentores harum exornationum in dicendo, quique genus illud ἀποδεικτικὸν tractarint primi. Tres autem potissimum nominat, quãuis plures fuerint: Thrasymachum, Gorgiam, Theodorum. Thrasymachus è Chalcedone ciuitate fuit, quæ est in Bithynia, qui primus periodum, siue ambitum uerborum, & colon, hoc est membrum ostendit, ut Suidas scribit. Discipulus Platonis fuit, & Socratis. scripsit artem Rhetoricam, & ludicra quædã. Gorgias Siculus è Leontina ciuitate, discipulus Empedoclis fuit, Periclis autem & Isocratis præceptor, Herodici medici frater. Hic multa arti Rhetoricæ adiumenta

adiumēta contulit. nā tropos primus excogitauit, hoc est metaphoras, allegorias, periphrases, ironias, cæteraq́ eius generis. Vixit annos centū & nouem, multaq́ cōscripsit opera. Theodorus Byzantius sophista scripsit cōtra Thrasybulū & Andocidē, ut ait Suidas. Hunc in Phædro λογοδαίδαλον Socrates appellat, hoc est, in sermone uariū. Fuit alius eodē tempore Theodorus Cyrenaicus philosophus, qui ἄθεος dictus est, eo quòd nullū esse deū crederet. de quo Cicero primo de Nat. deor. Hi multa, inquit, satis argutè dixerunt, sed tamen non admodum laudanda: quoniā erant minuta, utpote tunc primum nascentia: & quandā uersiculorum similitudinem habebant, quod in oratione uitiosum est: præterea nimium depicta, & quodammodo fucata uidebantur.

Quo magis sunt Herodotus Thucydidesq́ mirabiles: quorum ætas cum in eorum tempora quos nominaui, incidisset, longißimè tamen ipsi à talibus delicijs, uel potius ineptijs abfuerunt.

Herodotus & Thucydides in historia maximè commendantur à Cicerone, multis in locis. nam Herodotū primo de Legib. patrem historiæ uocat: in secundo de Oratore, principem uocat eorū qui historias scripserunt. De Thucydide superius dictum est. Herodotus fuit ex Halicarnaso Cariæ ciuitate, nobili loco natus: sed Lygdami tyrannide offensus, in Samum insulā concesit, ubi suas historias conscripsit. Postquā expulsus fuisset Lygdamus tyrannus, in patriam reuersus est. Sed cum in multorū inuidiā incidisset, relicta patria Thuriū concesit, quæ fuit Atheniensium colonia, atq́ ibi diē suum obijt. Laudat autem hos historicos Cicero, quòd licet eo tempore fuerint, quo Sophistæ in precio habebantur, non tamen eorum dicendi genus secuti sunt, neq́ illas numerorum & figurarum ineptias amplecti uoluerunt.

Alter enim sine ullis salebris, quasi sedatus amnis fluit; alter incitatior fertur, & de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicū: primisq́ ab his (ut ait Theophrastus) historia commota est, ut auderet uberius quàm superiores, & ornatius dicere.

Duos nobiles historicos inter se comparat: & Herodotum quidem sedatum & tranquillū, Thucydidem autem concitatum & uehementē esse ait. Alter enim.) Herodoti locutio quieta, sine ullis impedimentis, non aliter atq́ fluuius sedatus labitur. Sedatus amnis.) Hac similitudine non tam quietū dicendi genus, quàm copiam significat. Sæpe enim à Cicerone copia dicēdi fluuio comparatur. ut pro Marcello, Nullius est tantū flumen ingenij. & 2. de Orat. dixit orationis flumen & uarietatem. in Lucullo sic ait: Veniet illud flumen orationis aureum fundens Aristoteles, qui illum desipere dicat. Alter incitatior.) Thucydides Herodoto longè uehementior est, & (ut ait Quintilianus) densus & breuis, & semper instans sibi. Canit bellicum.) quodammodo ad arma incitare uidetur. nam apud Latinos, canere bellicum est, accendere ad prælium: quoniā tuba prælij signum dabatur. Significat etiam per translationem, animare et adhortari. ut Philippica septima: Bellicum me cecinisse dicūt. Dicitur etiā canere clasicum, qui disidium excitat. Contrà receptui canere, pro finire ponitur. ut Philippica duodecima: Quis enim reuocātem & receptui canente senatu, properet dimicare? Primisq́.) Theophrasti auctoritate probat, Herodotum et Thucydidem primos fuisse, qui historiam illustrarint, cum superiores aridi atq́ ieiuni fuissent.

Horum ætati succesit Isocrates, qui præter cæteros eiusdem generis, laudatur semper à nobis: nonnunquam Brute leniter, & eruditè, repugnante te, sed credes mihi fortasse, si quid in eo laudem, cognoueris.

Isocrates Atheniēsis fuit, Theodori Pontificis filius, Prodici Chij & Gorgię Leontini discipulus, septem annis Platone senior: qui quamuis eloquentissimus esset, tamen à Reip. muneribus abstinuit, cùm ob uocis exilitatem, tum etiam quia natura timidus erat. docuit autem plurimos & nobilissimos, qui in eloquentia præstiterunt. Cum autem quidam ab eo petisset, quomodo posset alios docere publica tractare, cum ipse loqui publice non auderet? respondit: Etiā cotes, quamuis ipsæ secare nō possint, tamen ferrū acutū reddunt. quod Horatius in Arte poetica sic mutuatus est:

—Ego fungar uice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum ualet, exors ipsa secandi.

Vixit annos nonaginta nouem, ut Cicero testatur. Hunc igitur multis in locis Cicero uehementer laudat, ut in Bruto: Isocrates, cuius domus cunctæ Græciæ quasi ludus quidam patuit, atque officina dicendi, magnus orator, & perfectus magister. in secundo de Oratore: Ecce tibi exortus est Isocrates, magister istorum omnium, cuius è ludo tanquam ex equo Troiano innumeri principes exierunt. Brutus igitur, contra Ciceronis sententiam minimè laudandum Isocratem esse censebat. Quare causas adfert Cicero, cur existimet magna laude dignum esse Isocratem. Eiusdem generis.) Intelligit sophistas, quibus omnibus Isocratem præstitisse contendit. Leniter & erudite.) Egregiè Brutum commendat, quòd in contradicendo lenis & eruditus esset. neque enim conuenit amicis asperè contradicere: & præterea turpe est, cum alicui contradicimus, id imperitè facere.

Nam cum concisus ei Thrasymachus minutis numeris uideretur, & Gorgias, qui tamen primi traduntur arte quadam uerba iunxisse: Thucydides autem præfractior, nec satis (ut ita dicam) rotundus, primus instituit dilatare uerbis, & mollioribus numeris explere sententias.

Exponit, quid sit illud quod in Isocrate laudet: nempe uerborum ambitus plenos ac rotūdos, & molliores ac suauiores numeros. Viderat (inquit) ea quę Thrasymachus & Gorgias scripserant, esse minuta, nec satis aures complentia: Thucydidis autem historias duro quodam & aspero stylo conscriptas: itaque uoluit ipse uerbis dilatare sententias, & mollioribus eas numeris concludere. Præfractior.) asperior & durior. Præfractus enim est, qui flecti non potest, sed potius frangitur: unde pro obstinato ponitur. ut 3. de Offic. Ego etiam cum Catone meo dissensi, nimis præfractè uidebatur ærarium uectigaliaque defendere. hinc etiam factum est, ut homo durus & inexorabilis dicatur rubo arefacto præfractior: quoniam rubus cum exaruit, flecti non potest, sed potius rumpitur. tales homines Græci uocant αὐθάδεις. Rotundus.) plenus, perfectus. ut Horatius in Arte,

Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo Musa loqui.—

In quo cū doceret eos qui partim in dicendo, partim in scribendo principes extiterunt, domus eius officina habita est eloquentiæ.

Duabus de causis ostendit, Isocratem magnopere esse laudandū. primò, ab effectis: deinde, etiam ab auctoritate Platonis: & quoniam opus, ut uulgo dicunt, artificiū commendat. idcirco ait discipulos Isocratis alios in dicendo, alios in scribendo principes extitisse: unde factum sit, ut præclarus eloquentiæ magister haberetur. Plutarchus ait Isocratem centum atque amplius discipulos habuisse, & eos quidem nobilissimos. inter quos fuit etiam Timotheus, Cononis filius, & Theopompus Chius, & Ephorus Cumæus. Quod autem ait Cicero, discipulos Isocratis partim in dicendo excelluisse: notat Isæum & Hyperidem, qui clari oratores fuerunt, & (ut ait Plutarchus) Isocratis discipuli. Fuit autem

autem Isæus in dicendo tam copiosus, ut etiam prouerbio dicatur, Isæo torrentior: de uehementer copioso. Hyperides autem tam acutus, ut eius acumen celebretur. In scribendo uerò præstitere, Theopompus Chius historicus, & Asclepiades, atque Theodectes, Tragici: & Lacritus legislator Atheniensiũ, nonnullique alij. Ferunt Isocratem pro mercede mille drachmas exigere solitum, ut totam artem rhetoricam doceret. Demosthenẽ uerò cum adhuc esset iuuenis, ad eum accessisse atque dixisse: mille drachmas se non habere quas ei traderet, sed ducentas tantum. itaque rogabat, ut pro illis quintam artis partem eum doceret. Tunc Isocrates: Non partimur (inquit) ô Demosthenes, artem nostram, sed tanquam preciosos pisces integram uendimus.

Itaque ut ego, cum à nostro Catone laudabar, uel reprehendi me à cæteris facile patiebar: sic Isocrates uidetur testimonio Platonis, aliorum iudicia debere contemnere.

Argumentũ ab auctoritate sumptũ. Illa uera laus est, quæ à laudato uiro procedit. Qui uerò laudatur à præstantibus uiris, non debet iudicia uulgi curare. Sumit autem exemplum à persona sua, quod tamen Bruto mirè gratum sit, propterea quòd Catonem eius auunculum & socerum honorificè nominat: & artificiosè quidem, in eo quòd Bruto contradicturus erat. Multi erant qui res gestas in consulatu à Cicerone reprehenderent, uerùm eas Cato magnopere commendabat. Itaque Cicero se pluris iudicium Catonis fecisse, quàm aliorum omnium, ait. Ita, inquit, etiam Isocrates, cum testimonio Platonis celebretur, alios curare non debet. Testimonio Platonis.) Cum præsertim cæteros omnes rhetores ubique ferè Plato insectetur, aut irrideat, hunc autem unum suspiciat: quod certè uir prudentissimus non fecisset, nisi hunc maximè cæteris præstare intellexisset.

Est enim, ut scis, quasi in extrema pagina Phædri, his ipsis uerbis loquens Socrates: Adolescens etiam nunc, ô Phædre, Isocrates est, sed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem? inquit ille. Maiore mihi ingenio uidetur esse, quàm ut cum orationibus Lysiæ comparetur. Præterea ad uirtutem maior indoles: ut minimè mirũ futurum sit, si cum ætate processerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc studet, tantum, quantum pueris, reliquis præstet omnibus, qui unquam orationes attigerunt: aut si contentus his non fuerit, diuino aliquo animi motu maiora concupiscet. inest enim natura philosophia in huius uiri mente quædam.

Recitat Platonis testimoniũ de Isocrate, ex dialogo qui Phędrus inscribitur: ubi Socrates cum Phædro loquẽs inducitur, & ea de Isocrate dicens, quæ hoc loco Cicero ad uerbũ interpretatus est. Adolescens.) Nã septem annis tantũ Platone natu grandior erat. De illo augurer.) Facile enim, adolescẽtis ingeniũ cognoscentes, possumus de futuro coniecturã facere. Licet enim (ut aiũt) ex unguibus leonẽ ęstimare. uerbum aũt illud, ab auguribus per trãslationem sumptũ. Maiore mihi ingenio.) Eo tẽpore primas in eloquentia Lysias obtinebat, sed Isocratẽ maiorem futurũ Socrates auguratus est: quæ opinio illum non fefellit. nam superiores omnes oratores longo interuallo post se reliquit. Aut si cõtentus.) Aptum illũ etiam uehementer ad philosophiæ cognitionẽ ostendit. Inest enim natura.) Scientiæ cupiditas naturalis est omnibus hominibus, sed in alijs magis, in alijs minus elucet. Hoc est quod initio primæ philosophiæ dixit Aristoteles, Omnes homines naturaliter scire desiderant. Idem Aristoteles in Ethicis duo uirtutum genera ponit, quorum alterum

in ratione sit, alterum more perficiatur. quod autem more perficitur, id non in natura esse. sed in uoluntate tantum: quod uerò est in ratione, ingenerari quidem à natura, sed tamen magna ex parte à doctrina accessionem habere. Cum igitur prudentia & sapientia in ratione posita sit, non mirum est, si dixit Socrates, in mente Isocratis natura quandam fuisse philosophiam.

Hæc de adolescente Isocrate Socrates auguratur. at ea de seniore scribit Plato: & scribit æqualis, & quidem exagitator omnium rhetorum hunc miratur unum.

Confirmat Platonis testimonium ab adiunctis, ut firmum ac stabile esse ostendat. Induxit quidem, ait, Socratem Plato de Isocrate adolescente uerba facientem: uerùm cum hæc ipse scriberet, iam senior erat Isocrates. Duobus autem modis amplificat hoc testimonium. primò, quòd æqualis Plato esset Isocrati: & inter æquales ferè semper est inuidia. deinde, quòd alios Rhetores omnes Plato soleret exagitare, quod etiam de Isocrate fecisset, nisi illum longè cæteros antecelluisse iudicasset.

Me autem, qui Isocratem non diligunt, unà cum Socrate & Platone errare patiantur.

Sententiam suam Socratis & Platonis auctoritate defendit. Mauult enim (ut alibi dicit) errare cum Platone, quàm cum cæteris bene sentire. Neq; enim turpe est, uiros clarissimos imitari, etiam si fortasse non ab omnibus laudetur. Hoc est quod Vlysses apud Ouidium dicit, cum crimen suũ, quod Troianum bellum detrectasset, Achillis exemplo defendit. sic enim ait:

Haud timeo, si iam nequeam defendere crimen
Cum tanto commune uiro.—

Dulce igitur orationis genus, & solutum & effluens, sententijs argutum, uerbis sonans est in illo epidictico genere, quod diximus, proprium sophistarum, pompæ quàm pugnæ aptius, gymnasijs & palestræ dicatum, spretum & pulsum foro.

Post Isocratis laudes reuertitur ad demonstratiuum genus, ut quale sit ostendat. & quoniam ad delectationem ferè cõparatur, dulce ait esse debere, quod ita sit auribus gratum, sicuti dulcia sunt palato. est enim metaphora. Sic etiam Horatius præcipit in Arte poetica:

Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto,
Et quocunq; uolent animum auditoris agunto.

Et solutũ.) Non quia numeris careat, quos sophistæ diligenter consectati sunt: sed quia non argumentatur, neq; contendit, uerùm potius perpetuæ narrationi simile est, ut etiam Quintilianus affirmat. Ideo uocat etiam effluẽs, hoc est latum & copiosum: quoniam res quas exponit, omni ratione conatur amplificare. Sentẽtijs argutũ.) Hoc ideo fieri necesse est, quia laus res honestas extollit, uituperatio turpes insectatur. Multæ sunt in oratione pro lege Manilia argutæ sententiæ, uel ad laudẽ, uel ad uituperationem. Ad laudem, ut illa: Fuit profectò quibusdã summis uiris quædam ad amplitudinem & gloriã diuinitus adiuncta fortuna. rursus illa: Quo minus certa est hominum, ac minus diuturna uita, hoc magis Resp. dum per deos immortales licet, frui debet summi hominis uita atq; uirtutẽ. Ad uituperationem, ut illa: Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui seipsum non continet: neque seuerus esse in iudicando, qui alios in se seueros esse iudices non uult. Verbis sonans.) Plena debent esse uerba, grauia, consonantia. ut illa: Est hæc diuina atq; incredibilis uirtus Imperatoris. Rursus illa: Hic miramur hunc hominem

tantum

tantum excellere cæteris. & illa: Nunc imperij nostri splendor illis gentibus lucet. Pompæ.) Hoc genus, inquit, in iudicio locum non habet, ubi seriò res agitur, neq; tantum uoluptas quantum fides quæritur, sed pompæ & ostentationi accommodatum est. idcirco ualet in concionibus, & apud imperitam multitudinem. Vnde panegyrici recitabantur in hoc genere, quoties aliqua celebritas in Græcia fieret. Fiebant etiam orationes in eorum laudem, qui pro patria mortui fuissent: ut & illis meritum honorem tribuerent, & alios ad eandem gloriam excitarent. Gymnasijs.) hoc est, exercitationibus rhetoricis. multum enim prodest, in hoc genere multum exerceri: uel quia uirtutum & uitiorum magnam cognitionem adfert, uel quia nutrit, & plurimum auget eloquentiam. Hoc est quod subiungit Cicero:

Sed quòd educata huius nutrimentis eloquentia est, ipsa se postea colorat, & roborat: non alienum fuit, de oratoris quasi incunabulis dicere. Verùm hæc ludorum atq; pompæ. nos autem iam in aciem, dimicationemq; ueniamus.

Rationẽ adfert, quare de genere demonstratiuo uerba fecerit, quod à forensi maximè diuersum esse uideatur. Quoniã, inquit, eloquentia, quasi lacte quodam, ut infantes solent, ab epidictico illo genere nutritur: sed postea cibum ualidiorem sumens, fit coloratior & robustior. Tota metaphora est à pueris sumpta, qui primò lacte, deinde cibis etiã alijs nutriuntur. Itaq; perseuerãs in translatione, uocat demonstratiuũ genus oratoris incunabula. Sed quia lõgius petita translatio uidebatur, idcirco non simpliciter dixit incunabula, sed quasi incunabula. Ex hoc loco iuuenes præceptum illud capiant, opus esse in demonstratiuo genere diu multumq; uersari, si quis cupit ad iustam eloquentiam peruenire. Vt enim puer sine lacte commodè nutriri non potest, ita eloquentia sine demonstratiuo genere non potest augeri. Verùm hæc.) Transitio tota metaphorica, sumpta à militibus, qui multum in ludis gladiatorijs se exercent, antequam in aciem descendant. Aciem uerò & dimicationem, causas forenses appellat.

Quoniam tria uidenda sunt oratori, quid dicat, & quo quicque loco, & quomodo, dicendum omnino est quid sit optimũ in singulis. Sed aliquanto secus, atq; in tradenda arte dici solet. Nulla præcepta ponemus, neq; enim id suscepimus: sed excellentis eloquentiæ speciem & formam adumbrabimus. nec quibus rebus ea paretur exponemus, sed qualis nobis esse uideatur.

Hactenus, multa esse dicendi genera docuit, & in eis aliquid esse optimum. Epidicticum uerò genus esse tanquam incunabula quædã eloquentiæ. Nunc quoniã uis oratoris in quinq; partes distributa est, id est, in inuentionẽ, dispositionem, elocutionem, memoriã, & pronũciationem: in singulis quærit, quid optimum sit. de memoria tamen nihil sibi dicendum ait, quoniam est communis multarum artium. Tria sunt, inquit, quæ considerare debet Orator: primò quid dicat, deinde quo quicq; loco, tum quo modo. Primum ad inuentionem pertinet, quæ partim artificiosa est, & à locis sumitur: partim artis expers, & assumitur extrinsecus. Secundũ ad dispositionem, quę multũ ad fidẽ faciendam ualet. Tertium ad elocutionem & pronunciationem, quæ duæ res oratoris maximè propriæ sunt. Nam inuenire, disponere, & meminisse, cõmunia sunt oratori cum multis artificibus: eloqui uerò & agere, solius est oratoris. Sed aliquanto secus.) Explicat ordinẽ, quẽ in hoc opere secutus est. Neq; enim rhetorica præcepta persequi uult, sed tantũ excellẽtis eloquẽtiæ formã adumbrare. Sumpsit aũt à pictoribus metaphorã, qui res adumbrare dicuntur, quoniã

in pingendo umbram potissimum sequūtur. Dicunt etiā ipsam picturā ab umbra hominis lineis circūducta repertā fuisse, quod Quintilianus libro decimo his uerbis affirmat: Non esset pictura, nisi quæ lineas modò extremas umbræ, quam corpora in sole fecissent, circumscriberet. Est igitur adumbrare, pictoris more aliquam rem ita designare, ut eam spectatores agnoscere possint. Nec quibus rebus.) Hoc enim iā copiosè docuerat in libris de Oratore, ut nō opus esset eadem repetere. Vult igitur tantum eloquentiæ faciem exprimere.

Ac duo breuiter prima. sunt enim nō tam insignia ad maximam laudē, quàm necessaria, & tamen cū multis penè communia.

Cum tria sibi consideranda proposuisset, quid dicat orator, quo quicq; loco, & quomodo: duo prima se breuiter attingere uelle inquit. & duas adfert rationes: primò, quia licet necessaria sint oratori, non tamen maximam laudem adferre possunt: deinde, quòd cum multis alijs communia sunt. Sed quid est quod dicit, inuentionem & dispositionē esse quidem necessariā, non tamen insignem ad maximā laudem? Declarat hoc alibi Cicero, nihil esse quod maiorē oratori laudem adferat, quàm aptam, distinctam, atq; ornatā elocutionem & pronunciationem. Illud autem insigne ad laudem dicitur, quod non est cum multis commune, sed singulare, & alicuius proprium.

Nam & inuenire, & iudicare quid dicas, magna illa quidem sunt, & tanquam animi instar in corpore, sed propria magis prudentiæ, quàm eloquentiæ: quæ tamen causa est uacua prudentia?

Rationē adfert, cur inuentio et dispositio, quamuis necessariȩ sint, non tamē adferant magnā laudē: Quoniā, inquit, nō eloquentiæ, sed prudentiȩ propriȩ sunt. Tanquā animi.) Tota oratio, est quasi corpus quoddā: res et sententiȩ, quæ inueniuntur & disponuntur, sunt quasi animus: elocutio uerò, uestimenti instar est, quæ extrinsecus apparet. Ergo ita accidit, ut quemadmodū hominē uidentes, non eum admiramur, quòd corpus & animū habeat, sed si fuerit preciosis uestibus indutus, & uarijs rebus ornatus, tunc eum miramur: ita orationem nemo laudat, quòd res & sententias in se habeat, sed quòd sit grauis, ornata, copiosa. Quæ tamen causa.) Prudentia in omnibus rebus, & maximè in causis est necessaria. itaq; cum inuenire & disponere prudentiæ propria sint, sequitur, ut etiam in causis sint necessaria.

Nouerit igitur hic quidem orator, quem summum esse uolumus, argumentorum & rationum locos.

De inuentione primò uerba facit, cuius rationem orator habere debet. atq; illud primum est, ut argumentorum & rationum locos intelligat. Sunt autem loci sedes argumentorum, quorum triplex est genus. uel enim communiter ad omnem disputationem pertinent, atq; ij dialectici sunt, & in ea parte Dialecticæ traduntur quæ Topica dicitur: quorum tamen cognitio necessaria est oratori, quemadmodū & in 2. de Orat. & in Partionib. & in Topicis ipse Cicero docet. uel ad quæstiones siue constitutiones referuntur, hoc est ad coniecturalem, definitiuam, iuridicialem: quarum unaquæq; proprios habet locos. uel deniq; ad ipsa causarum genera spectant: quoniam alijs locis in demonstratiuo, alijs in deliberatiuo, alijs in iudiciali uti oportet. Quorum omniū plenam cognitionem habere debet orator, ut in omni disputatione rationes & argumenta inuenire possit.

Nam quoniā quicquid est quod in controuersia aut in contentione uersetur, in eo aut sit'ne, aut quid sit, aut quale sit, quȩritur: sit'ne, signis: quid sit, definitionibus: quale sit, recti praui'ue partibus.

Constitutiones causarum breuiter enumerat, ut ostendat qua ratione perfectus orator eis uti debeat. nã cum aliquis in iudiciũ uocatur, aut factum esse negat à se id cuius arguitur: & tunc nascitur quæstio, Sit'ne? quę coniecturalis uocatur constitutio. aut factum quidem concedit, sed id alio nomine uocari censet oportere: unde quæstio nascitur, Quid sit? quæ definitiua constitutio nominatur. aut deniq; factum & nomen facti concedit, sed iure à se fieri potuisse defendit: ex quo nascitur quæstio, Quale sit? quæ iuridicialis constitutio nuncupatur. Prima igitur quæstio signis explicatur, secunda definitionibus, tertia recti prauiq; partibus.

Quibus ut uti posit orator, non ille uulgaris, sed hic excellens, à proprijs personis & temporibus semper, si potest, auocat controuersiam.

Nunc docet, quomodo quæstionibus uti perfectus orator soleat. Verùm sciendũ est, aliquas esse quęstiones, quæ proprias personas & tẽpora cõtineant, quæ causæ & controuersiæ nominantur: ut, Milo Clodiũ interfecit aliquas autem, quæ proprijs personis & temporibus carent, sed cõmuniter de omnibus personis et temporibus dicuntur, quæ uocantur proposita, uel consultationes, uel quæstiões infinitæ, seu generales: ut insidiator iure potest interfici. sic enim intelligitur, quicunq; fuerit insidiator, & quocũq; tempore. Quid ergo? Solet (inquit) orator, quotiescunq; potest, à proprijs personis & temporibus auocare controuersiam, ut cõmuniter potius & generatim disputet, quàm propriè et singulariter. Verùm adiunxit, Si potest: quoniã in cõiecturis sæpe fit, ut in causa consistendum sit, neq; possit orator ad generalem quæstionem accedere. ut Roscius Amerinus parricidij accusatur, Cicero defensor factũ negat: hic necesse est in causa consistere, & de persona Roscij uerba facere. Quamuis huic etiam causæ semper generalis quæstio cohæreat: hoc est, non à probis & feuerè educatis filijs, sed à perditis & consceleratis parricidia committi solere. Atque hæc quæstio totam causam ferè continet.

Latius enim de genere, quàm de parte, disceptare licet, ut quod in uniuerso sit probatum, id in parte sit probari necesse.

Ratio, quare debeat orator à proprijs personis auocare controuersiã: quoniam longè copiosius de toto genere disputare possumus, quàm de una tantum parte: & quod de genere dictũ fuerit, id etiã parti cõueniet. Genus aũt Cicero uocat, omne cõmune generaleq; uocabulũ, etiamsi tantũ induidua numeroq; solo differentia cõplectatur. nã apud rhetores id est genus, quod apud grammaticos nomen appellatiuũ. Partem aũt hoc loco uocat Cicero, quod Grammatici proprium nomen appellant. Debemus igitur à proprijs nominibus ad communia transire, si copiã orationis quærimus. ut ecce pro Murena Cicero, comparat ipsum Murenã belli ducem, cum Seruio Iurisconsulto: & probare contendit, Murenam esse utiliorẽ Reip. quàm sit Seruius Sulpitius. quid ergo facit? Relinquit proprias Murenæ, Seruijq; personas, & cõmuniter belli duces cum Iurisconsultis comparat: atq; ostendit, multo utiliores esse Reip. quàm iurisconsultos. Sic enim, quod in genere probatũ est, id etiam in parte probari necesse est, hoc modo: Belli duces in Rep. sunt utiliores quàm iurisconsulti: Murena est dux belli, Seruius est iurisconsultus: ergo utilior est Reip. Murena, quàm Seruius. quod argumentandi genus multo firmissimum est. Sic pro Milone: Insidiatori uerò et latroni quę potest inferri iniusta nex? probat enim, omnem insidiatorem iure interfici posse: quo probatur etiam, Clodium, qui struxit insidias, iure interfectum.

Hæc igitur quæstio à proprijs personis & temporibus ad uniuersi generis orationem traducta, appellatur thesis.

In Topicis hęc fusius explicat, ubi duo quæstionum genera dicit esse: alterũ infinitum, alterũ definitum. Definitũ est, inquit, quod ὑπόθεσιν Græci, nos causam: infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos propositum possumus nominare. Quoties igitur quæstio proprias personas & tempora continet, hypothesis et causa dicetur: quoties autem ad uniuersi generis orationem traducitur, & proprijs personis & temporibus caret, thesis & propositum uocabitur.

In hac Aristoteles adolescentes, non ad philosophorum morem tenuiter differendi, sed ad copiam rhetorum in utranq; partem, ut ornatius, & uberius dici posit, exercuit.

Aristoteles motus Isocratis gloria, cuius domus, ut suprà dictum est, eloquentiæ quasi quædam officina uidebatur, cœpit in oratoria facultate iuuenes exercere, dicens, αἰσχρὸν σιωπᾶν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν: ut Quintilianus auctor est. Has autem oratorias scholas pomeridianis tantum horis exercebat, & ἐξωτερικοὺς λόγους uocabat, omnesq; iuuenes sine discrimine admittebat. nam matutino tempore naturalibus rebus operam dabat, et eas disputationes ἀκροαματικοὺς λόγους appellabat: tantumq; illos admittebat, quos ingenio præstare intelligeret. Ad philosophorum morem.) Solebant enim philosophi tenuiter & subtiliter differere, neq; admodum copia uerborũ delectari, quoniã rebus magis quàm uerbis studerent: quod etiã hoc nostro tempore faciunt. ideo primo de Finib. Cicero dixit: A' philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner: si non habeat, non admodum flagitem. Sed Aristoteles de rebus tantum probabilibus, non autem necessarijs, docuit in utranq; partem disputare: quam dein de consuetudinem etiam reliqui Peripatetici secuti sunt.

Idemq; locos (sic enim appellat) quasi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utranq; partem traheretur oratio.

Conscripsit octo libros Topicorum Aristoteles, in quibus argumentorum locos et sedes copiosissimè docuit: quin etiã uiam atq; rationẽ ex eis locis argumenta ducendi patefecit. quẽ imitatus Cicero, ad Trebatiũ iurisconsultũ Topica conscripsit, ingeniosè quidẽ & eleganter, ut omnia, sed non satis tamen plenè, neq; apertè. multa enim prætermisit eorum quæ ad artis perfectionem attinent: & exemplis iurisconsultorum usus, opus illud multo difficilius effecit. De eadem materia patrum nostrorum memoria Rhodolphus Agricola conscripsit, tam ingeniosè, tamq; dilucidè, ut (meo quidem iudicio) neq; Ciceroni, neq; Aristoteli sit in hac parte postponendus.

Facile igitur hic noster (non enim declamatorẽ aliquem de ludo, aut rabulam de foro, sed doctissimum, & perfectissimũ quærimus) quoniam loci certi traduntur, percurret omnes, utetur aptis generatim, discet ex quo emanant, etiam qui communes appellantur loci: nec uerò utetur imprudenter hac copia, sed omnia expendet, & seliget.

De inuentione, qua perfectus orator utatur, breuiter agit: quẽ ait oportere locos omnes argumentorũ diligẽter habere cognitos, ut posit ex eis eligere, quos ei causę, quã tractaturus est, aptos esse intellexerit. Hic noster.) quẽ informandũ suscepimus, qui doctissimus et perfectissimus sit. non aũt declamator aliquis, qui fictas tantum causas in scholis agat: neque rabula, hoc est causidicus quispiam, qui uociferando forum perturbet, quales multi reperiuntur.

Loci certi traduntur.) Cicero in Topicis, & in Partitionibus, locos artificiosos ita distribuit, ut alij sint in toto, alij in ijs rebus quæ quodammodo affectæ

affectæ sunt ad totum. In toto tres sunt loci: hoc est, definitio, partium enumeratio, notatio uerbi. in ijs rebus quæ affectæ sunt ad totum, tredecim loci numerantur: hoc est, coniugata, genus, forma, similitudo, differentia, contraria, adiuncta, antecedentia, consequentia, repugnantia causæ, effecta, comparationes maiorum, aut parium, aut minorum. Hi sunt certi loci, ex quibus in utranque partem argumenta sumuntur, quos omnes percurrere debet orator. Vtetur aptis.) Non enim æqualiter apti sunt omnes, in omni causa: sed alij magis coniecturæ conueniunt, alij definitioni, alij qualitati. Coniecturæ magis quàm alij conueniunt, causæ, effecta, adiuncta. Definitioni primò conuenit ipsa definitio, tum antecedentia, repugnantia, causæ, partes, effecta. Qualitati conuenit genus, forma, similitudo, comparatio. nonnunquam etiam omnes loci concurrunt in una causa. Verùm nos de frequentiori usu loquimur. Erit igitur oratoris iudicium, ut generatim, hoc est in unoquoque genere, aptis locis utatur. Communes loci.) Aphthonius in progymnasmatis suis communem locum ita definit: κοινὸς δὲ τόπος, λόγος αὐξητικὸς τῶν προσόντων τινὶ καλῶν, ἢ κακῶν. id est, Communis locus est oratio, quæ amplificat ea quæ sunt in aliqua re bona, uel mala. Sunt autem de uniuerso genere: ut si quis de Repub. benemerentes extollat, hostes patriæ detestetur. Crassus apud Ciceronem tertio de Oratore sic ait: Consequentur etiam illi loci, qui quanquam proprij causarum, & inhærentes in earum neruis esse debent, tamen quia de uniuersa re tractari solent, communes à ueteribus nominati sunt. quorum partim habent uitiorum & peccatorum acrem quandam cum amplificatione incusationem, aut querelam, contra quam nihil dici solet, nec potest: ut in depeculatorem, in proditorem, in parricidam, quibus uti confirmatis criminibus oportet: aliter enim sunt ieiuni, atque inanes. alij autem habent deprecationem, aut miserationem: alij uerò ancipites disputationes, in quibus de uniuerso genere in utranque partem disseri copiosè licet. Ergo sicuti tria genera rerum sunt, hoc est, bona, mala, media: (uirtutes enim, & earum effecta, bona sunt: uitia uerò, mala: diuitiæ, nobilitas, cæteraque eius generis media sunt, hoc est, neque bona neque mala, sed utentium moribus accommodantur) ita etiam locorum communium tria sunt genera. nam bona communiter laudamus, mala uituperamus, de medijs in utranque partem disserimus. A' bonis igitur, & malis, & medijs rebus emanant communes loci: quibus orator perfectus prudenter utetur, & ad causam accommodatè.

Non enim semper, nec in omnibus causis, ex ijsdem eadem argumentorum momenta sunt, iudicium ergo adhibebit: nec inueniet solum quid dicat, sed etiam expendet.

Ratio est, cur omnia expendere atque seligere debeat orator: Quoniam (inquit) non omnibus causis omnia argumenta conueniunt. itaque iudicio opus est ad inueniendi rationem. Hoc est, quod Quintilianus ait, iudicium cum inuentione connexum esse debere. Neque enim inuenisse dici potest, qui non iudicarit. Nec inueniet solum.) Non satis est inuenire multa quæ dicamus, sed oportet etiam expendere & considerare, utrum causæ conueniant, nec ne: et leuia rejcere, communia præterire, & quę non necessaria uideantur.

Nihil enim feracius ingenijs, his præsertim quæ disciplinis exculta sunt.

Sententia hæc est uerissima. Mirũ enim dictu, quàm multa illis ex tempore succurrant, qui in studijs bonarũ artiũ multũ diuque uersati sunt. Sed nõ omnia quæ in buccã (ut dici solet) ueniunt, in oratione ponenda sunt: uerũ delectus est adhibẽdus, ut quæ ad propositũ faciunt admittamus, quæ uel aliena sunt

uel

uel parum firma reijciamus. Ingenia uerò feracia uocat Cicero, quæ multa facile solent excogitare. quale fuit ingenium Archiæ poetæ, de quo ita idem Cicero: Quoties ego hunc uidi cum literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum uersuum, de ijs ipsis rebus quæ tum agerentur, dicere ex tempore? quoties reuocatum, eandem rem dicere commutatis uerbis atque sententijs? Talem fuisse T. Liuium historicum accepimus, ut subita dicendi facultate omnium animos in sui admirationem conuerteret. de quo Plinius secundo Epistolarum sic ait: Nunquam'ne legisti Gaditanum quendam, Titi Liuij nomine gloriaque commotum, ad uisendum eum ab ultimo terrarum orbe uenisse, statimque ut uiderat abijsse? Quin idem Plinius Isæum rhetorem uehementer admiratur, quòd subita & eleganti dictione uteretur: Magna, inquit, Isæum fama præcesserat, maior inuentus est: summa est facultas, copia, ubertas: dicit semper ex tempore, sed tanquam diu scripserit. Sed quid hos commemoro? cum Ciceronis nostri fœcunditatem liceat admirari: qui cùm prudentia, & acumine, & uenustate, & subtilitate, tum uerò eloquentia, uarietate, copia, quam se cunque in partem dedisset, omnium fuit facile princeps.

Sed ut segetes fœcundæ & uberes, non solum fruges, uerùm herbas etiam effundunt inimicissimas frugibus: sic interdum ex illis locis aut leuia quædã, aut causis aliena, aut non utilia gignuntur: quorum ab oratoris iudicio delectus magnus adhibebitur. alioqui quónam modo uir ille bonus, in bonis hærebit & habitabit suis? ut mollies dura? aut occultabit, quæ dilui non poterunt, atque omnino opprimet si licebit? aut abducet animos? aut aliud afferret, quod oppositum probabilius sit, quàm illud quod obstabit?

Similitudine probat, interdum ex locis argumenta non utilia nasci solere. Quemadmodum, inquit, agri fœcundi & uberes, non tantum fruges effundere solent, sed etiam herbas quæ maximè frugibus noceant: ita fit, ut sæpe ex locis non tantum firma argumenta, sed etiam leuia, à causis aliena & inutilia ducantur. Quæ sint autem herbæ frugibus inimicissimæ, declarat Virgilius primo Georgicorum his uerbis:

Mox & frumentis labor additus, ut mala culmos
Esset rubigo, segnisq; horreret in aruis
Carduus: intereunt segetes, subit aspera sylua,
Lappæq;, tribuliq;, interq; nitentia culta
Infelix lolium & steriles dominantur auenæ.

Segetes hoc loco posuit Cicero pro aruis aratis & subactis, quemadmodum etiam secundo Tuscul. cum ait: Etsi in segetem sunt deteriorẽ datę fruges, illæ tamen suapte natura enitent. Argumenta quæ improbantur, aut leuia sunt, aut à causis aliena, aut inutilia. Leuia dicuntur, quæ probandi uim non habent, ut pro Rosc. Am. Cicero leue argumentum Erucij esse ostendit, quòd dixerat patri Roscium inuisum esse, quoniam eum rei rusticę præfecerat. tale est illud Seruij Sulpitij contra Murenam, qui dixerat eum ideo luxuriosum existimari debere, quoniam in Asia diu fuerat: quod ostendit Cicero leuissimum esse.
A' causis aliena dicuntur argumenta, quæ non modò causam non adiuuant, sed etiã illi nocent. quale erat illud quo utebatur Q. Cæcilius, qui dicebat ideo sibi dari debere accusationem contra Verrem, quoniam Quæstor eius fuerat. itaque respondet Cicero: Si summam iniuriam ab illo accepisti, tamẽ quoniam Quæstor eius fuisti, non potes eum sine ulla uituperatione accusare. Tale est illud Erucij, qui dicebat à Roscio patrem interfectum, quoniam eiusmodi tempus erat, ut homines uulgo impunè occiderentur. quod argumentum contra ipsum Erucium esse ostendit Cicero, qui à sectoribus ad accusandũ adductus fuisset.

fuisset. Inutilia dicuntur illa, quæ nihil causam adiuuant. ut Q. Hortensius dicebat ignoscendum esse Verri, etiam si Siciliam spoliasset, quoniam uectigalia & decimas populi Rom. magno precio locauerat. Huius igitur generis argumenta bonus orator euitabit, ut in suis bonis hæreat, atque habitet. Debet etiam ea quæ dura sunt argumenta, mollire, ne iudicum & auditorum animos offendat. ut pro Cælio Cicero summa quadam arte probat, aliquid adolescentiæ concedendum, etiamsi peccet, ut Cælij crimina molliat. Aut occultabit.) Si qua sunt, quæ diluere non possit orator, ea debet occultare, atque obscurare dicendo. ita Cicero gloriatur in causa Cluentij, se tenebras iudicibus offudisse. pro Cælio, crimen æris alieni simpliciter obscurat: Fabulas, inquit, qui in patris potestate est, nullas facit: uersuram nunquam omnino fecit ullam. Aut abducet.) Hoc facile fiet, si uel ad risum iudices abducemus: ut pro Murena Cicero, dum Iurisconsultos & Stoicos irridet. uel rem aliquam tristem in medium proferemus: ut pro Cælio, cum dixissent aduersarij, uenenum à Cælio probatum in seruo quodam, statim Q. Metelli interitum deplorare incipit, ut digressione crimen illud Cælij obruat. Aut aliud afferet.) ut pro Rosc. Am. cum dixisset Erucius Roscium odio patri fuisse, quòd eum pater ruri esse uellet: Imò uerò (inquit Cicero) ruri eum ideo esse uolebat, quoniam eum uehementer amabat, ut & ruris amœnitate frueretur, & fructus colligeret.

Iam uerò ea quæ inuenerit, qua diligentia collocabit: quoniam id secundum erat de tribus, uestibula nimirum honesta, aditusque ad causam faciet illustres: cumque animos prima aggresione occupauerit, infirmabit, excludetque contraria: de firmissimis alia prima ponet, alia postrema, inculcabitque leuiora.

Hactenus de inuentione locutus est, ut sciat orator quid dicat. nunc ad collocationem, siue dispositionem transit, ut sciat quid quoque loco sit dicendum. Est enim hoc maximi momenti in causis, quo genere dispositionis utatur orator: quemadmodum in prælijs permagni interest, quo pacto acies imperator instruat. qua laude maximè claruit Pyrrhus Epirotarũ rex, quo neminẽ melius unquam aciem instruxisse, coram Scipione Africano testatus est Annibal. In oratione uerò dispositionis laudem præcipuam apud Romanos consecutus est Hortensius, ut prima in Verrem actione docet etiam Cicero. Verùm in hac parte, sicut etiam in alijs, admirabilis mihi Cicero uidetur: qui suis in orationibus pro causa, pro re, pro loco, pro tempore, & partium orationis & argumentorum ordinem mutat, neque semper eadem collocatione utitur. unde potius ab oratoris prudentia, quàm à præceptis dispositio pendet. Quædam tamen breuia præcepta traduntur hoc loco, quæ multum prodesse possunt. Primò, ut uestibula sint honesta: hoc est, ut exordia dignitatem habeant. quod fiet, si neque uulgaria sint, neque communia, neque commutabilia, neque longa, neque separata, neque translata, neque contra præcepta: quæ uitia exordiorum primo de inuentione numerantur. Ideo Cicero prima actione in Verrem Q. Cæcilium irridet, quod uitiosis exordijs uteretur, cum ait: Siquid ex uetere aliqua oratione, Ioue ego Opt. Max. aut: Vellem, si fieri potuisset, Iudices. aut aliquid eiusmodi ediscere potueris, præclarè te paratum in iudicium uenturum arbitraris. At hic noster orator aditus ad causam faciet illustres, sicuti Cicero pro Milone, quo timorem adimat iudicibus, & Pompeij beneuolentiam sibi conciliet, ita inquit: Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, sed præsidium denunciant: neque solum ut quieto, sed etiam ut magno animo simus, hortantur: neque auxilium modò defensioni meæ, uerùm etiam silentium pollicẽtur, &c. Quid hoc aditu dici potest illustrius? itaque paulatim

hac aggressione animos occupat. deinde statim incipit infirmare atq; excludere contraria, quando ait: Negant intueri lucem fas esse ei, qui à se hominem occisum esse fateatur. in qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? & quæ sequuntur. Cum autem ad causæ probationem uenit, confestim argumenta firmissima primo loco ponit, cum ait: Quo'nam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse, & cætera. Sic quæ leniora sunt inculcat, atq; in medio ponit: postremò reuertitur ad ea quæ firmiora sunt. Hoc enim dispositionis genus optimum est, ut cum ad confirmationem accedimus, primo loco ualidissima argumenta constituamus, quoniam ea iudex magis meminisse solet, quæ prima dicuntur. sicuti etiam postrema. Itaq; seruanda sunt etiam aliqua firma, ad extremam confirmationis partem. Quoniam initio mouendus est iudex, in fine impellendus. Quæ uerò sunt imbecilliora, in confirmationis medio ponenda sunt, & quidem coaceruata: ut cum singula parum firma sint, saltem multitudine & copia ualeant. Hoc est quod ait Cicero, bonum oratorem solere, quæ leuiora sunt, inculcare: hoc est, cumulata atq; conglobata confirmationi adhibere.

Atq; in primis duabus dicendi partibus, qualis esset, summatim breuiterq; descripsimus: sed, ut antè dictum est, in his partibus etsi graues atq; magnæ sunt, minus & artis est, & laboris.

Duas partes absoluit, hoc est inuentionē & dispositionē: & docuit, qualis in eis perfectus orator esse debeat: uerùm id summatim breuiterq; fecit, quoniā hæ partes oratoris non sunt propriæ, licet graues sint atq; magnæ. nam etiā reliqui omnes artifices & inueniunt & disponunt ea quorū indigent: quo fit, ut benè inuenire atq; disponere non magis sit oratoris, quàm alterius artificis, ut Dialectici, Mathematici, Philosophi. Hoc est quod ait Cicero, minus artis & laboris in inueniendo atq; disponendo esse, quàm in eloquendo: quoniam hoc tertium longè maximum est, & oratoris proprium: illa uerò duo prima potius à naturali quadam prudentia, quàm ab arte proficisci uidentur.

Cum autem quid, & quo loco dicat, inuenerit: illud est longè maximum uidere, quónam modo. scitum est enim, quod Carneades noster dicere solebat, Clitomachum eadem dicere, Carneadem autem eodem etiam modo eadem dicere.

Tertiū aggreditur, quod est omniū difficillimū, nempe uidere quo'nam modo quidq; dicatur: quæ pars elocutio dicitur, in qua præcipua est eloquentiæ laus. ideo de hac multo plura uerba facit, q̄ de alijs partibus. Quod aūt plurimi referat, quomodo aliquid dicat, auctoritate Carneadis philosophi sui temporis, & utriusq; familiaris probat, qui duos antiquos philosophos Clitomachum & Carneadē inter se conferens, dicebat, Clitomachum eadem dicere, hoc est semper ieiunè atq; exiliter: Carneadē aūt eadem quidē dicere, sed etiā eodē modo, hoc est copiosè, grauiter, et ornatè. Fuit enim in Carneade uis quędam incredibilis dicendi, qui nullā unquā in illis suis disputationibus rem defendit, quā non probauerit: nullā oppugnauit, quā nō euerterit, ut in 2. de Orat. tradit Antonius. Diogenes Laertius lib. 4. scribit Carneadem Cyrenæum fuisse, qui Chrysippi libris adeò delectabatur, ut diceret: Nisi Chrysippus esset, non essem ego. Magis aūt morali philosophiæ quàm naturali incūbebat, qua de causa oratores quoq; ad eū audiendū conueniebant. Vox eius tam magna, tamq; sonora erat, ut gymnasiarchus sæpe eum admoneret, ne tantopere clamaret. Cum autem is aliquando gymnasiarcho dixisset, Da uocis modum: respondit

respondit ille, Modum habeas ipsos auditores. In quæstionibus erat insuperabilis. qua de causa, conuiuia uitabat, ne parum comis uideretur. Vixit annos octoginta quinque, ut idem Laertius est auctor. Huius discipulus Clitomachus fuit, patria Carthaginiensis, qui prius Asdrubal uocabatur: qui cum annos quadraginta natus esset, Athenas uenit, Carneadisque auditor esse uoluit. cuius cum ingenium Carneades agnouisset, eum studiosè docuit, successoremque sibi destinauit. at Clitomachus magistri memor, quæ ab eo acceperat, editis quadraginta uoluminibus ingenue testatus est.

Quod si in philosophia tantum interest, quemadmodum dicas, ubi res spectatur, non uerba penduntur: quid tandem in causis existimandum est, quibus totis moderatur oratio?

Argumentum à comparatione minorum: Si philosophi, inquit, qui magis res quàm uerba spectare solent, tamen magni interesse existimant, quemadmodum quid dicatur: quanto magis id oratores facere debent, quorum causis & actionibus omnibus oratio sola moderatur? In philosophia.) Nam philosophi res ipsas considerare solent, de uerbis autem non admodum solliciti sunt. Hoc est quod apud Platonē Socrates Theæteto iuueni præcipit, ut si sapiens euadere uelit, res potius quàm uerba consideret. Nam uerba notæ tantum quædam rerum sunt, ideo reperta, ut per ea res explicarentur & intelligerentur. Si enim per se res intelligi possent, uerbis nihil opus esset. Quocirca philosophi, qui rerum interpretes sunt, non ipsa uerba pendunt, sed res potius spectant. & tamen etiam ij philosophi laudantur, qui politè loquuntur, aut scribunt: ut Plato, Xenophon, Theophrastus, Carneades. Oratorum uerò facultas tota ab oratione pendet. itaque non tantum res, quantum uerba locutionemque considerant. ideo fit, ut omnium maximè studere elocutioni debeant: quoniam quanto grauius & ornatius uerba fecerint, tanto facilius persuadere, finemque suum assequi solent. Hæc autem ideo dicit Cicero, ut ostendat, cur de elocutione plura quàm de alijs disserat.

Quod quidem ego Brute ex tuis literis sentiebam, non te id scitari, qualem ego in inueniendo & in collocando summum esse oratorem uellem: sed id mihi quærere uidebare, quod genus ipsius orationis optimum iudicarem.

Ex Bruti literis confirmat, sibi non de inueniendo, aut collocando, sed de eloquendo tractandū esse. Cognoui, inquit, ex tuis literis Brute, te non à me postulare, quod nā esset meum de perfecto oratore iudiciū, quod ad inuentionē aut dispositionē attinet, sed quod ad elocutionis genus. Ex tuis literis.) quas ex Gallia cisalpina nuper ad me dedisti. Quoniam ad eum scripserat Brutus, ut sibi perfecti oratoris formam exprimeret. Quod genus.) Quoniam uaria sunt o rationis genera, ut inferius dicet.

Rem difficilem, dij immortales, atque omnium difficillimam. Nam cum est oratio mollis, & tenera, & ita flexibilis ut sequatur quòcunque torqueas, tum & naturæ uariæ, & uoluntates multum inter se distantia effecerunt genera dicendi.

Duabus de causis probat, difficillimum esse Bruto præstare id quod petiuerat. primò ab ipsius orationis natura, quæ facile torqueri potest quòcunque uolueris: deinde etiā ab ipsis oratoribus, quorum & naturæ & uoluntates uariæ sunt. Rem difficilē.) Epiphonema, quo etiam superius usus est. Sicut autem inter homines nihil est oratione præstantius: ita nihil est, quàm benè dicere, difficilius. Nam cum est oratio.) Prima ratio, ab ipsius orationis natura ducta,

cta, quam tribus epithetis explicat: quòd sit mollis, quòd tenera, quòd flexibilis. quæ quidē epitheta translata sunt uel à cera, uel ab argilla, quæ in quamlibet figurā facile transformari potest. Quàm uerò flexibilis sit uox, declarant Musici & cantores, qui singuli plerunq; uel acutā, uel grauem, uel inflexā, uel cuiuscunq; generis sit, exprimunt. Quid circūforanei? quorum aliqui tam scitè cuiuslibet animantis uocem imitantur ac repræsentāt, ut naturalē & ueram esse putes. hinc etiam illa prouerbio celebrata, Parmenonis sus. Iam uerò id in nostra potestate sitū est, ut quoties loquimur, uel iucunda atq; hilari utamur oratione, uel seuera atq; tristi, uel læta, uel lugubri. Hoc est quod ait Cicero, sequi orationem quòcunq; torqueas. Tum & naturæ.) Secunda ratio, ducta ab ipsis oratoribus, qui neq; eiusdem naturæ, neq; eiusdem uoluntatis esse solent. uix enim è multis millibus duos reperies, qui eadem probent, aut qui eisdem delectentur. quod elegāter Horatius duobus illis carminibus indicat:

Tres mihi conuiuæ propè dissentire uidentur,
Poscentes uario multum diuersa palato.

Variæ naturæ.) Quoniam in alijs sanguis, in alijs pituita, in alijs flaua bilis, in alijs atra dominatur. Sed ij in quibus sanguis dominatur, oratione iucūda, faceta, ridicula delectantur. in quibus pituita, ij pacifica oratione capiuntur, quæ ad quietem & otium adhortetur. in quibus flaua bilis, ij contentiones amant, ocium oderunt: ideo placet eis oratio uehemens, concitata, uolubilis. quos atra bilis occupat, ij dura quadam & seuera, & mœsta oratione ducuntur. ita fit, ut uariæ naturæ uariam etiam orationem desiderent. Huc accedit uoluntas, quæ in eodem non semper est eadem. nam sæpe fit, ut quod semel placuit, idem aliàs non placeat. Hæ sunt causæ, cur tam multa, tamq; inter se distantia facta sint dicendi genera.

Flumen alijs uerborum uolubilitasq; cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam. Distincta alios, & interpuncta interualla, moræ, respirationesq; delectant. quid potest esse tam diuersum? tamen est in utroq; aliquid excellens.

Hic ostendit, quomodo uariæ sint hominum uoluntates: quoniā alij flumine orationis delectantur, & uolubilitate uerborū, quod apud Græcos in Demosthene & Carneade notatū est, apud Latinos in Cicerone et Liuio. Sunt etiam qui cæsim membratimq; dicere gaudeant, sicuti Thucydides & Sallustius. Flumen alijs.) Magna dicendi copia, per translationem flumē uocatur. unde Iuuenalis etiam dixit, Et torrens dicendi copia. & de Marcello Cicero, Nullius est tantum flumen ingenij. Homerus Vlyssis eloquentiam niuibus hybernis comparat, ostendens eam fuisse (quod ait Plinius) crebram, assiduam & largam, postremò diuinam. Qui ponunt.) Videtur in hac sententia ipse Cicero fuisse, ut putaret, in orationis flumine & copia esse eloquentiam, idcirco dixit alibi: Nulla laus eloquentiæ est in breuitate. & quidam eum tanquam nimis redundantē insectati sunt. In hoc genere ponendus est T. Liuius, suprà quàm narrari potest eloquēs, ut ait Quintilianus: cuius lacteā ubertatem Diuus etiam Hieronymus mirificè cōmendat. Distincta alios.) Sunt alijs cordi membra, & incisa, potius quàm uerborū ambitus. hoc genere uidetur Varro delectatus, & Seneca, cuius tamen dictio non satis probatur à doctis. Plinius etiā in hoc dicendi genere distincto & conciso frequēs est. In amplificatione uerò, atq; contentione, frequentissima solent esse interualla, moræ, respirationes. ut pro Rosc. Am. de supplicio parricidarū: Etenim quid tam est commune, quàm spiritus uiuis? terra mortuis? mare fluctuantibus? littus eiectis? ita uiuunt, dum possunt, ut ducere animam de cœlo nō queant: ita moriuntur, ut eorū ossa terra non tangat: ita iactātur fluctibus, ut nunquā abluantur:

tur:ita postremò eijciuntur,ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant. Hæc sunt distincta,interpunctis, interuallis, moris, respirationibus, magnãq; uim habent amplificandi:non tamen eiusmodi tota debet esse oratio. Quid potest esse.) Hæc duo dicendi genera sunt illa quidem, inquit, inter se maxime diuersa,ueruntamen in utroq; potest aliquid excellens inueniri,quod à nobis inuestigandum est.

Elaborant alij lenitate,& æquabilitate,& puro quasi quodam & candido genere dicendi.

Genus hoc dicendi lene & æquabile secutus est in libris de philosophia Cicero, de quo in procemio de Officijs ita inquit: sed hoc quoq; colendum est æquabile & temperatum orationis genus.Sed nemo in hac parte Cæsare felicior est,nemo purior,nemo candidior.

Ecce alij duritatem & seueritatem quandam uerbis, & orationis quasi mœstitiam sequuntur.

Hoc genus à superiore longè diuersum est,quo genere Cato Censorius delectatus fuisse uidetur,& alicubi Sallustius:postea uerò plurimi philosophi,& nostri ferè omnes Theologi. Sed hæc duo genera nostro tempore, duo summi uiri mirabiliter expresserunt,Erasmus & Budæus. Nam Erasmus lenis, æquabilis,& candidus:Budæus contrà durus, seuerus,& quasi mœstus:& tamen non minorem, atq; haud scio an etiam maiorem in suo genere laudem, quàm Erasmus,assecutus est.

Quodq; paulo antè diuisimus,ut alij graues,alij tenues, alij temperati uellent uideri,quot orationum genera esse diximus,totidem oratorum reperiuntur.

Ab oratione cognoscitur orator.quare quot orationum genera sunt, totidem etiam oratorum esse necesse est. Quamuis igitur paulo antè dixerit tria esse oratorum genera,quorum alij graues, alij tenues, alij temperati sint: tamen in unoquoque eorum generum uaria possunt orationum esse genera. quo fit, ut etiam diuersi sint oratores. Non enim illi qui uersantur in sublimi dicendi genere, sunt omnes æqualiter graues: neq; qui in tenui, tenues omnes æqualiter sunt, sed in eis etiam est aliqua differentia. quocirca necesse est, ut oratorum genera multiplicentur: & tot sint, quot orationum etiam genera reperiuntur.

Et quoniam cœpi iam cumulatius hoc munus augere, quàm à te postulatum est:tibi enim tantum de orationis genere quærenti, respondi etiam breuiter de inueniendo, & collocando:ne nunc quidem solum de orationis modo dicam, sed etiam de actionis.

Plura quàm Brutus ab eo petiuerat,se præstare decreuisse ostendit. nam postulauerat Brutus,ut de orationis genere quod perfectũ existimaret, sibi scriberet:at uerò ipse etiam de inueniendo & collocando nõnulla disseruit. nunc etiam de actione,siue pronunciatione quędam adiungit. Cumulatius augere.)Hæc quibus utitur frequentißimè Cicero,cumulatè satisfacere, cumulus meritorum,cumulare officijs,cumulum adiũgere,& huius generis cætera, putat Erasmus prouerbij speciem habere: quoniam etiam Græci prouerbio dicunt σωρὸν ἀγαθῶν, σωρὸν κακῶν, σωρὸν χρημάτων, & multa huiusmodi. Ne nunc quidem.) Cum quæritur quo modo dicat orator,nõ intelligitur tantum quo genere orationis utatur,sed etiam qua actione,quibus gestibus,qua pronunciatione: quoniam elocutionis comes est actio. Neq; minus refert quomodo pronunciet orator,quàm quomodo eloquatur.Hac de causa solebant antiqui

pueros ingenuos ad histriones & ludios mittere, quo ab eis, qui in agendis comœdijs & tragœdijs exercitati erant, actionem ediscerent, & scirent quo uocis genere, quo'ue gestu in quaq; orationis parte utendum esset.

Ita prætermissa pars nulla erit: quandoquidem de memoria nihil est hoc loco dicendum, quæ communis est multarum artium.

Si adiunxero (inquit) de actione & elocutione, nulla rhetoricæ pars erit prætermissa. Et quoniam poterat aliquis obijcere, memoriam esse prætermissam: subiungit, de illa nihil esse dicendum, quoniam non est rhetoricæ propria, sed ad multas artes pertinet. Memoriam uolunt esse duplicem: alteram naturalem, alteram artificiosam. naturalem usu, exercitationeq; confirmari, quod primo de Oratore Crassus ita præcipit: Exercenda est memoria, ediscendis ad uerbum quàmplurimis, & nostris scriptis, & alienis. Pythagorei solebant exercendæ memoriæ gratia, uesperi repetere quid tota die egissent, quod apud Ciceronem de Senectute Cato testatur. quam consuetudinem etiam Virgilius bono uiro attribuit illis uersibus:

Nec prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longi reputauerit acta diei.

Artificiosa memoria fuit inuenta à Simonide poeta, quemadmodum Antonius secundo de Oratore fatetur. ubi etiam historiam recitat egregiam, quæ docet, quomodo eam artem Simonides inuenerit. postea illa arte sunt usi plurimi: qua tantum profecerunt, ut ad miraculum usq; memoria pollerent. ut apud exteros Charmides, Cyneas, Theodectes: apud Romanos Lucullus, Hortensius, Seneca, Portius Latro, Adrianus.

Quomodo autem dicatur, id est in duobus: in agendo, & in loquendo. Est autem actio, quasi corporis quædam eloquentia, cum constet è uoce atq; motu.

Tertium quod uidere debet orator, id est, quomodo dicat. *id* autem è duobus constat: hoc est, ex actione, & locutione. Prius de actione tractat, deinde longè copiosius de locutione. Primò igitur actionem similitudine quadam describit, cum ait esse quasi corporis quandam eloquentiam. postea illam distribuit in duas partes, hoc est, in uocem atq; motum. Vocat autem actionem, eloquentiam corporis: quoniam reliquæ partes rhetoricæ potius ad animum referuntur. nam inuenire, disponere, eloqui, non corporis, sed animi officia sunt: pronunciare uerò, quod à uoce & à motu pendet, non ad animum, sed ad corpus refertur. Duos autem sensus afficere debet orator: hoc est, auditum & uisum. Auditus afficitur uoce clara & suaui, uisus autem apto totius corporis motu. Atque hoc est quod ait Cicero, actionem è uoce atque motu constare. Motum autem intelligimus, omnem tacitam significationem, quæ aliqua corporis parte fiat: ut uultu, qui modò in dicendo tristis, modò lætus, modò seuerus, modò comis, modò terribilis, modò mansuetus esse debet. nam in nulla corporis parte magis exprimitur animus, quàm in uultu. unde Horatius rectè:

—Tristia mœstum
Vultum uerba decent, iratum plena minarum, &c.

Vocis mutationes totidem sunt, quot animorum, qui maximè uoce commouentur. Itaq; ille perfectus, quem iamdudum nostra indicat oratio, utcunq; se affectum uideri, & animum audientis moueri uolet, ita certum uocis admouebit sonum. de quo plura dicerem, si hoc præcipiendi tempus esset, aut si tu hoc quæreres. Dicere etiam

etiam de gestu, cum quo iunctus est uultus: quibus omnibus, dici uix potest quantum intersit, quemadmodum utatur orator.

Vox uariè commutatur, ut animi affectiones ostendat, uel cōmoueat. Ideo quot modis animi mutantur, tot etiam uox mutari potest. Mouentur autem animi quatuor potissimum perturbationibus, quemadmodū quarto Tuscul. libro docet Cicero: hoc est, ægritudine, lætitia, metu, cupiditate. quibus efficitur, ut uel ament, uel oderint, uel indignentur, uel misereantur. Peritus igitur artifex eum uocis sonum adhibebit, qui possit auditoris animum mouere, atque impellere quócunque uoluerit. Quantum autem uox animum mouere possit, ars Musica declarat, quæ miram quandam habet in se uim, uel ad uoluptatem, uel ad tristiciam. Se affectum uideri.) Hoc dicit, quoniam orator pro re atque tempore debet ostendere se commotum uel ira, uel misericordia. neque enim auditores mouere poterit, nisi prius seipsum moueat. Hoc est quod etiam Horatius ait:

—Si uis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia lædent.

Vox igitur causæ debet accommodari, ut uel læta, uel tristis, uel iracunda, uel miserabilis, uel aspera, uel lenis, prout ipsa res postulat, efficiatur. De quo plura.) Ideo pauca de uoce se dicere ostendit: primò, quia non instituit hoc loco præcepta dare, deinde quod hoc à se Brutus non petiuerat. Dicerē etiam.) Motus, quæ est altera pars actionis, in uultum atque gestum diuiditur. Vultus in homine tantum est, non autem in cęteris animalibus. Differt à facie, quoniā facies semper est eadem, uultus frequenter mutatur. unde dicimus aliquē bono uultu excipere, aut tristem uultum habere. Ouidius: *—Super omnia uultus Accessere boni.—* Et prouerbio dicitur, uultu sæpe læditur pietas. quoniam uultus est tacita quædam animi significatio: adeò ut aliquando non possit animus occultari, quin in ipso uultu eluceat. Vnde rectè clamat Ouidius,

Heu quàm difficile est crimen non prodere uultu. Quanquam Aeneas Vergilianus,
Spem uultu simulat, premit altum corde dolorem.

Gestus autem tantam in se uim habet, ut plerunque sine uoce declaret quid in animo sit. quod ex mutis hominibus intelligi potest, qui nutu ac renutu declarant omnia quæ in animo habent. Hinc apud ueteres ars illa Pantomimorum, qui gestibus & saltatione omnia representabant. Quocirca Demetrius Cynicus Neronis tempore, cum spectaret mimum Veneris & Martis adulterium saltantem, admiratus exclamarit, ἀκούω ἄνθρωπε ἃ ποιεῖς, οὐχ ὁρῶ μόνον, ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν. & rex quidam Ponti petiuit à Nerone, ut sibi mimum donaret, quo apud exteros uteretur interprete: quoniam ita gestibus omnia exprimebat, ut nihil esset, quod non planè intelligeretur. Lesbonax Mitylenęus huius generis homines χειροσόφους appellabat, quasi manu sapientes. Ex his intelligi potest, quanta uis sit in gestu: quam esse magnam, ait hoc loco Cicero.

Nam & infantes, actionis dignitate eloquentiæ sæpe fructum tulerunt: & diserti, deformitate agendi multi infantes putati sunt: ut iam non sine causa Demosthenes tribuerit & primas, & secundas, & tertias, actioni.

Ab effectis probat, magnam actionis uim esse. nam sæpe fit, ut etiam imperiti, & minimè eloquentes, propterea quòd egregiè pronuncient, multum in eloquentia præstare existimentur: quod Cn. Lentulo accidisse, testis est Cicero, & Quintilianus. Contrà uerò, multi diserti uiri, quoniam in agendo deformes esse uiderentur, infantes habiti sunt. quod primis temporibus, quibus in foro uersari cœpit, Demostheni contigisse legimus: qui propter agendi

deformitatem ab auditoribus spernebatur; & uoce, strepitu, atque sibilis explodebatur. itaque desperatione quadam ductus, in Piræum secesſit, & à foro cœpit abstinere. sed ab Eunomo Thrasio reprehensus, quòd cum eius oratio similis esset Periclis orationi, suam ipsius gloriam per ignauiam proderet: iterum in forum reuersus, nihilominus contemnebatur. donec Satyrus histrio (sicut ait Plutarchus, uel Andronicus, ut eum appellat Quintilianus) sic eum exercuit in agendo, ut deinde alter Demosthenes uideretur. atque ita diligenter in actione se exercuit, ut nemo esset eo postea præstantior. Hac de causa, cum aliquando quidā ab eo petisset, quid in tota eloquentia præcipuū esset? respondit, ὑπόκρισις, id est actio. & cū idem pergeret interrogare, quid secundū? iterū respondit, actio. quid tertiū? actio. adeò, ut nihil actione præstantius esse iudicarit. Hoc est igitur quod ait hoc loco Cicero: Demosthenē actioni & primas & secundas & tertias tribuisse. Quantum aūt studij tribuerit huic parti Demosthenes, declarat Antonius primo de Oratore, ad extremum.

Si enim eloquentia nulla sine hac, hæc autem sine eloquentia tanta est, certè plurimum in dicendo potest.

Argumentum ab adiunctis, quo probat, actionē in dicendo plurimū posse. Sine actione, inquit, eloquentia nullā habet uim, atque extare nullo modo potest. ipsa uerò per se actio sine eloquentia multum habet dignitatis: ergo sequitur, ut in tota eloquentia nihil sit actione melius. est enim actio quasi forma, et perfectio quædam eloquentiæ. Et quemadmodum nulla res est, quæ amissa forma sua posſit esse diutius: siquidem forma rebus omnibus nomen atque appellationem adfert: ita eloquentia, si desit actio, ne nomen quidem eloquentiæ retinebit. Hac de causa Quintilianus ait, actionem quasi uitam orationis esse. Nam rerum inuentio, ossium instar est: ordo neruos imitatur: elocutio carnem, cutem, coloremque: memoria spiritus uice fungitur. quibus postremò accedit actio, tanquam uitalis quidam motus. Nam nullum uitæ certius est argumentum, quàm motus. Hinc illa uiua uox apud auctores tantopere celebratur, quam in se magnam ἐνέργειαν, hoc est efficacitatem habere dicunt.

Volet igitur ille, qui eloquentiæ principatum petet, & contenta uoce atrociter dicere, & summissa leniter, & inclinata uideri grauis, & inflexa miserabilis.

Quatuor quasi species uocis hoc loco tangit, quibus orator, quoties res ipsa postulat, uti debet: hoc est, contentam, summissam, inclinatam, inflexam. Contenta uox est, qua aliquid atrociter insectamur. ut in Pisonem: Tu'ne etiam immanisſimum ac fœdisſimum monstrum, ausus es meum discessum illū, testem sceleris & crudelitatis tuæ, maledicti & contumeliæ loco ponere? rursus ea: Ego te non uecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste aut Athamante dementiorem putem? Huc pertinent etiam exclamationes. ut pro Cluentio: O' mulieris scelus incredibile, ô libidinem effrenatam & inauditam. & illud Virgilij:

— *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames! —

Submissa uox est, qua leniter aliquid, & quadam cum iucunditate pronunciare studemus. Hæc superiori penitus contraria est, & sæpe ridiculi gratia adhibetur. ut pro Cælio: Quid tumultuaris soror? quid insanis? quid clamore exorsa uerbis paruam rem, magnam facis? uicinum adolescentē aspexisti, candor huius te & proceritas, uultus oculique perpulerunt, &c. Talis est illa pars orationis pro Murena, in qua ius ciuile leniter irridet: Et quoniam, inquit, mihi uideris istam scientiam iuris tanquam filiolam osculari tuā, & quæ sequuntur. notisſimus est locus. Sic pronunciandum illud Virgilij:

Egregiam

Egregiam uerò laudem & spolia ampla refertis,
Tuq; puerq; tuus.—

Inclinata uox est, qua aliquid grauiter & sententiose pronunciamus. quo genere uocis utimur potissimum in exordijs, & alibi, quoties occurrunt graues aliquæ sententiæ. ut pro Milone: Populi grati est, præmijs afficere benemeritos de Rep. ciues: uiri fortis, ne supplicijs quidē moueri, ut fortiter fecisse pœniteat. sic illa pronunciāda sunt pro Murena, de Catone: finxit enim te ipsa natura ad honestatem, grauitatem, temperantiā, magnitudinē animi, iustitiam, ad omnes deniq; uirtutes magnum hominem & excelsum. Virgilius in 10.

Stat sua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus est uitæ.—

Inflexa uox est, qua conamur auditorum animos ad misericordiā commouere: qualis in perorationibus frequenter esse solet. ut pro Milone: O' me me miserum, ô infelicem, reuocare tu me in patriam Milo potuisti per hos, ego te in patria per eosdem retinere nō potero? quid respondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? &c. Huius generis exemplū est pulcherrimum apud Virgilium 9. Aeneid. ubi mater Euryali filium interfectum luget:

Hunc ego te Euryale aspicio? tū ne illa senectæ
Sera meæ requies? potuisti linquere solam
Crudelis? nec te sub tanta pericula missum
Affari extremum miseræ data copia matri? &c.

Mira est enim quædam natura uocis, cuius quidem è tribus omnino sonis, inflexo, acuto, graui, tanta sit, et tam suauis uarietas, perfecta in cantibus.

Quoniam dixerat, oratorē debere uocē maximè uariare, prout causa postulat: nunc ostendit, hoc non difficile fore, quoniam mira quędā natura uocis sit, quæ in quālibet partē facilè flecti potest. Hoc autem probat à cantionū uarietate, qui uocis effectus est: quoniā uniuersa Musica tribus tantū sonis constat, acuto, graui, inflexo. quāuis tam uaria canendi genera reperiantur. Mira natura.) Mirū est profectò, quantopere uox & sonus ualeat, ad effectus mouendos. Empedocles Agrigentinus iuuenē quendam furentē contra inimicū suum, etiam in illū animo gladiatorio inuadentē, cantu flexit, et quietū reddidit. Pythagoras cū noctu stellas contēplaretur, & iuuenē quendam ebriū aduertisset, amicæ suæ foribus ignē admouentē, ut eius domū in qua erat etiā riualis accēderet, spondeorū cantione reuocauit eū à furore, atq; ebrietate. Timotheus Musicus (ut Dion testat̄) solebat Alexandrū Magnū Dorio cantu ad bellū incendere. Ferunt, aliquando cū in mensa esset Alexander, Timotheū cœpisse Doriū concinere: quo audito, rex tanquā furibundus, relictis epulis, ad arma cōuolauit. uerùm cū Timotheus cantū mutasset, iterūque quieto animo ad epulas reuersus est. E' tribus sonis.) Vocat Cicero sonū uocis, quem Grammatici dicunt accentum, & Græci προσῳδίαν. Quamuis quidam uelint accentus esse decem, atq; ita distinguant, ut tres dicantur tenores, acutus, grauis, inflexus: duo tempora, longum, breue: tres perpesiones, aggregans, disgregans, aucrsa: duo spiritus, tenuis & densus. quam distinctionem Grammatici Græci sequuntur, & ex Latinis nonnulli. Nos Ciceronem & Quintilianū sequimur, qui tres tantum sonos uocis ponunt, acutum, grauē, inflexū. Est aūt accentus in unaquaq; dictione, tanquam formæ atq; animi instar in corpore. Vt enim corpus anima spoliatū nihil agere, nihil sentire pòtest: ita quælibet uox si proprio atq; suo accentu priuetur, uim omnem atq; potestatē amittit. Verùm non tantū dictiones, sed etiā syllabæ omnes suū accentū habent. nā omnes syllabę, in quibus neq; acutus, neq; inflexus est, grauē suscipiūt. Acutus sonus est ἄρσις, hoc est, elatio uocis: grauis cōtrà est θέσις, hoc est submißio: inflexus, ex acuto

& graui componitur. In cantibus hi soni modulantur omnes uoces. nam licet quatuor plerunque uocum uarietates in cantibus esse soleant, aliquando etiam quinque, & sex, & plures etiam, tamen ab his tribus omnes reguntur: quoniam sunt interiectæ atque intermediæ cæteræ, quæ adiunguntur. Acutus est sonus, quem uulgo Supranum uocant, quòd supra eum nullus sit: grauis, quem Bassum dicũt, quasi basim, hoc est fundamentum, quòd nullus sit inferior: inflexus, quẽ Tenorem appellant, quòd acuti & grauis modos teneat. Sicuti autem tres sunt soni uocis, ita triplicẽ etiam Musicã esse uolunt: hoc est, Mundanam, humanam, organicam. Mundana est, quæ ex cœli conuersione gignitur, de qua Cicero in Somnio Scipionis. Humana, qua ratio moderatur affectibus. nã fuere qui dicerẽt animũ nostrum nihil aliud quàm harmoniã quandam esse: ut Aristoxenus Musicus, sicuti primo Tuscul. recitat Cicero. potest etiã humana Musica uocari, quę uoce hominis cõstat. Organica est, quæ conficitur instrumentis: ut tibijs, cithara, cæterisque huiusmodi. Harmonicæ uerò proportiones, quas consonantias uocant, quinque sunt: Diapente, quę in numeris dicitur sesquialtera, ut quarta & sexta: Diatessaron, quæ uocatur in numeris sesquitertia, ut sexta & octaua: Diapason, quæ dupla dicitur, ut quarta & octaua: Diapason & Diapente, quæ tripla nominatur, ut tertia & nona: Disdiapason, quæ quadrupla appellatur, ut quarta & sextadecima, quæ maximè distant. Vnde cum uolumus res aliquas inter se magnopere discrepantes ostendere, prouerbio dicimus, eas disdiapason esse disiunctas. Ex his maxima & suauissima fit uarietas in cantibus: ut non sine causa dixerit Cicero, miram esse uocis naturam.

Est autem in dicendo etiam quidam cantus obscurior, non hic è Phrygia & Caria rhetorum epilogus, penè canticum: sed ille quem significat Demosthenes & Aeschines, cum alter alteri obijcit uocis flexiones. Dicit plura etiam Demosthenes, illumque sæpe dicit uoce dulci & clara fuisse.

Quoniã cantus magnã in se iucunditatem habet, ideo solet orator bonus in agendo cantũ quendã, non tamen apertum, sed obscurũ adhibere, præsertim cum affectus mouere studet. de quo sensit Antonius 2. de Orat. cũ ait: Quis enim cantus moderata orationis pronũciatione dulcior inueniri potest? quod carmen artificiosa uerborũ conclusione aptius? Non aũt debet cantus ille oratorius similis esse perorationibus Phrygũ, & Carũ, quos superius dixit in epilogis inclinata ululantique uoce canere solitos. Hoc est quod etiã Quintilianus præcipit, pronunciationẽ uirilem esse debere, non autem in canticum dissolutam. C. Cæsar cum adhuc esset prætextatus, quendã lectorem audiuit, qui in legendo ita uerba modulabatur, ut quodãmodo canere uideretur: quod etiam nostro tempore quidã lectores faciũt. itaque dixit ei: Si cantas, malè cantas: si legis, cantas. Hoc igitur uitandum est, ne in legendo & pronunciando cantare uideamur. ille uerò cantus obscurior, qui ex uocis flexione constat, oratori maximè conuenit, quo Demosthenes & Aeschines utebantur, & alter alteri obijciebant: idque adeò non quia uitiosum esset, sed quia mouere affectus uideretur: quod apud Athenienses lege prohibitum erat. unde in Areopago, cũ aliquis orator dicturus esset, præco clara uoce ita illi præcipiebat, ἄνευ προοιμίων καὶ πάθων λέγε: hoc est, Sine exordijs & affectibus dicito.

In quo illud etiam notandum mihi uidetur, ad studium persequendæ suauitatis in uocibus. Ipsa enim natura, quasi modularetur hominum orationem, in omni uerbo posuit acutam uocem, nec una plus, nec à postrema syllaba citra tertiam: quo magis naturam

naturam ducem ad aurium uoluptatem sequatur industria.

Illud, inquit, nos accendere debet, ut in uoce suauiter exprimenda studiū adhibeamus, quòd ipsa natura uidetur orationē nostram esse modulata, cum in omni dictione sonum uocis acutum unū esse uoluerit, uel in ultima syllaba, uel in penultima, uel in antepenultima, nunquam uerò citrà. quo fit, ut studium & industria nostra naturam sequi ducem in hac re possit, & auribus uoluptatem in pronunciando adferre. Hæc quidem Cicero: quæ nemo facile poterit intelligere, nisi accentuum rationem nouerit: quam paucis explicabo. Nam quatenus syllabæ uel breues uel longæ sunt in dictionibus, ita regulæ traduntur, quibus accentus intelligi facilè possunt. Inflexus enim tantum in longis syllabis locum habet, nunquam in breuibus: acutus & in longis, & in breuibus: grauis in aliqua dictione per se nunquam consistere potest, sed in omnibus syllabis cuiuscunque dictionis, in quibus neq; acutus, neq; inflexus inuenitur, in eis semper grauis est. Ergo ita fit, ut unius syllabæ dictiones, si breues sint, acutum sonum habeant, ut séd, néc. si longæ positione, etiam acutum: ut fáx, píx, níx. si longæ natura, inflexum sonum poscunt: ut nôs, spês, rês. Duarum syllabarum uoces semper priorem acuunt, nisi longa natura fuerit, & altera breuis: tunc enim prior inflectitur, ut Rôma, Lûna. Trium syllabarum uoces, & quatuor, & quinque, & plurium, seruant hanc regulam, ut nunquam citra tertiam ab ultima accentum habere possint, quod etiam apud Græcos obseruatur. Est ergo accentus uel in penultima, uel in antepenultima, nunquam autem citra. nam apud Latinos nunquam in ultima accentus ponitur, nisi distinctionis causa fiat: ut paulo pòst aperiam. Penultima igitur si longa natura fuerit, semper inflexum habebit accentum: ut Românus, lectîca, Cethêgus. nisi etiam ultima naturà longa fuerit, tunc enim habebit acutum: ut Athénæ, Fidénæ. Si longa positione fuerit, acutum habebit: ut Camíllus, Metéllus. si breuis penultima fuerit, semper accentum in antepenultimam reijciet, ut dóminus, Iúlius. Hæ sunt ferè generales regulæ, quas in accentibus Latini seruant. Quod autem attinet ad composita, Prisciani regulam habemus, ut seruent accentum quem habuerunt in simplici: ut consôlor, media inflexa, quoniam sôlor primam inflectit. nisi fortè simplicia dissyllaba primam breuem habeant, tunc enim accentus acutus in antepenultimam transfertur: ut próbus, ímprobus. Sed aduerbia quæ componuntur ex præpositionibus, acutum in antepenultima sonum habere solent: ut éxinde, déinde, propédiem. Et hoc est quod Anianus poeta apud Gellium censet, dicendum esse áffatim, cum prima acuta, non autem media: & exáduersum, cum secunda acuta. Tribus autem de causis accentus uariari solent. uel enim distinctionis causa mutantur, uel ambiguitatis uitandæ, uel quia necessitas cogit. Distinctionis gratia: ut po^ne uerbum, & po^ne aduerbium easdem habent syllabas, & eadem tempora: sed ut distinguantur, pône uerbum suum accentum inflexum in prima syllaba seruat, ponè autem aduerbium acuto accentu scribitur in fine. Quamuis enim generaliter apud Latinos accentus in fine non ponatur, tamen discretionis gratia, in eis omnibus aduerbijs, quæ nomina esse possunt, eruditi uiri solent in contextu orationis grauē tenorem in fine signare: ut doctè, pulchrè, doctiùs, pulchriùs. Neque tantum in aduerbijs, sed etiam in reliquis orationis partibus, quoties una dictio potest ad diuersa referri, putāt accentu esse distinguendam: ut circùm præpositio cum accentu graui, quo distinguatur à nomine. Ambiguitas ut uitetur, è propria sede mouetur accētus: ut intérea accentū habet in antepenultima, sed si quis dicat intereáloci, ne quis ambigat unā esse dictionē, ad ultimā syllabā eiusdē aduerbij interea transferē accentus. Necessitas cogit aliquādo mutare accentū: ut cū tres illas particulas, que, ne,

ne, ue, quas encliticas uocant, alicui dictioni subiungimus. semper enim accentum ad se trahunt. ut doctus priorem habet acutam: doctusq́, doctus'ne, doctus'ue, secundam acuit necessariò, propter adiunctas illas particulas. His ita positis, facile quiuis intelligere potest, quid dicat hoc loco Cicero, cum ait: In omni uerbo acutam esse uocem, nec una plus, nec à postrema syllaba citra tertiam.

Ac uocis quidem bonitas optanda est: non est enim in nobis, sed tractatio atq́ usus in nobis. Ergo ille princeps uariabit, & mutabit, omnes sonorũ tum intendens, tum remittens persequetur gradus.

Vt quis bonam uocem habeat, id à natura sortitur. ideo, inquit, optare quidem uocis bonitatem possumus: sed ut eam habeamus, non est in nostra potestate sitũ: exercitatione tamen atq́ usu possumus eam meliorem efficere. Sunt autem quidam ita uoce absoni, ut nulla ratione possint emendari: qui nunquam in oratorum numerum peruenire possunt. alij uocem tenuem et exilem habent (ut de Isocrate legimus, qui ideo ἰσχνόφωνος fuit appellatus) qui causas forenses agere non possunt. alij ab ipsa natura grandem & sonoram uocem trahunt: ut Aeschines, qui μεγαλοφωνότατος ab inimico suo Demosthene dictus est. Sed tractatio.) Erant apud antiquos magistri, qui uocem formare & pronunciare docerent, qui Græco nomine Phonasci dicebantur: de quibus Quintilianus libro 11. Sed cura non eadẽ oratoribus, quæ phonascis. Suetonius de Augusto Cæsare ita scribit: Pronunciabat dulci & proprio quodam oris sono, dabatq́ assiduè Phonasco operã: is enim uocem intorquere, remittere, lenire, exasperare docebat. Ergo ille princeps.) Perfectus orator primum à natura uocis bonitatem habebit: deinde longa exercitatione ita eam expoliet, ut omnes sonorum gradus facile persequi possit. Variabit.) Hoc præceptũ primo de inuentione posuit: Variare autem orationem magnopere oportebit, nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. Omnes sonorum.) Quamuis enim tres tantum soni uocis sint, acutus, grauis, inflexus, ut antè diximus: tamen in singulis quidam gradus sunt, ex quibus infinita penè cantionum genera promanant. Vnde censent utilissimam esse oratori Musicam, quæ tum intendere, tum remittere uocem edocere solet.

Idemq́ motu sic utetur, nihil ut supersit in gestu. Status erectus, & celsus: rarus incessus, nec ita longus: excursio moderata, eaq́ rara. nulla mollicia ceruicum, nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto se ipse moderans, & uirili laterum flexione, brachij proiectione in contentionibus, contractione in remissis.

Actio diuiditur in uocem & motum. De uoce dictum est: restat ut de motu dicatur, qui in gestum & uultum diuiditur. ac primò de gestu, mox etiam de uultu dicendum. Est autem gestus, quædam corporis pronunciatio, quæ ex membrorum apta motione conficitur: in qua histriones præcipuè laborabãt. Nam legimus Ciceronem cum Roscio Comœdo certare solitum, utrum ipse eandem sententiam pluribus modis oratione uariare posset, an Roscius gestu. Sed etiam oratores, quo decentius mouerentur, sese in gestu multum exercebant. Itaq́ perfectus orator (ait Cicero) motu sic utetur, nihil ut supersit in gestu: id est, tam excellenter se mouebit, ut nihil addi posse uideatur. Decem autem præcepta tradit hoc loco Cicero, quibus optimè gestum informare possit orator. Primum est præceptum, ut status sit erectus & celsus. hoc enim signum est animi constantis & firmi, quandamq́ animi magnitudinem præ se fert: sicuti contrà status incuruus et deiectus, aut in alteram partem inclinatus,

ue,

uel inurbanum, uel instabilem, uel timidum significat. Stet ergo primò rectus orator, & caput celsum habeat, quandamque aspectu maiestatem ostendat. Secundum præceptum est, ut rarus incessus sit, nec ita longus. In suggestu non semper debet orator in eodem uestigio consistere, ne tanquam statua uideatur immobilis: sed interdum incedere, & uel in hanc, uel in illam partem progredi: modò id raro fiat, & nimis longè non procedatur. Aristoteles Ethicorum quarto, inter reliqua magni uiri signa, posuit etiam incessum tardum. nã illa celeritas incedendi, quandam animi leuitatem indicat. Tertium præceptum, ut excursio moderata sit, eaque rara. Hoc non admodum superiori dissimile, nisi quòd in illo docuit qualis incessus esse debeat, in hoc uerò qualis excursio. nam in contentionibus atrocibus, licebit interdum non tantum incedere, sed etiam excurrere: uerùm hoc raro et moderatè faciendum est. Scitum est enim illud Flauij Virginij, qui cum uidisset quendam in declamando frequenter excurrere, interrogauit eum, quot millia passuum declamasset? Quartum præceptum, ne orator ulla mollicia ceruicum utatur. Est enim muliebre, ceruices molliter uel in hanc uel in illam partem inclinare: quo uitio notatus fuit insignis orator Hortensius. unde Cicero actione in Verrem quinta, sic de illo dixit: Tamen ne putemus patronum tuum in hoc crimine ceruiculam iactaturum, & populo se ad coronam daturũ. Quintilianus auctor est, Hortensium fuisse primum, qui ceruicem singulari numero dixerit, cum antea ceruices tantum diceretur. Quintum præceptum est, ne ullæ digitorum argutiæ sint: hoc est, ne digitis obstrepat. sicuti quidam solent, cum aliquid reijciunt, aut contemnunt. Hoc idem præceptum etiam tertio de Oratore posuit Crassus. Sextum est præceptum, ne ad numerum cadat articulus: hoc est, ne in clausulis digito suggestum tangamus. quod frequenter concionatores facere solent: & cantores etiam ad numerum articulos librant, quod in oratore dedecet. Septimum est, ut trunco se toto moderetur. Truncum autẽ intelligimus, totam illam partem quæ ab utroque humero ad coxendices usque demittitur: quæ si decorè moueatur, magnam gestui dignitatem adiungit. Octauum est, ut flexio laterum uirilis sit, ne quid molle aut indecorum præ se ferat: hoc est quod ait Crassus, laterum inflexione hac forti & uirili, non ab scena & histrionibus, sed ab armis, aut etiam à palæstra. Nonum est, ut in contentionibus brachij proiectione utatur. nam brachium procerius proiectum, est quasi telum orationis. Decimum, ut in remissis & quietis rebus contrahatur brachium, & quasi corpori admoueatur. Hæc sunt præcepta, quæ ad gestũ pertinẽt.

Vultus uerò, qui secundum uocem plurimum potest, quantam affert tum dignitatem, tum uenustatem? in quo cum effeceris, ne quid ineptum, aut uultuosum sit, tum oculorum est quædam magna moderatio. Nam ut imago est animi uultus, sic indices oculi: quorum & hilaritatis, & uicissim tristitiæ modum, res ipsæ de quibus agetur, temperabunt.

Postquam exposuit ea quæ ad gestum pertinent, de uultu, quæ est altera pars motus, tractare incipit: atque in eo, si quis scienter utatur, magnam inesse dignitatem atque uenustatem censet. Quintilianus ait, in actione uultum maximè dominari: Hoc, inquit, supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc submissi sumus. hoc pendẽt homines, hunc intuentur, hunc spectant, etiam antequam dicamus. Et certè magnam uim in uultu esse, declarat etiam quotidiana consuetudo. facile enim ex uultu cognoscimus, utrum aliquis lætus sit, an tristis: placatus, an iratus: sollicitus, an curis solutus. Sed in uultu duo uitia uitanda sunt. Primum, ut nihil sit ineptum: hoc est, alienum à re, à persona, à causa, à loco, à tempore, à modo. sunt enim hæc

diligenter oratori considerãda. Deinde,ne quid uultuosum sit:hoc est,uultu ipso nimis affectatũ:ut si quis in tristitia plusq̃ deceat, uultũ contrahat: quod quidã efficere solent,ut tristiores uideantur:aut in lętitia frontem nimium exporrigat.In summa,uultuosum interpretamur,quicquid est nimiũ et pręter decorum in uultu. Tum oculorũ.)In ipso uultu plurimũ ualẽt oculi,ait Quintilianus,per quos maximè animus emanat,ut citra motũ quoq;,et hilaritate enitescant,& tristicia quoddã nubilum ducant. Cicero uultum cum oculis comparans, ait, uultum imaginem esse animi, oculos autem eiusdem indices. De motu oculorum, tertio de Oratore Crassus multa dicit. hoc loco Ciceronis præceptum est,ut oculi modò hilaritatem,modò tristitiam præ se ferant, prout res ipsæ postulauerint,de quibus aget orator.

Sed iam illius perfecti oratoris,& summæ eloquentiæ species exprimenda est:quem hoc uno excellere,id est oratione, cætera in eo latêre,indicat nomen ipsum. Non enim inuentor, aut compositor, aut actor hæc complexus est omnia: sed & Græcè ab eloquendo rhetor,& latinè eloquens dictus est.

Quæ hactenus de oratore dicta sunt, quasi prolusiones quædam fuerunt: nunc autem ueram disputationem ingreditur, & summæ eloquentiæ speciem exprimere contendit. Quòd autem elocutio maximè sit oratoris propria, à notatione,siue etymologia uocabuli probat. nã,ut in Topicis docet Cicero, plerunq; ex ui nominis argumentũ elicitur. Ergo orator ideo dictus est, quòd oratione excellere debeat. quo fit, ut elocutio solius oratoris propria sit. Quãuis enim inuentio. dispositio, & actio, partes rhetoricæ sint: tamen non esse præcipuas, illud ostendit, quòd non inuentor, aut compositor, aut actor appellatur, sed apud Græcos ῥήτωρ, ab antiquo uerbo ῥέω, & per contractionem ῥῶ, quod in futuro facit ῥήσω, & significat eloquor: unde ῥῆσις, elocutio: & ῥήτωρ, eloquens. Sic apud Latinos, ab eloquendo dictus est eloquens, quòd in tota oratoris arte una elocutio maximè excellat.

Cæterarum enim rerum quæ sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque uendicat: dicendi autem, id est eloquendi, maxima uis soli huic conceditur.

Non tantum à notatione uerbi,sed etiam à testimonio publico probat,oratoris propriam esse elocutionem. Multa enim etiã alia sunt in oratore,ut multarum rerum cognitio,ut iudicium, ut argumentandi uis, ut collocandi ratio, ut memoria, ut cætera eius generis:sed hæc etiam alij sibi uendicant,ut Philosophi, Mathematici, Dialectici. maximã aũt eloquendi uim soli oratori concedũt, ergo eius propria est elocutio. Nã antiqui sophistæ profitebãtur se artem docere, qua deterior oratio, dicendo melior fieri posset: & contrà, qua melior posset fieri deterior. quod in Nebulis Aristophanes Socrati attribuit, quamuis rhetorum esset agitator Socrates.

Quanquam enim & philosophi quidam ornatè locuti sunt: siquidem & Theophrastus diuinitate loquendi nomen inuenit, & Aristoteles Isocratẽ ipsum lacessiuit, & Xenophõtis uoce Musas quasi locutas ferunt: & longè omniũ quicunq; scripserũt, aut locuti sunt, extitit dicendi copia & grauitate princeps Plato: tamen horum oratio neq; neruos, neq; aculeos oratorios ac forenses habet.

Cum hactenus probarit elocutionem oratoris esse propriã, nunc eam à reliquorũ artificum dicendi generibus segregare contendit: ut apertè doceat, in qua re differat orator ab alijs qui ornatè loqui & scribere existimanẽ. Sunt aũt

quatuor

quatuor potiſsimum genera ſcriptorum, præter oratorem, qui polite loqui putantur: hoc eſt, Philoſophi, Sophiſtæ, Hiſtorici, Poetæ. Vult igitur oſtendere hoc loco Cicero, quomodo ab eis omnibus orator in dicendi ratione diſtinguatur. Ac primò diſtinguit oratorem à philoſophis: quoniam nõnulli philoſophi polite & ornatè locuti ſunt, ut Theophraſtus, Ariſtoteles, Xenophon, Plato: adeò ut Theophraſtus diuinitate loquendi nomẽ inuenerit. cum enim antea Tyrtamus diceretur, Ariſtoteles eius præceptor mirifica dicendi ſuauitate delectatus, nomen illi mutauit, & pro Tyrtamo Theophraſtum nominauit. ipſe uerò Ariſtoteles, tantum eloquentiæ ſuæ confidebat, ut præſtantiſsimum rhetorem Iſocratem laceſſere non dubitaret, & ad eius æmulationem adoleſcentes in rhetoricis præceptis exercere. Xenophon Socraticus tanta dicendi uenuſtate, tanta elegantia uſus eſt, ut Attica muſa diceretur. quidam etiam eius ore Muſas loqui dicebant: quaſi nihil eius dictione politius, nihil ſuauius excogitari poſſet. Plato denique, quem Cicero cæteris omnibus anteponit, ſiue copiam ſiue grauitatem ſpectes, omnes quicunque unquam fuerunt, & in loquendo, & in ſcribendo ſuperauit. aiebant enim Græci, Iouem, ſi loquatur, ſic loqui, ut Plato ſolebat. Quintilianus ait, Platonem & acumine diſſerendi, & eloquendi facultate diuina quadam & Homerica præſtitiſſe: ut non hominis ingenio, ſed quodam Delphico uideatur oraculo inſtructus. Quamuis autem tam eloquentes hi philoſophi fuerint, non tamen in oratorum numero ſunt habendi: quoniam eorum orationi deſunt nerui & aculei forenſes, atque oratorij. Duo ſunt hic uocabula tranſlata. Nerui enim propriè ſunt in corpore, atque in eis totius corporis robur eſt: unde eneruati dicuntur, imbelles & infirmi: neruos intendere, ſignificat ſumma ope niti. ſed per tranſlationem uocat Cicero neruos orationis, ipſa argumenta & probationes, quibus aduerſarios orator proſternere conatur: quibus caret philoſophorum oratio. Aculei uerò propriè ſpicula quædam parua ſunt, ut ueſparum, crabronum: ſed tranſlatè ponuntur pro oratione, quæ animum quodammodo pungat, & mordeat. conantur enim oratores audientium animos commouere. Videtur hoc ab Eupolide poeta ſumpſiſſe Cicero, qui dixit, Periclem ſolitum fuiſſe τὸ κέντρον ἐγκαταλιπεῖν τοῖς ἀκροωμένοις, hoc eſt, aculeum in auditorum animis relinquere.

Loquuntur cum doctis, quorũ ſedare animos malunt quàm incitare. Sic de rebus placatis, ac minimè turbulentis, docendi cauſa, nõ capiendi loquuntur: ut in eo ipſo quòd delectationem aliquam dicendo aucupentur, plus nõnullis, quàm neceſſe ſit, facere uideãtur.

Rationes adfert, quare philoſophi neruis & aculeis oratorijs careant: oſtenditꝙ philoſophos ab oratoribus & fine, & materia, et dicendi genere differre. Fine, quoniam philoſophi non quærunt auditorum animos incitare, quod oratores faciunt, ſed potius tranquillare & ſedare. huius autem rei ratio eſt, quoniam loquuntur cum doctis: at uerò oratores frequentius apud indoctos uerba faciunt, itaque neceſſe eſt ut alium finem ſequantur. Materia differunt, quoniam res quas tractat orator, turbulentæ ſunt, & litigioſæ: quo fit, ut aduerſarium capere quoquo modo contendat. quæ uerò tractantur à philoſopho, placatæ ſunt, ac minimè turbulentæ: quia docendi tantum cauſa dicuntur, non autem capiendi. Dicendi genere differunt, quoniam orator nõ tantum docere, ſed etiam mouere & delectare contendit. Philoſophus autem nihil aliud ſtudere debet, quàm docere. Vnde ſunt qui philoſophos reprehendant in eo, quod delectationem aliquam dicendo aucupentur.

Ergo ab hoc genere non difficile eſt hanc eloquentiam, de qua nunc agitur, ſecernere.

 Concludit,

Concludit, facile esse forensem eloquentiã, de qua tractat hoc in opere, ab eloquentia philosophorũ separare, si quis utriusq; finem, materiam, & formam consideret. Hanc eloquentiam.) Ostendit non unam esse eloquentiã: sed de qua nunc agitur, ea est, quæ in ciuilibus controuersijs uersatur.

Mollis est enim oratio philosophorum, et umbratilis, nec sententijs nec uerbis instructa popularibus, nec iuncta numeris: sed soluta liberius, nihil iratum habet, nihil inuidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum: casta, uerecunda, uirgo incorrupta quodammodo. itaq; sermo potius, quàm oratio dicitur.

Ostendit quale sit philosophorum dicendi genus, ut illud ab eloquentia populari disiungat. Vbi aduertendum est, ea quæ philosopho tribuit, oratori adimere: quæ philosopho adimit, oratori tribuere. Ac primò, philosophorũ oratio mollis est, quoniã neruis & aculeis oratorijs caret, nec aduersariũ pungere studet. deinde est umbratilis, quoniã ueras pugnas non imitatur in sole atq; puluere. Vocamus enim pugnam umbratilem, quæ fit exercitationis tantum gratia: & uitam umbratilẽ 2. Tuscul. uocat Cicero, mollem & delicatã. Nec sententijs.) Habet quidem & sententias et uerba, sed populo nequaquã apta. nam philosophorum sententiæ reconditæ sunt, & uerba non ita polita: quod in oratore maximum esset uitiũ, cuius tota oratio debet esse popularis. Nec iuncta.) Sequuntur oratores, numeros quosdã & initio periodorũ, & in clausulis, de quibus multa dicemus inferius: quos philosophi non admodũ studio se persequuntur. atq; ideo dicit Cicero, Philosophorũ orationem solutam esse liberius. Nihil iratũ.) Cum philosophi sedare animũ, nõ aũt mouere uelint, meritò eorũ oratio grauioribus illis affectibus caret, ut neq; ad iram, neq; ad inuidiã animos audientiũ concitet, nihil atrociter, nihil mirabiliter, nihil astutè dicat: quæ omnia diligenter oratores sequi solent. primò, ut iratum aduersarijs iudicẽ efficiant. ut pro Milone: Vnum genus est aduersum infestumq; nobis, eorũ quos P. Clodij furor rapinis & incendijs, et omnibus exitijs publicis pauit. Deinde dicat aliquid quod inuidũ sit, ut illud in eadem oratione: Contulit se ad eius petitores, sed ita, totã ut petitionẽ ipse solus etiã inuitis illis gubernaret, tota ut comitia suis (ut dictitabat) humeris sustineret: cõuocabat tribus, se interponebat: & quæ sequũtur. Tum aliquid atrox. quale illud est: Pollucrat stupro sanctissimas religiones, senatus grauissima decreta perfregerat, &c. Deniq; aliquid mirabile. ut illud: Excitate, excitate eum si potestis ab inferis, frangetis impetum uiui, cuius uix sustinetis furias insepulti. Postremò astutè solet orator multa dicere, ut illud: Fingite igitur cogitatione imaginem huius conditionis, si possim efficere ut Milonem absoluatis, sed ita, si P. Clodius reuixerit. Quid uultu extimuistis? quo'nam modo ille uos uiuus affecerat, qui mortuus inani cogitatione percussit? Horum nihil philosophus efficit, sed eius oratio casta, uerecunda, & quasi uirgo quædam incorrupta. quo fit, ut neq; oratio meritò dici possit, sed sermo potius. Est enim sermo, locutio qua communiter omnes utuntur: oratio uerò propriè oratorum est, quod his uerbis affirmat:

Quanquam enim omnis locutio oratio est, tamen unius oratoris locutio hoc proprio signata nomine est.

Quædam nomina sunt eiusmodi, ut & cõmuniter & propriè capiantur: ut arma, cõmuniter pro omni artificũ instrumento capiuntur, sed propriè militis sunt: ita oratio communiter quidem pro omni locutione ponitur, sed propriè locutionem oratoris significat. Ergo si propriè loqui uoluerimus, neq; philosophorum, neq; poetarum, neq; historicorum locutionem, orationem appellabimus:

labimus:cum unius oratoris locutio,hoc proprio signata nomine sit.

Sophistarum,de quibus suprà dixi,magis distinguenda similitu do uidetur:qui omnes eosdem uolunt flores,quos adhibet orator, in causis persequi. sed hoc differunt, quòd cum sit his propositum non perturbare animos, sed placare potius, nec tam persuadere, quàm delectare,& apertius id faciunt,quàm nos,& crebrius.

Postquã ostendit,quomodo philosophus in dicẽdo ab oratore differat:nũc accedit ad sophistas,quorũ oratio non admodũ dissimilis ab oratorũ dictione uidetur: cum sophistarum ars sit quasi altrix eloquentiæ,sicuti suprà dictũ est: & eosdem flores & figuras atq; exornationes sophista persequatur, quas etiã orator.unde magis(inquit Cicero) est distinguenda similitudo. Primò igitur ostendit, eos ab oratoribus fine differre:deinde etiam dicẽdi figura.finis enim oratoris est,persuadere:& quo facilius id fiat,perturbare animos.Sophistæ uero finis est,delectare:unde non perturbare, sed placare potius animos quærit.Hac de causa sophista non occultè,neq; rarò,quod orator facit, sed apertè crebroq; illa adhibet ornamenta,quæ delectare solent.nam orator studet quidem etiam delectationi:sed quia scit,docere debitum esse, delectare honorarium,permouere necessarium,ideo magis laborat ut moueat, quàm ut delectet. sophistæ contrà.

Concinnas magis sententias exquirunt,quàm probabiles.à re sæpe discedunt,intexunt fabulas,uerba apertius transferunt: eaq; ita disponunt, ut pictores uarietatem colorũ. paria paribus referunt, aduersa contrarijs,sæpissimeq; similiter extrema definiunt.

Dicendi figura separat ab oratoribus sophistas.Nam orator uult orationem suam probabilem uideri:sophista non tam probabilitatem, quàm concinnitatem sequitur.itaq; sæpe à proposito digreditur,& fabulas interserit,& audacius uerba transfert. uarieq; depingit,& paria paribus, contraria contrarijs refert,sæpissimeq; similiter claudit: quorum omnium exempla frequentissima sunt apud Isocratem. Concinnas magis.)Vt pro lege Man. Plura bella gessit,quàm cæteri legerunt:plures prouincias confecit,quàm alij concupiuerũt. hæc enim magis concinna sunt,quàm probabilia. A' re sæpe.)Vt in eadem, digreditur ad ea narranda quæ bello prædonũ Romani passi fuerant,ut Pompeij uirtutem amplificet.rursus digreditur ad commemoranda uitia aliorũ imperatorum,ut innocentiam Pompeij clariorem efficiat. Intexunt fabulas.)In eadem : Primùm ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondã profugisse dicitur,&c. Verba apertius.) In eadẽ:Nunc imperij nostri splendor illis gentibus lucet. Eaq; ita disponunt.) uariè pingunt orationem. ut: Non enim illum eximia uis remigum, aut ars inaudita quędam gubernandi,aut uenti aliqui noui tam celeriter in ultimas terras pertulerunt,&c. Paria paribus.)In eadem:Extrema hyeme apparauit, ineunte uere suscepit, media æstate confecit. Aduersa contrarijs.) ut: Cuius adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperijs : non offensionibus belli,sed uictorijs:non stipendijs, sed triumphis est traducta.

Sæpissimeq;.) ut: Qui Siciliam adijt, Africam explorauit, inde Sardiniam cum classe uenit. Sed hæc longè frequentiora sunt apud Isocratem, qui sophistarum habetur præstantissimus.

Huic generi historia finitima est,in qua et narratur ornatè,& regio sępe aut pugna describitur:interponuntur etiam conciones, & hortationes.Sed in his tracta quædam,& fluens expetitur,non hęc contorta & acris oratio.

Historiam eloquentiæ finitimã esse concedit: quoniã ornatis narrationibus utitur, & descriptionibus, & hortationibus. sed tamen ait in eo differre, quòd genere orationis fuso atq; tracto, & cum lenitate quadam æquabili profluit historia, cum interim orator contortam & acrem orationem quærat. in secundo de Oratore, Catulus existimat summi oratoris esse, historiam conscribere: & T. Liuius tanta eloquentia fuisse dicitur, ut in admirationem sui omnes concitaret. Aliter tamen historia scribitur, aliter forenses causæ tractantur. Tria uerò sunt, quæ historiæ conueniunt: ornata narratio, regionum & pugnarum descriptio, imperatorum uel aliorum conciones atq; hortationes, quæ cum oratore frequentissimè communia sunt. Nam etiam orator ornatè narrat, ut in multis Ciceronis orationibus uidere licet: describit regiones & pugnas cùm opus est, concionibus & hortationibus utitur. Sed in his.) Differentiam historici & oratoris notat. nam historicus tractam quandam & fluentem & æquabilem orationẽ expetit, orator uerò contortam & acrem. Dicet enim historicus, exempli gratia: Cum Pompeius in Asiam uenisset, Mithridatis & Tigranis impetũ repressit. orator autem ita: Pompeij aduentus in Asiam, & Mithridatem insolita inflammatum uictoria continuit, & Tigranem magnis copijs minitantem Asiæ retardauit.

Ab his non multo secus, quàm à poetis, hæc eloquẽtia quã quærimus, seuocanda est. Nam etiam poetæ quæstionem attulerunt, quid'nam esset illud quo ipsi differrent ab oratoribus. numero maximè uidebantur antea, & uersu: nunc apud oratores iam ipse numerus increbuit.

Historici, poetæ, & oratores, multa habent communia. nam & poetæ narrant ornatè, regiones & pugnas describunt, interponunt conciones & hortationes: neq; ulla in re differunt ab historicis, nisi quod certis numeris uersuum astricti sunt: neq; ita ad ueritatem narrant, sed multa fingunt. unde, quia Lucanus ueritatem historiæ secutus est, à quibusdam inter poetas non numeratur. itaque Martialis eum ita loquentem inducit:

Sunt quidam qui me dicunt non esse poetam:
Sed qui me uendit bibliopola, putat.

Hoc est quod ait Cicero, ita seuocandam ab historicis eloquentiã, sicut à poetis. Deinde statim rationem adiungit, quoniam etiam poetæ quærendi ansam dederunt, qua in re differant ab oratoribus: & antiquo tempore, quo floruit Homerus, Hesiodus & alij maximè uersu & numero differre uidebantur. postea uerò, Gorgiæ & Thrasymachi & Isocratis opera, etiam apud oratores numerus increbuit: quo deinde plurimi usi fuerunt. quare alia quærenda est differentia.

Quicquid est enim quod sub aurium mensuram aliquam cadit, etiam si abest à uersu (nam id quidem orationis est uitium) numerus uocatur, qui Græcè ῥυθμὸς dicitur. Itaq; uideo uisum esse nonnullis, Platonis & Democriti locutionem, etsi absit à uersu, tamen quòd incitatius feratur, & clarissimis uerborum luminibus utatur, potius poema putãdum, quàm comicorum poetarum: apud quos, nisi quòd uersiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis. nec tamen id est poetæ maximum: & si est eo laudabilior, quòd uirtutes oratoris persequitur, cum uersu sit astrictior.

Quoniam dixerat numerum apud oratores increbuisse, nunc declarat quid uocabulo numeri intelligat. & ait, numerum à se uocari id omne, quod aptè cadit,

cadit, auremque delectat (ut ait Quintilianus) finita spaciorum comprehensione. Aurium enim sensus est fastidiosissimus, qui & redundantibus, & curtis atque imminutis offenditur, certo uerò fine dimensis oblectatur. is igitur numerus est oratorius, qui sub aurium mensuram aliquam cadit: modò absit à uersu. Nam in oratione uitiosum est, uersus adhibere, nisi fortasse ex aliquibus poetis citentur: ut in oratione pro P. Sestio Cicero facit. alioquin diligentissimè cauendum est, ne in uersum incidamus, quod aliquando magni etiam oratores uitare non possunt. Vnde fuerunt, qui uehementer Isocratem in hac parte reprehenderunt: ut infrà docebit Cicero. Quin in Verrem Cicero ipse incidit in sapphicum, credo per imprudentiam, cum ait: *Successit tibi Lucius Metellus.* Et pro Milone finem heroici carminis protulit, cum ait: Omnes in me meosque redundant ex illo fonte dolores. In historia uerò non tam uitiosum existimatur. itaque Sallustius bellum Iugurthinum ab heroico uersu incepit, quod annotauit Quintilianus. sic enim incipit: Bellum scripturus sum, quod populus Romanus. & T. Liuius à quatuor heroicis pedibus suarum historiarum præfationem cœpit, Facturus'ne operæprecium sim. Verùm notandum est quod ait hoc loco Cicero, uersum esse orationis uitium. numerum autem eundem esse uult, quem Græci ῥυθμὸν uocant: quo uocabulo etiam nos uulgari lingua utimur. nam rhythmos uocamus, Hetrusco sermone conscripta carmina. Rhythmus à Diomede Grammatico ita definitur: Rhythmus est uersus imago modulata, seruans numerum syllabarum, positionem sæpe, sublationemque continens. Differt à metro, quia temporum, syllabarum, pedumque congruentia, in infinitum multiplicatur ac profluit. Cicero 3. de Oratore, uidetur rhythmicos & Musicos eosdem ferè putare, cum ait: Nec sunt hæc Rhythmicorum ac Musicorum accerrima norma dirigenda. Itaque uideo uisum.) Quorundam opinionem citat, quam sequi uidetur: qui dicebant, Platonis & Democriti locutionem potius poema uocari debere, quàm comicorum poetarum. cuius opinionis rationem adfert: quoniã eorũ philosophorum locutio, quamuis uersu non claudatur, tamẽ incitata fertur, & uarijs luminibus atque figuris exornatur. comici uerò pręter uersiculos nihil habent, quòd à quotidiano sermone differat. Potius poema.) Duabus igitur proprietatibus poema illustratur, hoc est, incitatione uerborum, et clarissimis luminibus. Poema Gręci uolunt à poesi differre: quòd poesis sit totum opus poetę, ut Ilias, Odyssea (unde Cicero 4. Tusc. dixit: Anacreontis tota poesis amatoria est: hoc est, totum opus quod scripsit Anacreon) poema uerò sit pars quædã operis: ut singuli Iliadis libri poemata dici possunt. quam differentiam uidetur etiam Nonius agnouisse, sed perpetua non est. nam hoc loco poema pro omni scriptione Platonis & Democriti, Cicero posuit. Potius ego poema dixerim illud esse, quod poesis naturam exprimit. Quàm comicorum.) Cum enim Comœdia sit humanæ uitæ speculum, oportet ut mores hominum & sermonem exprimat. quo fit, ut necessariò sit humilis, & quotidiano sermone conficiatur: nisi cum aliter res postulare uidetur. nam, ut ait Horatius,

Interdum tamen & uocem Comœdia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

Nec tamen id est.) Quamuis poetæ numeros & pedes quosdam certos sequantur, non tamen hoc maximum in eis existimandum est. quoniam non satis est, ut ait Horatius, uersum pedibus concludere senis: uerùm eo laudabilior erit poeta, quo plures oratorias uirtutes persecutus fuerit. unde Quintilianus Homerum in eo maximè commendat, quòd non in poetica tantum, sed etiam oratoria uirtute fuerit eminentissimus: cui proximum facit Virgilium.

(Ego autem, etiamsi quorundam grandis & ornata uox est poetarum, tamen in ea cùm licentiam statuo maiorẽ esse quàm in nobis

faciendorum iungendorumq́ uerborum, tum etiam nōnullorum uoluptati uocibus magis quàm rebus inseruiunt.

Interponit sententiam suā, qua declaret, qua in re poetæ differant ab oratoribus. Duabus autem in rebus potissimū distinguit. Primò, quòd poetæ maiorem in faciendis componendisq́ uerbis licentiam habent, quàm oratores: deinde, quia magis uoluptati quàm rebus inseruiunt. Etiam si quorundam.) Sunt enim tragici & heroici poetæ, qui & granditate uerborum, & sententiarum sublimitate delectentur, quendamq́ sonū maximè oratorium exprimūt.

Tamen in ea.) Prima hæc est differentia. Fingunt enim frequenter poetæ noua uerba, quod oratori non ita crebrò conceditur. ut Virgilius:

—Magni gestamen Abantis. &,

Despiciens mare ueliuolum, terrasq́; iacentes.

Neq; enim orator diceret, gestamē, aut ueliuolū mare. sed huius generis apud poetas sunt infinita. Tum etiā nonnullorū.) Altera differentia, quòd magis uoluptatē q̄ res ipsas sequuntur. Videtur enim poesis inuenta delectationis gratia, quamuis etiam sæpe prosit. unde rectè dixit Horatius in Arte poetica:

Aut prodesse uolunt, aut delectare poetæ,

Aut simul & iucunda & idonea dicere uitæ.

Alibi tamen idem Horatius fatetur, inuenta fuisse poemata uoluptatis tantum causa, cum ea similitudine utitur:

Vt gratas inter mensas symphonia discors,

Et crassum unguentum, & sardo cum melle papauer,

Offendunt, poterat duci quia cœna sine istis:

Sic animis natum inuentumq́; poema iuuandis,

Si paulum summo discessit, uergit ad imum.

Hoc igitur est quod ait hoc loco Cicero, magis uoluptati poetas q̄ rebus in(seruire.

Nec uerò si quid est unum inter eos simile (id autem est iudiciū, electioq́ uerborū) propterea cæterarū rerum dissimilitudo intelligi non potest. Sed id nec dubiū est: & si quid habet quæstionis, hoc tamen ipsum ad id quod propositum est, non est necessarium.

Concedamus, inquit, in elocutione, de qua agimus, poetas & oratores aliquid habere simile inter se: ut iudiciū & delectū uerborum, quæ utriq; sequuntur: tamen quia dissimiles sunt in reliquis multis rebus, facile distinguuntur. adeò ut nulla supersit quæstio: uel si supersit, nihil ad id quod propositum est. In primo de Oratore Crassus hanc quæstionem ita paucis explicat: Est enim finitimus oratori poeta, numeris astrictior paulo, uerborum autem licētia liberior, multis uerò ornādi generibus socius, ac penè par: in hoc quidē certe propè idem, nullis ut terminis circumscribat, aut definiat ius suum, quo minus ei liceat eadem illa facultate & copia uagari quà uelit.

Seiunctus igitur orator à philosophorum eloquentia, à sophistarum, ab historicorum, à poetarum, explicandus est nobis, qualis futurus sit.

Conclusio per enumerationem, cui propositionem adiungit eorum quæ dicturus est. Quatuor enim erāt artifices, qui uidebātur eadem locutione uti, qua oratores solēt: hoc est, philosophi, sophistæ, historici, poetæ: à quibus iam oratorem seiunximus. Superest igitur, ut eum per se considerantes, explicemus qualis futurus sit.

Erit igitur eloquens (hunc enim, auctore Antonio, quærimus) is, qui in foro causisq́ ciuilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut

ut flectat. Probare, necessitatis est: delectare, suauitatis: flectere, uictoriæ. nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum.

Eloquentẽ hoc loco primò definit, deinde eius officia persequitur. Appellat igitur eloquentẽ, eũ qui in causis forensibus & in concionib. ita uersari potest, ut probet quæcunq; uoluerit, ut delectet audientes, & eorum animos flectat. quæ definitio tum à materia, tum à fine deducitur. materia enim, quã tractet, & in qua uersetur orator, sunt causæ forenses, & cõciones: finis aũt est, flectere & persuadere. sunt aũt illæ ualidæ & firmæ definitiones, quæ materiã & finem alicuius rei complectuntur. Oratoris uerò materiã esse quæstionem omnem ciuilem, quod Græci ζήτημα πολιτικόν uocant, etiã Hermogenes testatur. Finis est, persuadere dictione. quod primo de Inuentione legitur: & Isocrates affirmauit, cum πειθοῦς δημιουργόν eloquentiã esse dixit. Tria sunt quæ efficere debet orator, probare, delectare, flectere. Primum & secundum cõmune cum pluribus est. nam & dialectici & philosophi probant, & poetæ delectant: sed tertium unius oratoris esse uidetur. licet enim etiam poetæ grauioribus utantur affectibus, tamen id potius delectandi quàm flectendi gratia faciunt: quia non ueras, sed fictas tractant causas. Ergo probare, inquit, necessitatis est. neque enim oratoria poterit esse locutio, quæ probabilis non sit: cum Aristoteles primo Rhetoricorum, nihil aliud rhetoricam esse uelit, quàm facultatem uidendi in quaq; re quid probabile sit. Itaq; qui non probat, orator esse non potest. Necessarium est igitur, probare. Delectare uerò, tantum suauitatis est: tamen ideo est utilissimum, quia mouet attentionem, & conciliat audientium animos, quo facilius flecti possint. neq; enim aliter uincere potest orator, nisi flectat iudicum animos. Ideo dicit Cicero, flectere esse uictoriæ, & hoc unum ex omnibus ad obtinendas causas plurimum ualere. Alibi dixit Cicero, docere debitum esse, delectare honorarium, permouere necessarium.

Sed quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi: subtile in probando, modicum in delectando, uehemens in flectẽdo. in quo uno uis omnis oratoris est.

Nunc dicendi genera oratoris officijs accõmodat. Iam enim superius dictum, esse tria dicendi genera: hoc est, subtile, temperatũ, uehemens. nunc ait genus illud dicendi quod subtile uocatur, aptum esse ad probandũ, quo utuntur oratores in tenuioribus causis: ut in litibus, & pecuniarijs controuersijs. ut oratio pro A. Cecinna tota subtilis est, & in probando occupata. Genus autem illud quod temperatum uel modicum dicitur, ad delectandum accommodatum est, quo utimur in exornationibus, quæ plerunq; uoluptatis gratia comparantur: ut Isocrates in Euagora, Helena, Busiride. Denique genus illud quod appellatur uehemens, in flectendo plurimum ualet: ideo grauioribus causis adhibetur, & contentionibus, & amplificationibus. nec sine eo quisquam bonus orator esse potest. Qua de causa putat Cicero, in eo uim omnem esse oratoris.

Magni igitur iudicij, summæ etiam facultatis esse debebit moderator ille, & quasi temperator huius tripartitæ uarietatis.

Quoniam pro re, pro persona, pro causa, pro loco, pro tempore uariare dicendi genus oportet, ideo Cicero duo potissimum in summo oratore requirit: hoc est, magnum iudicium, & summam facultatem. Iudicium, ut omnem orationem rebus & personis, de quibus agit, accommodare sciat: aliter enim ridebitur. ut Horatius:

Si dicentis erunt fortunis absona dicta,

Romani tollent equites peditesq́; cachinnum.

Facultatem, ut eo modo quo quæq; cauſa poſtulat, ornatè & copioſe dicere poſsit, ut ſi de poſſeſsione dicendum ſit, id ſubtiliter faciat: ſi quis ornãdus aut uituperandus, id temperato ſtylo conſequatur: ſi deniq; de parricidio, de ſacrilegio dicere fuerit opus, id uehementer & atrociter efficiat. Eloquentem autem hominem uocat, moderatorem & temperatorem illius tripartitæ uarietatis: quoniam nemo poterit uerè eloquens appellari, niſi in omni dicendi genere ita uerſetur, ut excellat.

Nam & iudicabit, quid cuiq; opus ſit: & poterit, quocunq; modo poſtulabit cauſa, dicere.

Hæc eſt ratio, cur eloquens magni iudicij, ſummæq́; facultatis eſſe debeat: ut iudicet, quid cuiq; opus ſit: quod nulla arte tradi poteſt. artes enim tantum generalia complectuntur, non autem ſingularia & indiuidua, quæ propter infinitatem ab artibus remouentur. ſed qui magno iudicio eſt, facile quæ generaliter in arte didicit, ſigillatim cuiq; cum opus eſt accommodat: ut quia ſcit (exempli gratia) ſublime dicendi genus grauioribus cauſis accommodatum, cum ſibi de capite ciuis dicendum erit, utetur illo ſublimi dicendi genere, ita iudicabit quid cuiq; opus ſit. quod ſi præter magnum iudicium, ſummam etiam dicendi facultatem habuerit, intellecto modo quē cauſa poſtulat, ſine ulla difficultate de eo dicere appoſitè, & eum commodè tractare poterit.

Sed eſt eloquentiæ, ſicut reliquarum rerum, fundamentum ſapientia. ut enim in uita, ſic in oratione nihil eſt difficilius, quàm quid deceat uidere. πρέπον appellant hoc Græci, nos dicamus ſanè decorum: de quo præclarè & multa præcipiuntur, & res eſt cognitione dignisſima.

Sapientia rerũ omniũ moderatrix & regina meritò dicitur: quoniã ſine ea nihil rectè, nihil laudabile fieri poteſt. Sed eam à natura plerunq; homines ſortiuntur. quod enim alij prudentiores & ſapientiores ſint, alij minus prudẽtes, id non tantũ à doctrina atq; exercitatione & uſu prouenit, ſed multo magis à natura. Vnde rectè Pindarus ita ſapientem definit, σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ: Sapiens eſt, qui multa naturaliter intelligit. Neq; ſanè quiſquam hebeti ingenio & obtuſo, licet multum laboret, prudens ac ſapiens euadere poteſt: uerùm qui ſolertiæ ſemina quædam habet à natura, ille deinde uſu & doctrina multum proficiet. Hoc eſt quod ait Horatius,

Doctrina ſed uim promouet inſitam,
Rectiq́; cultus pectora roborant.

Videtur autem hoc loco Cicero ſapientiam pro iudicio ponere: quod etiam alibi fecit. nam multa ſunt uocabula, quæ Cicero pro animi (ut ita dicam) ſagacitate uſurpat: ut prudentia, ſapientia, iudicium, conſilium, ratio, intelligentia, mens, & nonnulla alia, quæ ſępenumero idem ſignificant: ut non mirum ſit, hoc loco ſapientiam pro iudicio poni. Eſt igitur (inquit) iudicium, eloquentię fundamentũ: ſicuti etiã reliquarũ rerum omniũ. nam ſi quis iudicio careat, non tantũ infans erit, ſed etiã omnia perquàm inſipiẽter tractabit. Vt enim in uita.) Rationẽ adfert, cur iudiciũ ſit eloquentię fundamentũ. Niſi enim quis decorũ in omnib. ſeruare ſciat, eloquẽs eſſe nõ poterit. ſed hoc à recto iudicio prouenit. hoc aũt eſſe difficillimũ, ſimilitudine declarat. In uitæ degendę ratione nihil eſt difficilius, quàm ubiq; uidere quid deceat. hoc idẽ accidit etiã in oratione, tantoq́; magis, quãto difficilius eſt eloquentem fieri, q̃ honeſtè uiuere. Id quod decet, inquit, à Gręcis πρέπον, à Latinis decorũ dicit. de quo philoſophi multa præclara, & utilia præcepta tradunt: & res eſt eiuſmodi, ut omnes eius cognoſcendæ deſiderio moueri debeãt. Ex hoc enim omnis honeſtè

uiuendi

uiuendi ratio pendet. Vnde Horatius, cum uellet ostendere se totum philosophiæ deditum, dixit:

Quid uerum atq; decens curo, et rogo, et omnis in hoc sum.

Et alibi cum improbissimā uitæ consuetudinē impugnaret, dixit: *Quid deceat, quid non, obliti.*— Primo de Officijs Cicero decori descriptionē duplicē esse ait. Nam & generale quoddam decorū intelligimus, quod in omni honestate uersatur: & aliud huic subiectum, quod pertinet ad singulas partes honestatis. & hoc est quod alicui rei conuenire dicimus. ut de Senect. Sed tamen decorus est sermo senis, quietus & remissus. & 2. de Legib. Color albus præcipuè decorus deo est. idem Cicero 1. de Diuin. liberales artes decora studia uocauit, eo in carmine: *Ocia qui studijs læti tenuere decoris.*
Si referatur ad corpus decorum, uenustum & pulchrum significat.

Huius ignoratione non modò in uita, sed sæpissimè & in poematis, & in oratione peccatur. Est autem, quid deceat, oratori uidendum, non in sententijs solum, sed etiam in uerbis.

Ostendit quanta uis decori sit: quod si ignoretur, possit in errorem & peccatum facile adducere. Peccamus autem aut in uita, ut cum aliquid facimus quod minimè deceat: aut in oratione, cum non conuenientia dicimus. Peccāt poetæ & oratores, cum rerum & personarum dignitates non rectè considerant. unde rectè præcepit Horatius in Arte poet. —*Ne fortè seniles*

Mandentur iuueni partes, puero q; uiriles,

Semper in adiunctis, æuoq; morabimur aptis.

Debet aūt orator non solum in sententijs, sed etiam in uerbis decorū seruare. nam, ut primo de Officijs legimus: Turpe est, ualdeq; uitiosum, in re seuera conuiuio dignum, aut delicatum aliquem inferre sermonem. præterea maximè peccaret orator, qui causis grauioribus humilia aut sordida uerba misceret: & contrà in nugis, quod aiunt, tragœdias excitaret.

Non enim omnis fortuna, non omnis honos, nō omnis auctoritas, non omnis ętas, nec uerò locus, aut tempus, aut auditor omnis eodem aut uerborum genere tractandus est, aut sententiarum.

Variè decorū considerari solet: quia rerum & personarū, quibus accommodatur, magna est uarietas. Septem aūt quasi notis hoc loco decorū distinguit: hoc est, fortuna, honore, auctoritate, ętate, loco, tēpore, auditore. Nam primò fortuna facit, ut diuersa oratione sit utendū. aliter enim de diuite, aliter de paupere dicendū: aliter de fortunato, aliter de misero. quod seruandum est etiam, cum loquentes aliquos facimus. hoc est quod dixit Horatius,

Intererit multum, diues'ne loquatur, an Irus.

Secundò, personæ honos spectandus est. nā aliter cum magistratu, ut cū Consule, cum Prætore: aliter cū priuato loquendū. & alia regē, aut imperatorem uerba decent: alia ciuē, aut militē. Tertiò, consideranda est auctoritas. neq; enim eodē orationis genere utemur in senatu, quo in concione: neq; ita cū maioribus loquemur, ut cū inferioribus. Quartò, spectatur etiam ætas. nam aliter cum puero, aliter cum sene agendū est. quod etiā Horatius rectè pręcepit:

Aetatis cuiusq; notandi sunt tibi mores,

Mobilibusq; decor naturis dandus, & annis.

Aristoteles 2. Rhetoricorum, doctissimè & copiosissimè cuiusq; ætatis mores explicat. Quintò, consideratur locus: ut in curia, in templo, in foro, in domo. nam multa priuatim in domo dicuntur, quæ non essent in curia dicenda: & aliter in templo loqui solemus, aliter in foro. Sextò, uidendum est etiā quo tempore habeatur oratio. Nam illa occasio, quam εὐκαιρίαν græci uocant, maximi momenti

momenti est.ut in conuiuio,quo tempore læti solemus esse, multa dicuntur, quæ alio tempore non conuenirent. Vnde Cicero non caruit reprehensione, quod belli ciuilis tempore iocis & salibus non abstineret. Septimò, quærendum est, qualis sit auditor, utrū agrestis an urbanus, doctus an indoctus: quoniam omnem orationem ad auditoris naturam & uoluntatem accommodare opus est.

Semperq; in omni parte orationis,ut uitæ, quid deceat est considerandum: quod & in re de qua agitur,positum est: & in personis, & eorum qui dicunt, & eorum qui audiunt.

Hæc est similitudo. Quemadmodum, inquit, in omni parte uitæ considerandum est quid deceat,ne quid indecorè fortaßis agamus, aut aliquam turpitudinem subeamus: ita etiam in omni parte orationis decorum seruandum est. Id autem refertur & ad rem quam tractamus, & ad personas. in his enim duobus,omne decorum spectatur. Personæ uerò distinguuntur, ut aliæ sint eorum qui dicunt, aliæ eorum qui audiunt. quæ singulæ pro dignitate tractandæ sunt.

Itaq; hunc locum longè & latè patentem, philosophi solent in officijs tractare, non solum cum de recto ipso disputant: nam id quidem unum est, grammatici in poetis, eloquentis in omni & genere & parte causarum.

Quoniam decorum in omni parte uitæ consideratur, ideo philosophi cum de officijs medijs, in quibus singulas uitæ partes persequuntur, disputant, solent hunc locum decori longè & latè patentem tractare. neq; enim contenti sunt hunc locum attigisse, cum de recto ipso disputant: quoniam rectum officium generaliter consideratur, & una quasi natura continetur. ut cum dicimus, Grammatici officium esse, uersari in poetis: eloquentis, in omni & genere & parte causarum. hoc enim rectum intelligitur, quod ad unum genus refertur, & generaliter ad omnes artifices, ut in sua quisq; arte uersetur, non in alienam poseßionem irrumpat. Hunc locum Cicero primo de Officijs copiosißimè tractat, ubi docet quoddam esse decorum generale, quod ad omnem honestatem pertinet. et illud est quod rectum dicitur, & unum est: hoc est, uno genere cōtinetur. quoddam autem ad singulas honestatis partes referri, quod in rebus singulis & personis consideratur, de quo sentit etiā hoc loco. Cum de recto ipso.) Duplex est enim officium, perfectum & medium. perfectum id est, quod à Græcis κατόρθωμα, à Latinis rectum dicitur. Medium autem id est, cuius probabilis ratio reddi poteſt. Decorum igitur eodem modo, quòd sub officio generaliter continetur, aliud est rectum, aliud medium. Atq; hæc causa est, cur philosophi de utroq; officio tractantes, semper etiam de decoro tractare soleant. Grammatici in poetis.) Poetarum tractatio atq; interpretatio, propria Grammaticorum est. itaq; hoc in grammatico decorum esse dicetur, si rectè poetas enarrauerit, & interpretatus fuerit: quod idem in medico aut iurisconsulto decorum non esset. Primo de Offic. ita ait Cicero: Tum seruare illud quod deceat poetas dicimus, cum id quod quaque persona dignum est, et fit, & dicitur. ut si Aeacus aut Minos diceret, Oderint, dum metuant: indecorum uideretur, quòd eos fuisse iustos accepimus. at Atreo dicente, plausus excitantur. est enim digna persona oratio. Sed poetæ quid quenq; deceat, ex persona iudicabunt: oratores autem, non tantum genus dicendi, quod cuiusque causæ conueniat, sed etiam quod cuiq; parti causarum, diligenter considerare debent.

Quàm enim indecorum est, de stillicidijs, cum apud unum iudicem

cem dicas,amplissimis uerbis & locis uti communibus:de maiesta-te populi Romani,summissè & subtiliter :

Quoniam dixerat, oratorem oportere decorum seruare, & in toto genere causarum & in parte:nunc exemplo probat,quomodo peccatur in toto genere.quo in loco sciendum est,aliquas esse causas humiles & priuatas,quę apud unum tantum iudicem aguntur,ut de stillicidijs,de aqua pluuia arcenda, de finibus regundis, de seruitute prædij rustici aut urbani, & cætera eius generis, quæ summissè subtiliterq́ tractari debent: alias autem grandes & publicas, ut de maiestate populi Romani, de sicarijs, de parricidio, de peculatu, de ueneficio,atq; eius generis multas,in quibus uerbis amplissimis uti decet,& in communibus locis omni dicēdi facultate exardescere. Quod si quis mutata dicendi ratione, de stillicidijs agens, amplissimis uerbis & locis communibus uteretur,hoc esset uehementer indecorum. Stillicidium numeratur inter seruitutes prædiorum urbanorū,de quibus Iustinianus in institutionibus ita inquit: Prædiorum urbanorum seruitutes sunt hæ,quæ ædificijs inhærent:ideo urbanorum prædiorum dictæ, quoniam ædificia omnia urbana prædia appellamus, etsi in uilla ædificata sint.item urbanorum prædiorum seruitutes sunt, ut uicinus onera uicini sustineat,ut in parietem eius liceat uicino tignum immittere, ut stillicidium uel flumen recipiat quis in ædes suas, uel in aream,uel in cloacam: ne altius quis tollat ædes suas,ne luminibus uicini officiat. Hæc si tractanda sunt ab oratore,non utetur grauibus uerbis,aut amplis,non excurret in locos communes:uerùm submissè & subtiliter aget.contrà de Maiestate sublimius agendum erit. Est autem maiestas, ut in Partitionibus ait Cicero, in imperij atq; in omni populi Romani dignitate posita. Solet enim Cicero populo Romano maiestatem, senatui auctoritatem tribuere. ut in Philip. 3. Tantus autem consensus municipiorum coloniarumq́ prouinciæ Galliæ, ut omnes ad auctoritatem huius ordinis, maiestatemq́ populi Romani defendendam conspirasse uideantur. Vnde minuere maiestatem dicuntur ij, qui aliquid contra populi Romani dignitatem uel amplitudinem moliuntur. Poetæ lepidè fingunt, Honoris & Reuerentiæ filiam esse Maiestatem. unde Ouidius 5. Fastorum:

Donec Honor,placidoq; decens Reuerentia uultu
Corpora legitimis imposuere toris,
Hinc sata Maiestas,quæ mundum temperat omnem.

Capitur etiam generaliter maiestas pro dignitate cuiuscunq; principis,uel magni uiri,aut fœminæ:qua in significatione cœpit Ouidius eo carmine,

Non benè conueniunt,nec in una sede morantur
Maiestas & amor.—

Semper igitur maiestas,nescio quid magnum & amplum præ se fert.unde qui de maiestate summissè diceret,is omnino magnum in uitium incideret. Est enim in rebus magnis & amplis, utendum etiam magna & ampla uerborum & sententiarum grauitate,lociq; cōmunes amplificandi gratia sunt adhibēdi.

Hic genere toto:at persona alij peccant,aut sua,aut iudicum,aut etiam aduersariorum. nec re solum, sed sæpe etiam uerbo: etsi sine re nulla uis uerbi est,tamen eadem res sæpe aut probatur, aut rejicitur,alio atq; alio elata uerbo.

Docuit,quomodo in toto genere peccatur:nunc docet etiam,quomodo in parte. Tribus autem modis in parte causarum quis peccare potest:hoc est,aut persona,aut re,aut uerbo. Persona triplex est, oratoris ipsius, iudicum, & aduersariorum. Persona sua peccat orator, cum aut nimis arroganter de se prædicat:quo uitio notatus fuit Cicero. aut contrà nimium sese deprimit:aut deni

que quoties aliqua in re de se loquens modum excedit. Persona iudicum peccat, quoties eos aut offendit, aut non artificiose sibi conciliat, aut non eos satis aperte causam docet. Aduersariorum persona peccat, cum neq; in odium, neque in inuidiam, neq; in cõtemptionẽ trahit, uel etiam cum eos nimis cupide insectatur. In re peccat orator, quoties uel honesta improbat, uel turpia defendit, uel ea dicit quæ contra omnium opinionem esse uideantur. Verbo denique peccat, cùm sordida aut obscœna, aut à causa aliena uerba suæ orationi miscet. Nulla uis uerbi.) Sensus est, uerba per se nihil possunt, nisi subsit res quæ significetur: tamen sæpe fit, ut eadem res modò probetur, modò reijciatur, alio atque alio elata uerbo. quod multis exemplis ostendi potest, sed nos duobus erimus contenti. Cicero in libro de Vniuersitate, sordidum uerbum refugiens dixit, detractionem confecti cõsumptiq; cibi: quoniam indecorum fuisset eam rem suo nomine appellare. Virgilius in Georgicis, obscœnam rem honestis uerbis protulit his uersibus:

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali aruo, & sulcos oblimet inertes.

Multum igitur refert, quo uerbo quæq; res enunciétur. atque in hoc non minus, quàm in re ipsa, decorum seruandum.

In omnibusq; rebus uidendũ est, quatenus. etsi enim suus cuiq; modus est, tamen magis offendit nimium quàm parum.

Sententia generali docet, in rebus omnibus, non tantum in dicendi ratione, modum quendam seruandum esse: quoniam ut rectissime Phocyllides dicere solebat, παίντωμ μέτρομ ἄριςομ, ὑπερβασίαι δ᾽ ἀλεειναί, Mensura rerum omniũ est optima, omnis uerò exuperantia mala: sic etiam Plutarchus dixit, Mediam in cunctis secare uiam, summæ artis & consonantiæ est. hinc est quod Horatius aureã mediocritatem appellauit, & uirtutẽ nihil aliud esse quàm mediũ uitiorum sensit. sic enim etiã philosophi uirtutes μεσότητας uocant. Et hoc est quod ait hoc loco Cicero, cuiq; rei suum esse modum. quod Horatius ita protulit,

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos ultra citráq; nequit consistere rectum.

Nihil igitur laudari potest, nisi quod est mediocre, & neutram in partem modum excedit: hoc est, neque in eo quod nimium est, neq; in eo quod est parum. Rectè enim ille poeta dixit:

Illud quod medium est, atq; inter utrunq;, probatur.

Quod cum ita sit, magis tamen in omnibus rebus offendit nimium quàm parum, inquit Cicero. Quare uidendum est, ut potius intra modum cõsistamus, quàm eum excedamus. hoc enim Apollinis præceptum esse ueteres illi dicebant, ut ne quid nimis: ideo pro foribus templi Delphici ita scribebatur, ΜΗΔΕΝ ΑΓΑΝ. Tantam autem uim huius sententiæ uolunt esse, ut etiã in uirtutibus modum excedere dicant non licere. unde dixit Horatius:

Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Vltra quàm satis est uirtutem si petat ipsam.

Athenienses cum Aristidem iustissimum uirum ostracismo pellerent, non alia de causa se eum condemnare dicebant, nisi quia nimis esse iustus uideretur. Ephesij cum ciuitate expellerent Hermodorum ciuem suum, ita locuti sunt, ut ait Cicero 5. Tuscul. Nemo de nobis unus excellat: sed si quis extiterit, alio in loco, & apud alios sit. an hoc non ita fit omni in populo? non'ne exuperantiam uirtutis oderunt? quia etiam illud uulgò celebratur, Summum ius summa iniuria. Clementia enim, quæ aliquid de summo iure remittit, magis probatur, quàm seueritas, quæ summum ius persequitur. In summa, generaliter uera est hęc Ciceronis sententia: Magis offendere nimium quàm parum. itaq; si laudamus, si uituperamus, si accusamus, si defendimus, denique quicquid

quid agimus, uidendum est quatenus progrediendum sit: ne si fortè modum excesserimus, meritò reprehendamur.

In quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis.

Apellis testimonio probat, quod nimiũ est, offendere. Fuit aũt Apelles pictor excellentissimus, de quo suprà dictũ est. is pictores eos reprehẽdere solebat, qui nimiũ diligentes uideri uolebant, & in parergis multum operæ collocabant. Cum Protogene dicebat paria sibi esse omnia, aut etiã illi meliora: sed uno se præstare, quod manũ ille de tabula nesciret tollere. memorabili (inquit Plinius) præcepto, nocere sæpe nimiam diligentiam. *Lib.35.cap.10*

Magnus esset locus hic Brute, quod te non fugit, & magnum uolumen aliud desiderat. Sed ad id quod agitur, illud satis, cum hoc decere quod semper usurpamus in omnibus dictis & factis, minimis & maximis, cum hoc inquam decere dicimus, illud non decere: & id usquequaq; quantum sit appareat, in alioq; ponatur, aliudq; totum sit, utrum decere, an oportere dicas.

Vtitur reiectione, ne uideatur hoc loco de decoro quæcũq; dici possunt, tractare uelle, cum dicat magnum esse locũ, & magnum aliud uolumen desiderare. neq; enim oratoris est, sed philosophi, de decoro generaliter præcepta tradere. quod præclarè Brutus intelligebat, qui philosophiæ peritissimus erat. ideo Cicero adiunxit illud, Quod te non fugit. Verùm quod ad pręsens opus attinet, satis est intelligere magnam esse differentiam, utrum aliquis dicat decere, an dicat oportere. Multa enim decent, quę tamen non sunt necessaria. ut, decet uirum bonum & prudentem Reipub. curam suscipere, neq; tamen hoc ei necessarium est. Cum igitur dicimus hoc decere, illud non decere, atq; hoc usurpamus in omnibus dictis & factis, siue illa minima sint, siue maxima, quoniam satis apparet in omni re quid deceat, quid non: intelligere debemus longè aliud esse, quàm si dicamus oportere. hic uerborum Ciceronis sensus est, quæ propter hyperbaton paulo uidentur obscuriora. Significat autem, decorum satis esse notum, cum in omnibus dictis & factis omnes dicant, hoc decet, illud non decet. Sed tamen in alio ponitur, aliudq; totum est, quàm quod oportet. ideo statim Cicero distinctionem subiungit:

Oportere enim, perfectionẽ declarat officij: quo & semper utendum est, & omnibus decere, quasi aptum esse, cõsentaneumq; tempori & personę: quod cùm in factis sæpissimè, tum in dictis ualet, in uultu deniq;, & gestu, & incessu, contraq; item dedecere.

Declarat quæ sit differentia inter oportere & decere. nam oportere, inquit, declarat perfectionem officij. Hoc autẽ non ita intelligendum est, ut quidã faciunt, qui existimant Ciceronẽ dicere, oportere referri ad illud officiũ rectum & perfectum quod κατόρθωμα Græcè dicitur: neq; enim hoc sentit Cicero. sed oportere, ait, necessarium esse, neq; prętermitti ullo modo posse. idcirco adiungit, Quo semper utendum, & omnibus: ut esse ac bibere oportet, aliter enim uiuere non possumus: magistratui parere oportet, quoniam aliter facere non possumus: creditori debitum persoluere oportet, quia cogimur. Cum igitur dicimus oportet, quandam semper necessitatem adesse intelligimus, quæ nos officium illud perficere cogat. Atq; ideo dicit Cicero, Oportere perfectionem declarat officij. Decere aũt nullã habet necessitatem annexã: quoniã significat tantũ aptum esse, & consentaneũ rei & personæ. quæ res sæpe locis & temporibus mutatur, itaq; mutatur etiã decorũ. id aũt quod dicimus oportere, nunq;

mutatur, sed est semper necessarium. Est etiam alia distinctio: quoniam oportere refertur ad iustitiam, fortitudinē, & alias uirtutes: decere uerò tantum ad modestiam. decorum enim id dicitur, quod in omnibus rebus modum quendam obseruat. Et hoc est quod ait Cicero, ualere in factis, in dictis, in uultu, in gestu, in incessu. qua ex cognitione magna copia in utranque partem dicendi manat, siue laudemus aliquem quòd decorum ubique seruet, siue uituperemus quòd indecorè se gerat. atque hæc quæ commemorat hoc loco Cicero, magnis eloquentiæ uiribus & in Antonium & in Pisonem persequitur. In factis non esse seruatum decorum à Pisone, sic ostendit: Meministi'ne cœnum, cum ad te quinta ferè hora cum C. Pisone uenissem, nescio quo è gurgustio te prodire inuoluto capite, soleatum? & cum isto ore fœtido teterrimam nobis popinā inhalasses: & quæ sequuntur. In dictis eundem non seruasse decorum, ibi ostendit, cum ait eum productum in concionem dixisse, crudelitatem sibi non placere: quia crudeles eos appellauit, qui Catilinam oppresserant. quo in loco uultum etiam eius et gestum irridet, cum ait: Respondes altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio, crudelitatem tibi non placere. quin Sallustius in Catilina, incessum modò celerem, modò tardum notauit, tanquam indecorum.

Quod si poeta fugit ut maximum uitium, qui peccat etiam cum probam orationem affingit improbo, stulto'ue sapientis: si denique pictor ille uidit, cum immolanda Iphigenia tristis Chalcas esset, mœstior Vlysses, mœreret Menelaus, obuoluendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari: si denique histrio, quid deceat, quærit: quid faciendum oratori putemus?

Hactenus docuit quid decorū sit, & quibus in rebus cernatur. nunc probat, oratori maximè expetendum esse. Probat autem à comparatione minorum: ut, Si poetæ, si pictores, si histriones decorum maximè seruare student, multò magis orator seruare debet. Poeta fugit, ut maximum uitium, id quod indecorum est: & peccare existimatur, quoties personarum dignitates non seruat. ut si uirum improbum de honestate benè disserentem inducat, & Diagoram aliquem de religione disputantem. aut si indocto sapientis orationem tribuat: ut si Margiten, aut Philonidem faciat cum Socrate aut Platone de philosophia disputantes. unde fuerunt Critici quidam, qui Virgilium notarint in decimo Aeneidos, quod Mezentio uiro sacrilego prudentem sententiam dederit, quando suum equum alloquens ita inquit:

Rhebe diu, res si qua diu mortalibus ulla est, Viximus.—

Quam rem (ut ait Seruius) ratio naturalis excusat. Sed Euripides non excusatur, qui sæpe mulieribus etiā & imperitis philosophicas & eruditas sententias tribuit. Pictor ille.) Timantē intelligit, de quo Val. Max. & Plin. qui cū Iphigeniæ immolationem in tabula uellet exprimere, iamque omnes affectus mœstitiæ in Chalcante uate, & Vlysse, & Menelao consumpsisset, Agamemnoni caput obuoluit. quia mœrorem patrium nequaquam se satis exprimere posse confidebat: & ita uniuscuiusque cogitationi eum reliquit. hoc aūt ideo fecit, ne si tristiorē Agamemnonē patrē Menelao patruo nō finxisset, decorum transgredi uideretur. Si denique histrio.) Histriones personarum decorū maximè student obseruare, neque enim aliter eorū actio probari posset. In summa, uerissimū est omnibus in rebus, quod undecimo libro Quintilianus ait, caput esse artis, decere quod facias. Quid faciendū.) Hæc est comparationis redditio. quanto enim maior est ars oratorum, quàm poetarum, pictorum, histrionum: tanto etiam diligentius oratores decorum seruare debent.

Sed

Sed cum hoc tantum sit, quid in causis earumq; quasi membris faciat orator, uiderit.

Epilogus huius partis: Cum intelligat (inquit) orator hoc decorum tantum esse, et tanti faciendum, diligenter uidere debet, non tantum in totis causis, sed etiam in earum membris & partibus, quid faciat.

Illud quidem perspicuum est, non modò partes orationis, sed etiam causas totas, alias alia forma dicendi esse tractandas.

Hoc quasi corollarium est præcedentis epilogi, in quo ait, non partes tantum orationis forma differre, sed totas plerunque causas. Quod autem orationis partes dicendi forma differant, haud dubium est. nam exordia ferè omnia mediocri & temperato dicendi genere conficiuntur, in quibus leniores illi affectus, quos nos mores, Græci ἤθη uocant, exprimuntur. Narrationes modò temperato, modò presso atque humili genere constant. Confirmationes & refutationes subtili plerunque, nonnunquam etiam acri & contorto utuntur. Perorationes ferè omnes grandi illo, & uehementi genere confici debent: in eis enim animi perturbantur, & grauiores affectus adhibentur. Sed aliquæ causæ totæ pressæ & subtiles inueniuntur, ut pro A. Cecinna: aliquæ totæ mediocres & temperatæ, ut pro lege Manilia: aliquæ totæ graues & uehementes, ut pro Rabirio.

Sequitur, ut cuiusque generis nota quæratur, & formula. Magnum opus & arduum (ut sæpe iam diximus) sed ingredientibus considerandum fuit, quid ageremus. nunc quidem iam quocunq; feremur, danda nimirum uela sunt.

Hactenus generaliter de omni dicendi genere uerba fecit: nunc sigillatim, de unoquoq; genere uult agere, & docere quomodo uel subtiliter dicere possit orator, uel temperatè, uel sublimiter. quę preceptio longè difficillima est, ut iam sæpe dixit: uerùm cum semel hoc opus incœpit, ostendit se uelle omnino ad finē deducere. Hoc autē loco notam & formulā uocat, quòd superius Græco uocabulo χαρακτῆρα dixerat: hoc est, figuram et modū dicendi. Sed ingredientibus.) Metaphorā à nautis sumpsit, qui priusquā mare ingrediantur, diligenter et uires suas, & anni tēpus, & reliqua quæ sunt ad nauigationē opportuna, considerare debent. sed postquam semel nauem ingressi sunt, tunc nimirum uentis obsecundandū est, et quocunq; tempestas tulerit, uela danda sunt. omnis enim tunc est honesta ratio expediendæ salutis. ita (inquit Cicero) cū hoc eloquentię pelagus iam ingressus sim, uolo omnino conari, ut ad portum aliquando perueniam, & quam cœpi tractationem perficiam.

Ac primum informandus est ille nobis, quem solum quidam uocant Atticum.

Omnium artium ordo poscit, ut semper à facilioribus initium sumatur: ne si difficilia primò tractentur, animi iuuenum ac nouitiorum perterreantur, & ab artis cognitione desistant: qui faciliore uia ducti, sine magno labore, quod ait Iustinianus, & sine ulla diffidentia maturius ad finem perducuntur. Hunc ordinem secutus hoc loco Cicero, cum de tribus dicendi generibus sit acturus, ab eo quod facilius uidetur incipit: & proponit, se primò informaturum eum quem Atticum solum quidam existimant, hoc est, qui in subtili atq; humili genere uersatur.

Summissus est & humilis, consuetudinē imitans, ab indisertis re plus quàm opinione differens. itaq; eum qui audiunt, quamuis ipsi

infantes ſint, tamen illo modo confidunt ſe poſſe dicere.

Orator, qui uerſatur in preſſo & ſubtili dicendi genere, uerbis ac ſententijs ſummiſſus & humilis eſt, & loquendi quotidianam conſuetudinem imitatur, adeò ut ab indiſertis parum differre uideatur: cum tamē plurimū differat. quo fit, ut auditores non magni illum faciant: qui quamuis parū dicendo ualeant, tamen exiſtimāt eo modo ſe poſſe dicere. cuius generis pulcherrimū eſt exemplum in oratione pro Milone: Quis enim non ſperet ita ſe narrare poſſe? Milo autem cum in ſenatu fuiſſet eo die, quoad ſenatus dimiſſus eſt, domum uenit, calceos & ueſtimenta mutauit, paulisper dum ſe uxor (ut fit) comparat cōmoratus eſt, & quæ ſequuntur: quæ nihil penitus à quotidiana loquendi conſuetudine diſtare uidentur. ſed tamen (ut ait Quintilianus) plurimum facit hæc calidiſsima ſimplicitatis imitatio: quoniam nihil præparatò, nihil feſtinatò feciſſe uidetur Milo. Quod non ſolum (inquit) rebus ipſis, uir eloquentiſsimus, quibus moras ad lentum profectionis ordinem ducit, ſed uerbis etiam uulgaribus & quotidianis, & arte occulta conſecutus eſt.

Nam orationis ſubtilitas imitabilis quidem illa uidetur exiſtimanti, ſed nihil eſt experienti minus.

Vnuſquiſq;, priuſq; experiatur, putat ſe dicēdi genus preſſum & ſubtile imitari poſſe: ſed cum experiri uoluerit, tunc intelligit id eſſe multo difficillimum. Hunc locū imitatus eſt, uel potius totū ſumpſit Horat. in Arte poet. cum ait:

Ex noto fictum carmen ſequar, ut ſibi quiuis
Speret idem, ſudet multum, fruſtraq; laboret
Auſus idem.—

Quintilianus etiam libro quarto ſic ait: Neq; enim aliud in eloquentia cuncta experti difficilius reperient, quàm id quod ſe dicturos fuiſſe omnes putant, poſtquam audierunt: quia non bona iudicant eſſe illa, ſed uera: tum autem optimè dicit orator, cum uidetur uera dicere.

Etſi enim non plurimi ſanguinis eſt, habeat tamen ſuccum aliquem oportet: ut etiam ſi illis maximis uiribus careat, ſit (ut ita dicàm) integra ualetudine.

Pulchra quadam ſimilitudine declarat, quale ſit hoc de quo uerba facere cœpit, ſubtilē dicendi genus. Sunt enim quædam corpora benè conſtituta, quæ plurimum habeant ſanguinis, & maximis uiribus præſtent: quale fuit Aiacis Telamonij, & Milonis Crotoniatæ. Sunt alia, quæ licet plurimum ſanguinis non habeant, neque maximis uiribus excellant, tamen ſuccum quendam ſalubrem habent, & integra ualetudine ſunt: qualia multa reperiuntur. His ſimile eſt hoc ſubtile dicendi genus, neque enim tanti ſanguinis eſt, quanti illud grande & ſublime: hoc eſt, non tot exornationibus abundat, neque tantis uiribus excellit: ſed tamen firmum eſt, & aptum ad probandum, quodcunque opus fuerit.

Primum igitur eum tanquam è uinculis numerorum eximamus. ſunt enim quidam (ut ſcis) oratori numeri, de quibus mox agemus, obſeruandi ratione quadam, ſed alio in genere orationis: in hoc omnino relinquendi.

Hoc primum præceptum eſt, ut in humili genere non ſolliciti ſimus, quo numero utamur initio periodorū, aut in clauſulis: quod in temperato genere, & ſublimi diligenter obſeruari debet, in hoc autem omnino repudiandum. Ex quo intelligi poteſt, eos ineptè facere, qui in epiſtolis, quas quotidiano ſermone texere debemus (ut Cicero docet) grandiores quoſdam numeros adhibere

bere solent. Sunt quidem (ait Cicero) in oratoria facultate numeri quidam, de quibus inferius suo loco multa dicemus: sed illi alio in genere orationis, hoc est, in æquabili & grandi sunt obseruandi. quoties autem hoc summissum & humile tractamus, eos relinquere debemus. Numeros autem tanquam uincula appellat, uel quòd oratorem quodammodo alligant ad eos obseruandos: uel, quod magis placet, quia membra & periodos orationis uinciunt, & egregiè coniungunt. Quintilianus hæc uincula putat etiam in subtili genere esse, sed laxiora, & quodammodo dissimulata: atque ideo genus hoc dicendi solutum uocat. nam oratio (inquit) alia uincta atque contexta: soluta alia, qualis in sermone, & in epistolis.

Solutum quiddam sit, nec uagum tamen, ut ingredi liberè, non ut licenter uideatur errare.

Hoc secundũ præceptum est, ut humile genus dicendi, sit solutũ & liberum: ita tamen, ne uagetur, & extra orbitã (ut aiunt) progredi uideatur. decet enim uti libertate, quæ conceditur in ingrediendo: sed uidendum est, ne in licentiam incidamus, & aberremus à proposito. Hæc metaphora sumpta est à pecudibus, cum in pascua mittuntur. Sunt enim solutæ & liberæ, sed tamen à pastoribus ita reguntur, ut ne nimium uagentur, aut licentius errent. Sic Appius iocose Luculli pecus liberum esse dicebat, quoniã quà luberet, pasceretur. 2. de Orat. Accidit autem sæpe in scribendo, præsertim ijs qui parum sunt adhuc exercitati, ut frequenter aberrent à proposito, & nimis dissolutè loquantur: quod magnopere cauendum est, & uidendum ne libertas in licentiam exeat.

Verba etiam uerbis quasi coagmentare negligat. habet enim ille tanquam hiatus concursu uocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam, de re hominis magis quàm de uerbis laborantis.

Tertium hoc præceptum est, ut qui in summisso genere uersatur, non curet etiam si uerba uerbis coagmentet: hoc est, ita constituat, ut uocales uocalibus occurrant, atque ita uerba quodammodo coniungantur. huius autem rei rationem addit: quoniam ille concursus uocalium tanquam hiatus quidam, nescio quid tenerũ ac molle præ se fert, & declarat quandã oratoris negligentiã, quæ non ingrata sit: quoniam magis de rebus, quàm de uerbis laborare uideatur. Huius rei exemplum prima statim epistola Ciceronis ad Lentulũ præbere potest, ubi multæ uocales concurrunt: Ego omni officio, ac potius pietate cęteris satisfacio omnibus. Verùm etiã in orationibus hoc fit aliquãdo, ut pro A. Cecinna: Potuisti enim leuiore actione confligere, potuisti ad tuũ ius faciliore & cõmodiore iudicio peruenire: quare aut muta actionẽ, aut noli mihi instare ut iudicem. Sed huius rei sunt exempla plurima cùm in epistolis, tum in orationibus. Verùm cum aliquid accuratius scribimus, omnino uitandus est ille uocalium concursus, quoniam fractam & hiulcam efficit orationem.

Sed erit uidendum de reliquis, cum hæc duo ei liberiora fuerint: circuitus, conglutinatióque uerborum. illa enim ipsa contracta, & minuta, non negligenter tractanda sunt: sed quædam etiam negligentia est diligens.

Quæ hactenus præcepta tradidit de humili genere, ad periodos siue circuitus, & ad conglutinationes uerborum pertinent: ut scilicet periodi contractæ & minutæ sint, numerisque liberæ & solutæ: uerba uerò uerbis coagmentata, non autem artificiose conglutinata. Nunc adiungit, reliqua diligentius esse consideranda: quamuis hæc duo, id est circuitus & conglutinatio uerborum, sint liberiora. Rationem adiungit, quia licet hæc contracta sint &

minuta, negligenter tamen tractari non debent. Sed mirum uideri potest, id quod addit, quandam negligentiam esse diligentem: cum satis constet, negligentiæ diligentiam esse contrariam. Sed ita debet intelligi, ut quamuis in numeris & compositione uerborum simus in hoc genere negligentes, tamen in reliquis diligentiam adhibeamus. Sic enim illa negligentia diligens erit. Quod ut facilius declaretur, similitudinem addit.

Nam ut mulieres esse dicuntur nõnullæ inornatæ, quas idipsum deceat: sic hæc subtilis oratio, etiam incompta delectat. fit enim quiddam in utroq;, quo sit uenustius: sed non ut appareat.

Subtilem hanc orationem mulieri comparat, quæ munda quidem sit & elegans, sed nullum habeat ornamentum. Tales enim plerunq; multo pulchriores & uenustiores apparent: quoniã eas hoc ipsum decet quòd inornatæ sunt. Eadem ratione subtilis oratio, licet exornationibus careat, nihilominus tamẽ delectat. ita fit, ut in utroq;, hoc est, & in muliere, & in oratione, quiddam uenustius sit, quod tamen unde nascatur, non appareat.

Tum remouebitur omnis insignis ornatus, quasi margaritarum, ne calamistri quidem adhibebuntur.

Perstat in similitudine, quo facilius qualis esse debeat hæc oratio, declaret. Inornatæ mulieres neque margaritas gestant, neque calamistris ad crispandos capillos utuntur: ita hæc oratio nullum insignem ornatum habere debet. Margarita Græcum est uocabulum, Latini unionem uocant, eo quòd in conchis nulli duo indiscreti reperiantur. Precio superant omnia margaritæ, quod
9. Cap. 35. ait Plinius: Gignuntur è rore, quem conchæ hiantes acceperint: cæteris præferuntur, qui sunt candore notabiles. qui sunt effigie longa et fastigiata, eos elenchos appellant. unde Iuuenalis de muliere diuite:

Auribus extensis magnos commisit elenchos.

Nam binos ac ternos auribus suspendere, fœminarum gloria est. Erant etiam, quæ socculis margaritas adderent. Plinius fatetur se uidisse Lolium Paulinã, quæ fuit Caij principis matrona, smaragdis margaritisq; opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus digitisq;, quæ summa quadringenties sestertiûm colligebat: hoc est, decies centena millia aureorum nostrorum. Duo fuere maximi uniones per omne æuum. utrunque possedit Cleopatra: sed eorum alterum aceto resolutum quadam in cœna absorbuit, quia cum M. Antonio sponsionem fecerat, una se cœna centies sestertiûm absumpturam. quo facto, uictricem eam L. Plancus iudex sponsionis pronunciauit. Sed ad rem nostram: non uult Cicero margaritarum ornatum, summissæ orationi adhiberi: sed ne calamistros quidem. Sunt autem calamistri, maiores acus, quibus ad crispandos capillos mulieres utuntur: unde calamistratæ mulieres, quæ cirris & cincinnis capillorum ornatæ sunt. &, calamistris inurere dicuntur, qui cum aliquid ornare uelint, potius deformant. Cicero, calamistratum saltatorem Gabinium appellat, eo quòd ornatu muliebri delectaretur: quæ res maximè uirum dedecet. Vnde rectè clamat apud Ouidium Phædra:

Sint procul à nobis iuuenes ut fœmina compti.

Fucati uerò medicamenta candoris, & ruboris, omnia repellentur: elegantia modò & mundicia remanebit.

Adhuc in similitudine perseuerat. plurimæ sunt enim mulieres, quæ uenustatis gratia fuco faciẽ replent, atq; ita candorẽ quendam rubore permixtum præ se ferant. hæc enim res, si naturalis sit, maximam in muliere uenustatẽ habet. unde Virgilius in Lauinia tales fuisse colores ait, his uersibus:

Indum sanguineo ueluti uiolauerit ostro
Si quis ebur, uel mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa, tales uirgo dabat ore colores.

Vocantur autem huiusmodi colores fucati, medicamenta, uel poeticè medicamina. hinc Ouidius satis ingeniosum opusculum de Medicamine faciei conscripsit. Medicamentum autem quo utuntur mulieres ad candorem cōparandum, cerussa dicitur: quo uerò sibi ruborem conciliant, purpurissum uocatur. Sed hos omnes colores repellet casta mulier, & elegantia ac mundicia sua contenta erit: ita etiam oratio subtilis, rhetoricos colores non admittet.

Sermo purus erit, & latinus, dilucidè planeq́ue dicetur: quid deceat, circumspicietur.

Hinc iam ad præcepta transit elocutionis. ac primò tres uirtutes tangit, quæ in omni oratione esse debent: hoc est, ut sit latina, ut sit perspicua, ut sit ad id quod efficere uolumus accommodata. Erit latina, si sermo purus sit, & barbarismi ac solœcismi fœditas absit. erit perspicua, si dilucidè planeq́ue dicetur. erit accommodata, si quid deceat, circumspicietur. Puritas sermonis, ex bonorum auctorum lectione percipitur: perspicuitas, ex ordine rerum & uerborum: cōuenientia, ex decori conseruatione, quod est in personis, in rebus, in uerbis.

Vnum aderit, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus, ornatum illud, suaue & affluens: acutæ crebræq́ue sententiæ ponentur, & nescio unde ex abdito erutæ: atque hoc in oratore dominabitur.

Quarta uirtus orationis est, ut sit ornata. sed ornatus multiplex est, dicendiq́ue generibus alijs alius accommodatur. In subtili oratione debet esse ornatus suauis, et afflues: qui quomodo fiat, multis uerbis exponit ipse Cicero. Atque in primis acutas crebrasq́ue sententias poni iubet, quæ quodammodo ex abdito eruantur. quod pro A. Cecinna diligentissimè seruat. qua in oratione plurimæ sunt & acutæ sententiæ. quales illæ sunt: Conuocari homines propter possessionis controuersiam non oportet, armari multitudinem iuris retinendi causa non conuenit: nec iuri quicquam tam inimicum quàm uis, nec æquitati quicquam tam infestum est quàm conuocati homines & armati. Sed plurimæ (ut dixi) sunt in ea oratione. Et nescio unde.) Acumen enim in sententijs præcipuè laudatur: quæ cum auditæ fuerint, consensum & approbationem audientium mouent. Quis enim non ita proponenti Ciceroni credat: Etenim Recuperatores, non ea sola uis est quæ ad corpus nostrum, uitamq́ue peruenit: sed etiam multo maior est, quæ periculo mortis iniecto, formidine animum perterritum loco sæpe & certo de statu dimouet. & paulo pòst: Quæ uis in bello appellatur, ea in ocio non appellabitur? & quod uehemens in re militari putatur, id leue in iure ciuili iudicabitur? & quod exercitus armatos mouet, id aduocationem togatorum non mouebit? & uultus corporis magis istam uim, quàm terror animi declarabit? & fluctiatio quæretur, cum fugam factam esse constabit? Nemo certè est quin intelligat, quàm suaue sit hoc dicendi genus, quàm affluens, quàm acutum.

Verecundus erit usus oratoriæ quasi supellectilis. Supellex est enim quodammodo nostra, quæ est in ornamentis, alia rerum, alia uerborum.

Quoniam dixerat, huic humili generi conuenire illud ornatum, suaue & affluens: nunc exponit, de quo ornatu intelligat. nam tenuis orator (inquit) parcè ac uerecundè utetur oratoria supellectile: hoc est, non exultabit in exornationibus rhetoricis, sed elegantia & mundicia sua contentus, nunquam sese

sese efferet,sed quasi leni fluet agmine. Hoc igitur loco Cicero supellectilē uocat,omne genus ornamenti quo utuntur oratores. est aūt propriè supellex,omne instrumentum quo in domo utimur, & præcipuè in adornandis conuiuijs,& in culina. Sed generaliter ponitur pro fortunis omnibus. unde curtam supellectilem habere dicitur ille,qui pauper est. sic enim Persius ait:

Tecum habita, ut noris quàm sit tibi curta supellex.

Hac ratione tenuis orator modicam supellectilem habere debet,ne supra fortunas suas conuiuium apparare uelle uideatur. Supellex est enim.) Metaphoram explicat,ut intelligamus quæ sit oratoria supellex. Sunt,ait, rerum & uerborum ornamenta.

Ornatus autem uerborum duplex: unus simplicium,alter collocatorum. simplex probatur in proprijs,usitatisq; uerbis, quòd aut optimè sonat,aut rem maximè explanat: in alienis,aut translatum, aut factum aliunde,aut mutuò,aut factum ab ipso, aut nouum, aut priscum, & inusitatum. Sed etiam inusitata ac prisca sunt in proprijs,nisi quod raró utimur.

Quoniam de oratoria supellectile meminerat,quæ sunt orationis ornamenta: ideo nunc de illis breuiter tractare incipit. ac primò de uerborum ornamentis,deinde etiam de ornamentis rerum. Verborū igitur ornatus aut in simplicibus uerbis est,aut in collocatis. Simplicia,uel propria sunt,uel aliena. Propria sunt illa,quæ in partitionibus ab eodem Cicerone natiua dicuntur,quæ significata sunt sensu. Quot autē modis proprietas dicitur, satis copiose Quintilianus octauo libro declarat. Sed propria uerba tres præcipuè uirtutes habere debent: ut sint usitata, ut optimè sonent, ut rem maximè explanent. Vsitata sunt illa,quæ à bonis auctoribus usurpantur: qua in re maximè diligentes esse oportet,ne quod omnino uerbum in orationem nostram admittamus, quod apud aliquem probatum auctorem non inuenerimus. Nam, ut Cæsar dicere solebat,initium eloquētiæ est uerborum delectus. Ideo præcipiebat idem Cæsar,ut non aliter insolens uerbum fugeremus,quàm scopulū in mari nautæ uitare solent. Hæc igitur prima uirtus propriorū uerborū est,ut sint usitata. Altera est,ut optimè sonent. Sunt enim ex uerbis alia consonātiora,alia minus sonantia. sed orator ea quę magis sonāt,eligere debet,ut superlatiua: Cōspectus uester multo iucundissimus: hic aūt locus ad agendū amplissimus,ad dicendū ornatissimus est uisus. ut pluralia,pro Cornelio Balbo: Si auctoritates patronorū in iudicijs ualerent,ab amplissimis uiris L. Cornelij causa defensa est. ut uerbalia: Dominatrix animi cupiditas,consonātius q̄ domina. ut cōposita: Cōsceleratus,constuprare,pernoscere,excruciari. ut quæ plures habēt syllabas: tempestas consonātius q̄ tempus,moderatio animi quàm modestia,dimicare uel cōfligere quàm pugnare. ut quę longiores habēt syllabas: princeps quàm primus: quanquā,etsi,quàm licet,magis sonāt. Tertia uirtus est,ut rem maximè explanēt. hoc aūt faciunt ea quæ grauiora sunt,ut quę maiorē uim habēt bonitatis: charitas,pietas,grauius quàm amor,aut beneuolentia: clemētia,quàm lenitas: magnificentia,quàm liberalitas. ut quæ magis uitiū exprimūt: latro grauius quàm fur, carnifex quàm sicarius, parricida q̄ homicida, impius quàm improbus,perditus & profligatus quàm malus. quæ uim nocendi maiorē habent: trucidare quàm occidere, exterminare quàm eijcere, excruciare quàm torquere. ut quæ magis prosunt: curare quàm medicari, restituere quàm reducere, sustentare familiam quàm nutrire, grauius est. Hæ, cæteræq; huiusmodi propriorum uerborum uirtutes sunt. Aliena uerba, uel translata sunt, ut ardere pro irasci, uel uehementer cupere: flos ætatis, pro adolescentia: excidere è memoria, pro obliuisci. uel facta sunt aliunde, quæ reperta uocantur in Partitionibus: ut Soliuagas feras dicimus, quæ solæ uagantur:

ita

ita ut a beato beatitas, ab igne ignesco, à paro parabilis, & infinita eius generis. Vel mutuò sumuntur, ut quæ abusiua sunt: sperare pro timere, equum ædificare pro fabricare, parricida pro interfectore fratris uel sororis. uel facta sunt ab ipso oratore: quod nostro tempore fieri non licet, nisi res aliqua nomine careat, cui necesse sit nomen imponere: ut bombarda. Cicero multa fecit, ut qualitatem, moralem, innumerabilitatem, herbescere, syluescere, & sexcenta alia. Messala primus reatum dixit, Hortensius ceruicem in singulari, Terentius obsequium. Vel noua sunt, hoc est nuper inuenta, quibus interdum uti necesse est: ut si missam, aut baptismum dicamus, & cætera plurima quæ sunt in religione nostra. Prisca & inusitata uerba mediam quandam naturam habent, ut neq; planè aliena sint, quia fuerunt olim propria: neq; planè propria, quoniam illis rarò utimur: tamen, ait Cicero, in proprijs sunt. debemus autem ea rarò admittere, quæ iam olim ab usu recesserunt. Quædam tamen sunt prisca, quæ maiestatem quandam adferunt orationi: qualia sunt, soboles, proles, effari, nuncupari, rebar, opinabar, et multa alia. Sallustius hoc uitio notatus est, quòd nimiū esset studiosus antiquitatis, ut ait Quintilianus.

Collocata autem uerba habent ornatum, si aliquid concinnitatis efficiunt, quod uerbis mutatis non maneat, manente sententia.

De simplicibus dixit. nunc transit ad collocata, quorum ornatus est in quadam concinnitate compositionis: quæ, si mutetur ordo uerborum, non remanet, etiam si maneat eadem sententia. Quod ut facilius intelligatur, sciendum est, aliquas esse exornationes uerborum, aliquas sententiarum. Exornationes uerborum tantum in concinnitate quadam consistunt, quę mutatis uerbis statim euanescit. ut, exempli gratia, dixit Terētius: Nam inceptio est amentium, haud amantium. quę exornatio uerborum est, & dicitur Agnominatio. muta uerba hoc modo, Nam inceptio est stultorum, non amantium: perijt illa exornatio, cū tamen sit eadē sententia. Rursus ita inquit Cicero: Triumphauit L. Sylla, triumphauit L. Murēna de Mithridate. est exornatio uerborū, quæ Repetitio dicitur. quod si mutaueris uerba hoc modo, L. Sylla, & L. Murēna de Mithridate triumpharunt: erit eadem sententia, sed exornatio perierit. Hoc est quod ait Cicero.

Nam sententiarum ornamenta quæ permanent, etiā si uerba mutaueris, sunt illa quidem permulta, sed quæ emineant pauciora.

Sententiarū ornamenta, quāuis uerba mutentur, tamē permanent. ut: Illi libertatem ciuiū Romanorum imminutā non tulerunt, uos uitā ereptam negligetis? hęc exornatio sententiarū est, quę dicitur Cōtentiò. muta uerba hoc modo: Maiores uestri nullo modo pati uoluerūt, ut ciuiū Romanorū libertas imminueretur: uos autem non curabitis, etiā si quis eis uitam eripiat? manet eadem exornatio. Huiusmodi exornationes sententiarū, inquit, permultæ sunt, sed paucæ tamen sunt quæ emineant, de quibus infrà dicetur.

Ergo ille tenuis orator, modò sit elegans, nec in faciendis uerbis erit audax, & in transferendis uerecundus & parcus, et in priscis, reliquisq; ornamentis & uerborum & sententiarum demisior.

Cum breuiter exposuerit quę sit oratoria supellex, nunc docet quomodo ea tenuis orator uti debeat. Ac primò uult eum elegantē esse, quòd proprijs uerbis & usitatis assequetur. Verùm tria sunt illis uitāda. Primùm, ut ne sit audax in faciendis uerbis, quæ res aut nimium uilem efficit orationem, ut si quis dicat, Oratorculus bibosus: aut supra modum extollit, ut si quis dicat, Grandiloquentiam. Deinde, ut uerecundè parceq; translationibus utatur. etenim uerecunda debet esse translatio, (ut tertio de Oratore Crassus docet)

ut deducta esse in alienum locum, non irruisse, atq; ut precariò, non ui uenisse uideatur. Sublimi tamen oratori quædam audaciores metaphoræ conceduntur, quæ humili non conueniunt: ut, Religiones mehercule ipsæ, aræq;, cum illam belluam cadere uiderunt, commouisse se uidentur, & ius in illo suum retinuisse. & alibi: Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suæ gloriæ? Tertium est, ut in omnibus ornamentis uideat, ne nimium exultet, sed ubiq; sit demissior: ne absurda gignatur inæqualitas. neq; enim humili oratori conueniret illa conformatio, Saxa & solitudines uoce respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atq; cōsistunt: neq; illa, Vos enim Albani tumuli atq; luci, uos inquam imploro atq; obtestor: & quæ sequuntur, omnia uehementissima. hæc certè summisso oratori non conueniunt.

Translatione fortasse crebrior, qua frequentissimè sermo omnis utitur, non modò urbanorum, sed etiam rusticorum. siquidem est eorum, gemmare uites, sitire agros, lætas esse segetes, luxuriosa frumenta.

Dixerat superius, tenuem oratorem in transferendis uerbis uerecundum & parcum esse debere: nunc autem ait, eum translatione fore crebriorem: quę pugnantia esse uidentur. Sed si quis diligenter aduertat, nulla est repugnantia. Prius enim præceperat, ne esset audax in transferendo, quod sublimes oratores sæpe faciunt: nunc autem docet, ut crebrò ijs translationibus utatur, quibus omnis sermo utitur. Sunt igitur duæ translationis species. altera audax, et longè petita, ut fluctus concionum, tempestas Reip. urbis sentina: quæ tenui oratori non conuenit, cum reliquis dicendi generibus maximè conueniat. altera uerò familiaris, & è proximo ducta: ut ardeo pro cupio, rem teneo pro intelligo, uideo pro cognosco, & infinita huiusmodi: quibus crebro tenuis orator utetur. hæc enim translatio communis est, non tantum urbanis inter se, uerùm etiam rusticis. quod quatuor exemplis probat Cicero. Dicunt enim rustici, Vites gemmare, seu gemmas emittere, cum turgescere incipiũt uerno tempore, ut frondes emittant. dicunt etiam, Agros sitire, quando siccitate laborãt, & pluuia indigent. præterea dicunt, segetes esse lætas, cum optimè uirescunt, & magnam fertilitatis spem afferunt. deniq; dicunt frumenta esse luxuriosa, quando nimis celeriter crescunt, & nimium pinguia sunt.

Nihil horum parum audacter, sed aut simile est illi unde transferas: aut si res suum nullum habet nomen, docendi causa sumptum, non ludendi uidetur.

Duabus maximè de causis translationes uulgo fieri docet, uel propter similitudinem, uel propter necessitatem: sed utrunque fit docendi gratia, non autem ludendi. Simile est illud:

Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

Vt enim animalia pinguefacta luxuriant, ita etiam agri. Necessitas cogit nomina transferre, quando res nullum nomen habet: ut gemmæ dicuntur in uite, quoniam non est aliud nomen impositum.

Hoc ornamento liberius paulo quàm cæteris utetur hic summissus: nec tam licenter tamen, quàm si genere dicendi uteretur amplissimo.

Concessum est, inquit, oratori tenui, ut metaphora frequentius utatur, quàm cæteris dicendi ornamentis: sed tamen aduertere debet, ne in transferendo tanta licentia utatur, quanta uti posset, si in amplissimo dicendi genere uteretur: quoniam multa sublimi oratori conueniunt, quæ summisso non conceduntur.

duntur. ut pro Ligario: Quid enim tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorũ tuorũ? hæc licenter translata sunt, sed causæ grauissimæ plurimũ conueniunt.

Itaque illud indecorum, quod quale sit, ex decoro debet intelligi, hic quoqꝫ apparet: cum uerbum aliquod altius transfertur, idqꝫ in oratione humili ponitur, quod idem in alia deceret.

Sicuti quod decorum est, ubiqꝫ apparet, & laudatur: ita quod est indecorũ, in omni re satis intelligitur & reprehenditur. Cum igitur uerbum aliquod altius translatum in oratione summissa ponitur, indecorum est, quamuis id in alio genere orationis fortasse deceret. ut (exempli gratia) Si Hortensius cum eum accusaret, qui sibi obuiam factus, uestis plicationes & rugas disturbauerat, ita dixisset: Iste inflammatus nocendi cupiditate, toto impetu præceps in me corruit, totamqꝫ uestem meam disturbauit: certè causæ suæ, quæ summissa erat, decorum non seruasset. at si quis uulneratus aut percussus fuisset, ea translatione rectissimè posset uti: quoniam causa grauior esset. Reprehenduntur metaphoræ, quę nimium sunt humiles: ut, saxea est uerruca. & sordidę: ut, persecuisti Reip. uomicas. & deformes: ut, castratam morte Africani remp. Stercus curiæ Glauciam, & quæ nimium longè petitæ uidentur: ut,

Iuppiter hybernas cana niue conspuit alpes.

Quæ etiam in humili dicendi genere uitandæ sunt.

Illam autem concinnitatem, quæ uerborum collocationem illuminat his luminibus, quæ Græci quasi aliquos gestus orationis σχήματα appellant, quod idem uerbum ab his etiam in sententiarũ ornamẽta transfertur, adhibet quidem hic subtilis: quem nisi quod solum, cęteroqui rectè quidam uocant Atticum, sed paulò parcius.

Docuit hactenus, quomodo translatione tenuis orator uti debeat. nunc etiam, quomodo cæteris ornamentis utatur, ostendit. Hic, inquit, subtilis orator, quem nonnulli Atticum rectè uocant: quamuis in eo fallantur, quod solum Atticum putant: adhibet quidem orationi suæ illam concinnitatem, quæ uerborum collocationem illuminat: sed hoc paulo parcius facit, quàm reliqui oratores. Concinnitatem appellat hoc loco Cicero, generaliter omnem exornationem uerborum, siue tropus sit, siue figura. est autem tropus (ut ait Quintilianus) uerbi uel sermonis à propria significatione, in aliam cum uirtute mutatio. Figura uerò est, arte aliqua nouata dicendi forma, quæ à Græcis σχῆμα dicitur: quod uerbum Cicero hoc loco quasi gestum orationis interpretatur. & certè schema significat aliquãdo habitum, ut apud Plautum in Amph. Quod ego huc processi sic cũ seruili schema. Quintilianus ita schema definit, ut sit in sensu, uel in sermone, aliqua à uulgari & simplici specie, cum ratione mutatio. ex qua definitione intelligitur, idem esse penitus schema, quod figuram. Est autem duplex figura: alia uerborum, alia rerum, siue sententiarum. ita Cicero in Bruto: Erant autem & uerborum & sententiarum illa lumina, quæ uocant Græci σχήματα, quibus tanquam insignibus in ornatu distinguebatur omnis oratio. & in Topicis: Ornamenta uerborum sententiarumqꝫ, quæ appellantur σχήματα. quin etiam hoc loco declarat hoc uocabulum σχῆμα, non ad uerba solum pertinere, sed etiam ad sententias, cum ait: Quod idem uerbum ab his etiam in sententiarum ornamenta transfertur.

Nam sic, ut in epularum apparatu, aliquis à magnificentia recedens, non se parcum solum, sed etiam elegantem uideri uolet, eliget quibus utatur. Sunt enim pleræque aptæ, huius ipsius ora-

toris, de quo loquor, parsimoniæ.

Apposita similitudine docet, quomodo tenuis orator ornamentis utatur. nã in eligendis ornamentis (inquit) ita se geret hic orator, quemadmodum solet aliquis paterfamilias, cum amicis suis aut hospitibus conuiuium apparat. neq; enim uti magnificentia regali potest, cum illi non admodum ampla fortuna sit: neq; tamen sordidus, aut auarus uideri uult. quid ergo? erit quidem parcus in sumptu, sed tamen elegans. Sic orator noster, ex oratoria supellectile seliget plerasq; sibi aptas in dicendo parsimonias. A' magnificentia recedens.) Aristoteles Ethicorum libro quarto, docet magnificentiam ad principes tantum, & ad eos qui plurimis opibus abundant, pertinere. itaq; concludit, pauperem nullum posse rectè magnificum appellari. est enim omnis magnificentia in maximis sumptibus faciendis: ut in conuiuijs, in ludis publicis, in ædificationibus, in funeribus & sepulchris, in uestibus, & cæteris eius generis. Parsimonia, uirtus est quodammodo magnificentię opposita, non ut ei contraria sit: neque enim unquam uirtus uirtuti, aut bonum bono contrarium est: sed ei quasi ex altera parte respondet. ut parsimonia sit, quæ sumptus tantum necessarios, & eos etiam modicè facit: quæ uirtus in homine priuato, neque admodum diuite, magnopere laudatur, sicuti in principe magnificentia. Tenuis igitur orator parsimonia utetur, grandis autem & sublimis magnificentia.

Nam illa de quibus antè dixi, huic acuto fugienda sunt, paria paribus relata, & similiter conclusa, eodemq; pacto cadentia, & immutatione literæ quasi quæsitæ uenustates: ne elaborata concinnitas, & quoddam aucupium delectationis, manifestò deprehensum appareat.

Multæ sunt exornationes, quæ tenui oratori non conueniunt: ut illæ de quibus superius meminit, cum de sophistarum oratione uerba faceret. neque enim paria paribus referet acutus orator, ut in Catilinam Cicero: Vino languidi, confecti cibo, sertis redimiti, unguentis obliti. neque similiter concludet, ut illa: Bellum in Africa maximum confecit, uictorem exercitum deportauit. neque eodem pacto cadentia ponet, ut illa: Essent illi quidem desperandi, sed tamen essent ferendi. neque literæ immutatione uenustatem quæret, ut illud ad Atticum: Fuerunt quos magis fames quàm fama commouerit, Hæc res mihi potius oneri quàm honori fuerit: quæ figura dicitur Agnominatio. Has autem exornationes ideo fugiet orator tenuis, ne uideatur eius oratio elaborata, & ne delectationem apertè aucupari uideatur: quæ res illi fidem abrogaret.

Itemq; si quæ uerborum iterationes contentionem aliquam & clamorem requirent, erunt ab hac summissione orationis alienæ: cæteris promiscuè poterit uti.

Verborum iterationes summissioni non conueniunt, præsertim cum aliquã contentionem aut clamorem in dicendo requirunt. Multis autẽ modis uerba iterantur. nam interdũ geminantur amplificandi gratia, ut: Occidi occidi non Sp. Meliũ: & Virg. Ah Corydon Corydon: &, Me me adsum qui feci. interdũ inter geminationem aliquid interponitur, ut 1. in Cat. Viuis, & uiuis nõ ad deponendam, sed ad confirmandam audaciã. aliquando ab ijsdem uerbis (ut ait Quintilianus) plura acriter & instanter incipiunt, ut 1. in Cat. Nihil'ne te nocturnum præsidium palatij, nihil urbis uigiliæ, nihil timor populi, nihil cõsensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora uultusq; mouerunt? aliquãdo ab ijsdem incipiunt, et ijsdem desinũt, ut

ut pro Milone: Quis eos postulauit? Appius. quis produxit? Appius. Multæ sunt etiã aliæ species iterationis, quas numerat Quintilianus, quæ magis temperato & grandi oratori, quàm summisso conueniunt.

Continuatione uerborum modò relaxet, & diuidat.

Summissus orator uerborum continuatione poterit uti, modò relaxet membra periodorum, ne nimium longa uideantur, & distinctione frequenter utatur. quod pro A. Cecinna diligentissimè Cicero seruauit, adeò ut nulla ferè periodus sit, quam non relaxet & diuidat. Nam prima statim exordij periodus, siue continuatio uerborum, ita relaxatur, ut quatuor membra contineat. sic enim ait: Si quantum in agro locisq; desertis audacia potest, tantum in foro atque in iudicijs impudentia ualeret, non minus in causa cederet A. Cecinna Sex. Ebutij impudentiæ, quàm tum in ui facienda cessit audaciæ. Secunda uerò periodus sex cõtinet relaxationes, duas autem diuisiones seu distinctiones, hoc modo: Verùm & illud considerati hominis esse putauit, qua de re iure decertari oporteret, armis non contendere: & hoc constantis, qui cum ui & armis certare noluisset, eum iure iudicioq; superare.

Vtaturq; uerbis quàm usitatissimis, translationibus quàm mollissimis: etiam illa sententiarum lumina assumat, quæ non erunt uehementer illustria.

Summissus orator nũquam debet à uerbis quotidianis discedere, uerùm in eo laborare, ut uerba quibus utitur, q; usitatissima sint. Hoc est quod ad Petũ scribens ait Cicero: Epistolas quotidianis uerbis texere solemus. Præterea translationes quibus tenuis orator utitur, debent esse quàm mollissimę, ne aut maiores sint quàm causa postulat, aut minores. tales sunt illæ: Ebutio sextulam aspergit, hanc sextulam illa mercedem isti esse uoluit assiduitatis, & molestiæ, si quam susceperat: iste autem hac sextula se ansam retinere omnium controuersiarum putat. Hic enim tres metaphoræ sunt, satis molles: aspergere sextulam, suscipere molestiam, retinere ansam. Sed huius generis sunt infinitæ. Poterit etiam hic tenuis orator uti sententiarum exornationibus, illis præcipuè quæ non sunt uehementer illustres. tales sunt comparationes, interrogationes, permissiones, dissimulationes, dubitationes, & aliæ plurimæ, quibus etiam in familiari collocutione frequenter utimur.

Non faciet rempublicã loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit: nec aceruatim multa frequentans, una complexione deuinciet.

Duas hoc loco pulcherrimas exornationes rhetoricas tangit, quas ait summisso oratori nõ esse accõmodatas: hoc est, Prosopopœã, quã Cornificius conformationẽ uocat: & Synathrismũ, quã idẽ frequentationẽ appellat. Prosopopœa dicitur à Quintiliano, fictio personarũ, à qua ait orationẽ mirè uariari & excitari, sed magnã quandã uim eloquentiæ desiderare. Falsa enim (inquit) & incredibilia natura, necesse est aut magis moueãt, quia supra uera sunt: aut pro uanis accipiãt, quia uera nõ sunt. in hoc genere deducere deos, et inferos excitare concessum est. urbes etiã, populiq;, uocẽ accipiunt. Cicero contra Catil. 1. Etenim si mecũ patria, quę mihi uita mea multo est charior, si cuncta Italia, si omnis Resp. sic loquatur, M. Tulli quid agis? & quæ sequũtur. In eadẽ oratione est audacius etiam prosopopœæ genus: Quæ tecũ Catilina sic agit, & quodammodo tacita loquitur, nullum iam aliquot annis facinus extitit nisi per te, &c. In oratione pro Cælio, excitat Appium Cęcũ ab inferis, ut Clodiã adulteram reprehẽdat: Existat igitur, inquit, ex hac ipsa familia aliquis, ac potissimũ Cæcus ille. minimũ enim dolorem capiet, qui istã non uidebit. qui profectò si extiterit, sic aget, & sic loquetur: Mulier quid tibi cũ Cælio? & quæ sequũtur.

Hęc,inquit Cicero,nō faciet summissus orator. Synathrismos,quam(ut dixi) Cornificius frequentationem uocat, Quintilianus congeriem, quam ait amplificationi adscribi posse, aceruus est quidā uerborum & sententiarum idem significantium,ut pro Q.Ligario:Quid enim tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Aliquando fit etiam plurium rerum congeries, ut in Verrem Act.7. Aderat ianitor carceris,carnifex Pretoris,mors terrorq; sociorum, & ciuium Romanorum lictor Sextius. Sed huiusmodi plurimæ sunt apud Ciceronem,quæ in humili genere non adhibentur.

Valentiorum hæc laterū sunt,nec ab hoc quem informamus,aut expectanda, aut postulanda. erit enim ut uoce, sic etiam oratione suppreſsior.Sed pleraq; ex illis conuenient etiā huic tenuitati,quan quam ijsdem ornamentis utetur horridius.talem enim inducimus.

Conformationes et frequentationes grandi potius oratori,quàm tenui con ueniunt.atq; ideo dicit Cicero,ualentiorum esse laterum:hoc est, eorū qui uehementer clamare possunt,qui dicuntur habere latera firma. sicuti contrà dicuntur infirmis esse lateribus,ij qui uocis contentionem ferre non possunt. Illustres igitur exornationes,neq; sunt ab humili oratore expectandæ, neq; postulandæ. Erit enim.) Ratio, cur insignem ornatum refugiat: quia (inquit) genus orationis uoci accommodandum est. Sed tenuis orator uoce suppressa & quotidiana uti debet: ergo etiam oratio debet esse suppreſsior. Quid ergo? dicet aliquis:nullum'ne ornatum admittet humilis orator? imò uerò ferè omnia orationis ornamenta etiā huic tenuitati conuenient, modò paulo horridius tractentur,nec splendescant,ut in aliis generibus solent. talem enim uolumus esse tenuem oratorem.

Accedit actio non tragica,nec scenæ, sed modica iactatione corporis,uultu tamen multa conficiens:nō hoc, quo dicuntur os ducere:sed illo,quo significant ingenuè, quo sensu quidq; pronuncient.

Docuit hactenus, quo genere locutionis et ornatus tenuis orator uti debet: nunc etiam actionem & pronunciationem adiungit. quoniam (ut suprà docuit)magna uis est in actione,sed ea causis est accommodāda. Nam in humili causa,uox grandis & actio tragica non conuenit:neq; ea qua in scena uti solēt histriones,qui gestu et motu corporis multa conficiunt. Verùm summissus orator,modica iactatione corporis utetur, neq; multos gestus habebit. nam in re leui,membrorum agitatio,brachiorum proiectio,pedum supplosio, cæteraq; eius generis,ridicula sunt. Vultus tamen humilem causam plurimū adiuuabit,si modò seuerus,modò blandus,modò quietus, modò iratus appareat, & deniq; rerum naturā imitetur. Neq; enim decet uultū ita mouere, quemadmodum illi qui dicuntur os ducere:id est, indecorè ac turpiter faciē intorquere,quod uitium superius uultuosum appellauit. Ducere uultū dicunt etiā Latini,pro eo quod est cōtemnere, & cōtracta facie aliquid repudiare. ut Martial.

Qui ducis uultus, & non legis ista libenter,
Omnibus inuideas liuide,nemo tibi.

Hoc igitur uitiū uitabit orator,ne os aut uultū ducat:sed ita uultus actioni moderabitur,ut quo sensu quidq; sit accipiendum,ingenuè pronunciet.

Huic generi orationis aspergentur etiam sales, qui in dicēdo mirum quantum ualeāt. quorum duo genera sunt: unum facetiarum, alterum dicacitatis. Vtetur utroq;: sed altero in narrando aliquid uenustè,

uenuſtè,altero in iaciendo mittendoq́ ridiculo. cuius genera plura ſunt:ſed nunc aliud agimus.

In ſummiſſa oratione ioci ac ſales maximè conueniunt,propterea quòd nō magni momenti res tractantur, & nulla rei grauitas adimit iocandi facultatē. quippe leue eſt(ut ait Cæſar)totum hoc riſum mouere: ſed tamen in dicendo plurimum facetiæ ualent. idcirco ſępe oratores riſum mouere ſtudent,idq́ ſex potiſsimum de cauſis facere ſolent. Primò, quia ipſa hilaritas beneuolentiam conciliat ei per quem concitata eſt:deinde,quia omnes admirantur acumē facete reſpondentis,uel laceſcentis: tertiò, quia riſus ſæpe frangit aduerſarium, & refutat:quartò,quia oratorem politum eſſe hominem, & eruditum & urbanum declarat:quintò, quia triſtitiā & ſeueritatem mitigat atq; relaxat: ſextò, quia ſæpe odioſas res,quas argumentis dilui nō facile eſt,ioco riſuq́ diſſoluit. Hæc ferè Cæſar ſecūdo de Oratore:quibus intelligi poteſt, cur hoc in loco Cicero dixerit, mirum eſſe quantū in dicendo ſales ualeant. Sunt aūt duo genera facetiarum:alterū æquabiliter in omni ſermone fuſum,alterū peracutum et breue.illa à ueteribus ſuperior cauillatio,hęc altera dicacitas nominata eſt.Eſt igitur cauillatio,qua utimur in narrādo aliquid uenuſtè: qualis Demoſthenis fuit narratio,de umbra aſini: qualis eſt Ciceronis pro Murena, de formulis iuriſconſultorum: & alibi in eadē oratione,de Stoicorū decretis. Sed uenuſtiſsima narratio pro Cluentio,de Cepaſiorum defenſione,ex eo loco: Incipit longo et altè petito procemio reſpondere maior Cepaſius. qua in narratione pars illa faceti ſsima eſt,cū ait:Itaq; cum callidiſsimè ſe dicere putaret, & cū illa uerba grauiſsima ex intimo artificio deprompſiſſet,Reſpicite iudices hominū fortunas,reſpicite dubios uarioſq́ caſus,reſpicite C.Fabricij ſenectutē:cum hoc Reſpicite ornandę orationis cauſa ſępe dixiſſet,reſpexit ipſe,at C.Fabricius à ſubſellijs demiſſo capite diſceſſerat. Hic iudices ridere,ſtomachari,atq; acerbè ferre: patronus cauſam ſibi eripi,& ſe cætera de illo loco,Reſpicite iudices,nō poſſe dicere.& cætera: Sed hoc genere facetiarū in narrando frequenter utitur Cicero. Alterum genus ualet in iaciendo,mittendoq́ ridiculo, & dicacitas appellatur.ut Catulus,cū ei Philippus dixiſſet,Quid latras? reſpondit,Furem uideo.& Cicero cum uidiſſet quendam,qui coqui filius putabatur,candidatum eſſe,& prehenſare,clamauit:Ego quoq; tibi faucbo. Cum C. Popilius iuriſconſultus indoctus,in quadam cauſa teſtis citatus fuiſſet, & reſpondiſſet ſe nihil ſcire: dixit Cicero, putas fortaſſe tę de iure interrogari? Sed huius generis ridiculi multa ſunt genera, quæ ſecundo de Oratore Cæſar diligenter perſequitur. Quintilianus etiam libro ſexto multa de riſu tradit, & oſtendit eum oratori frequentiſsimè neceſſarium eſſe. Hoc autem in loco Cicero non perſequitur genera ridiculorum, quoniam non præcepta dat, ſed tantum docet quid in oratore perfecto eſſe debeat.

Illud admonemus tamen, ridiculo ſic uſurum oratorem, ut nec nimis frequenti,ne ſcurrile ſit: nec ſubobſcœno, ne inimicum: nec petulanti,ne improbum: nec in calamitatem, ne inhumanum: nec in facinus,ne odij locum riſus occupet:neq; aut ſua perſona, aut iudicum,aut tempore alienum.

Quia facetijs tanquam ſale perſpergi debet oratio,ideo diligēter ut in cibis, ſic in oratione uidendum,quando ſale uti opus eſt,& quando non. Hac de cauſa Cicero hoc in loco ſex adhibet cautiones,ut ne orator in uitiū incidat, cum adhibere facetias uoluerit. Prima cautio eſt, ne nimis frequenti ridiculo utatur:quoniam hoc potius ad ſcurras & moriones, qui nihil aliud quàm riſum concitare ſtudent,quàm ad oratorem pertinet. hoc uitio Cato Ciceronē notauit in oratione pro Murena.cum enim ita Cicero iocaretur in iuriſcōſultos, &

in Stoicos, ut omnes iudices risu diffluerent, Cato ridens exclamauit: Dij boni, quàm ridiculum Consulem habemus. Hoc uitio Cęsar secundo de Oratore Graniũ & Vargulam notat. notat etiam Appiũ, quòd nonnunq; in hoc uitiũ scurrile delaberetur. ut cum C. Sextio Lusco dixit: Cœnabo apud te, uni enim locum uideo. Secunda est, ne subobscœno ridiculo unquã orator utatur. nam obscœnitas non solũ non est foro digna, sed uix conuiuio liberorũ. Obscœnis uerbis uti, mimorum ethologorũ propriũ est, qui hominum moribus imitandis risum captant. Fuit illud mimicũ & obscœnũ, quod in Clodium iecit Cicero: qui cũ quereretur quòd soror sua Clodia, quæ tantũ haberet consularis loci, unũ solum sibi pedẽ daret: Imò uerò (inquit Cicero) licet etiã alterũ tollas. dicebatur enim Clodius cũ sorore rem habere. Fuit & illud mimicũ, quod in triumpho Cæsaris milites canebant: Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias: Nicomedes non triũphat, qui subegit Cæsarẽ. hæc obscœna sunt oratori uitanda. Tertia cautio est, ne petulãs ridiculum sit. hoc enim improbi est hominis: oratorem aũt bonum uirum fingimus. Petulans autem dicitur, quod in aliquẽ acriter & contumeliose sine causa dicitur. ut Vargula, cum A. Sempronius cum Marco suo fratre candidatus eum cõplecteretur, & ab eo suffragium peteret: Puer (inquit) abige muscas. Quarta est, ne in calamitatẽ & miseros homines dicatur: hoc enim inhumanum est, & crudele. Quapropter rectè præcipitur ab Isocrate, ne miseros irrideamus, est enim cõmunis fortuna: et quod malum alteri accidit, etiam nobis accidere potest. Quinta est, ne in scelus ridiculo utatur orator: quoniam scelus non risu, sed odio dignum est. facinorosos enim (ut ait secundo de Oratore) maiore quadam ui, quàm ridiculi, uulnerari uolunt. non igitur risu, aut ioco, sed atrocitate orationis in sceleratos utendum est. Sexta cautio est, ut & suæ personæ, & iudicum, & temporis decorum seruet. neq; enim omnibus personis aut temporibus omnia conueniũt: sæpeq; fit, ut nisi quis diligenter caueat, cum uti ridiculo uult, aliquid proferat, quod aut à persona sua sit alienum, aut iudices offendat, aut deniq; sit importunum & intempestiuum: quæ non modò risum non commouent, sed etiam oratori dedecoris aliquid afferre solent.

Hæc enim ad illud indecorum referuntur. Vitabit etiam quæsita, nec ex tempore ficta, sed domo allata, quæ plerunque sunt frigida, parcet & amicitijs & dignitatibus: uitabit insanabiles contumelias.

Sex illæ cautiones de quibus suprà diximus, ad decori conseruationem pertinent. quoties enim eas non adhibet, indecorè se gerit orator. Nunc etiam alia quædam præcepta adiungit, quæ ad usum ridiculorum attinent. Ac primò iubet ea uitari, quæ excogitata & domo allata uidentur: non autem ex tempore ficta, quoniam plerunq; solent esse frigida. nisi fortè tota narratio iocosa sit: tunc enim etiam quæsita delectat. Omnino probabiliora sunt quæ lacessiti dicimus, ut secundo de Oratore tradit Antonius, quàm quæ priores. nam & ingenij celeritas maior est quæ apparet in respondendo, & humanitatis est responsio. uidemur enim quieturi fuisse, nisi essemus lacessiti. Deinde semper amicitijs parcere debet orator, ne temerè in eos dicat qui diliguntur. sæpe enim propter ridiculum aliquod firmissimæ amicitiæ dissoluuntur. itaque imprudentis est, potius amicum perdere uelle, quàm dictum. Præterea debet etiam hominum dignitatibus parcere, ne in eos dicat qui plurimum auctoritate præstant, aut qui potentia ualent. neque enim huiusmodi uiros aut decet, aut tutum est irritare. Denique contumelias insanabiles uitare debet, ne dum risum captat, in graues inimicitias & periculosas incidat. Magna igitur adhibenda est in iocando moderatio, ut & hilaritatem auditoribus afferamus, & neminem tamen eorum quos nolumus, offendamus.

Tantum-

Tantummodo aduersarios figet, nec eos tamen semper, nec omnes, nec omni modo: quibus exceptis, sic utetur sale & facetijs, ut ego ex istis nouis Atticis talem cognouerim neminem: cum id certè sit uel maximè Atticum.

Duæ sunt præcipuè causæ, propter quas orator facetijs uti debet. Prima est, ut iudices exhilaret, atque hoc sibi modo eos conciliet: altera, ut aduersarijs fidē adimat. itaque neminē præter aduersarios dictorum aculeis figere debet. Sed in eis etiam irridendis, tria cauere debet. Primò, ut ne semper id faciat, quoniam hoc omnino scurrile est: & plerunque causæ sunt eiusmodi, ut iocandi facultatē adimant: quin in una atque eadē causa alibi licet aduersarium irridere, alibi uerò opus est grauiter insectari. ut pro Quintio Cicero modò irridet aduersarium Sex. Neuiū, ut ibi: Homo timidus uirginali uerecūdia subitò ipse te retinebas, excidebat repentè oratio. & ibi: Memini, uerus est de scurra, multo facilius diuitē quàm patrē familiàs fieri posse. rursus ibi: O' hominē fortunatū, qui eiusmodi nūcios, seu potius pegasos habeat. alibi uerò multis in locis grauiter insectaē, ut ibi: Respirasset cupiditas atque auaritia paululū, aliquid loci rationi et consilio dedisset. & quæ sequuntur. Deinde cauendum est, ne omnes aduersarios irrideamus. sunt enim aliqui magna dignitate prędīti, quibus parcendū est, & quos potius laudare quàm irridere opus est. ut in eadē oratione Cicero, nunquam Hortensiū aduersarium irridet, sed multis in locis uehementer laudat. & pro lege Man. Q. Catulum aduersariū diuinis propè laudibus exornat. Postremò non omni modo, quo potest, orator figere debet aduersarios. Sunt enim aliqua dissimulāda, licet ridicula sint. sed hoc difficile est. aiunt enim Enniū dicere, Flammā à sapiente facilius ore in ardente opprimi, quàm bona dicta teneat. hæc scilicet bona dicta, quæ falsa sint: nam ea dicta appellantur proprio iam nomine. Iudiciū igitur adhibebit orator, ut his exceptis, sale & facetijs utatur, eo modo quo ueteres Attici solebant, quorum sales maximè celebrantur. iterum autem hoc loco Cicero eos insectatur, qui cum humile & abiectum dicendi genus sequerentur, se uerè Atticos putabant: Ego, inquit, hactenus neminē ex istis nouis oratoribus nostris, qui se putant Atticos, cognoui, qui sale et facetijs uti sciat, cum tamen hoc Atticorū sit maximè proprium.

Hanc ego iudico formā summissi oratoris, sed magni tamē et germani Attici. quoniā quicquid est salsum aut salubre in oratione, id propriū Atticorū est: è quibus tamē non omnes faceti: Lysias satis, & Hyperides, Demades præter cæteros fertur. Demosthenes minus habetur, quo quidē mihi nihil uidetur urbanius: sed nō tā dicax fuit, quàm facetus. est autē illud acrioris ingenij, hoc maioris artis.

Concludit hanc partē. declarauit enim, qualis summissus orator esse debeat. tamē hunc quē descripsit, ait, si talis sit, fore magnū oratorē, & germanū Atticum. atque huius rei rationē adfert: Quoniā quicquid est in oratione laudabile, aut acutū, id totū ad Atticos referendū sit: quorū propriū est, & politissimè dicere, & acutè salibus uti: licet eorū non omnes faceti sint. Salsum aut salubre.) Primū ad orationis suauitatē et acumen, secundū ad prudentiā & uehementiā spectat. Salsum enim in oratiōe dicitur, quicquid suaue est, et acutè cōclusum: salubre aūt, qđ prudēter excogitatū est, & uehemēter causam adiuuat. hoc aūt sine illo potest esse, quoniā nō omnes oratores faceti sunt: illud aūt sine hoc nō potest oratoriū uideri. neque enim facetię quicque oratori ꝓsunt, nisi ubique dictionis salubritas, et quasi sanitas orationis appareat. Tres aūt oratores Gręcos ex eorū numero qui faceti fuerunt, cōmemorat: Lysiā, Hyperidē, & Demadē. de Lysia suprà iā dictū est. Hyperides uerò fuit Atheniēsis orator egregius, adeò

ut etiam Demostheni præponeretur, propter maximum dicendi acumen. stu diose Platonem audiuit, ut scribit Plutarchus, fuitq; Demosthenis amicus, & consiliorum in Rep. particeps. donec tandem post Alexādri Magni mortem, Antipatri iussu captus, & execta lingua interfectus fuit. Plutarchus ait, quinquaginta duas orationes eius legitimas existimatas fuisse, quāuis sub eius nomine septē & septuaginta circūferrentur. è quibus illa admirabilis putabatur, quā habuit pro Phryne meretrice. quo in iudicio cū uideret, fore ut Phryne impietatis condēnaretur, eàm in conspectū iudicū produxit, et diloricatis eius uestibus pectus & māmillas mulieris pulcherrimas ipsis iudicibus ostendēs, rogabat ut eam absoluerent. quod etiā facilè impetrauit. de qua re sic ait Quintilianus: Et Phrynē non Hyperidis actione, quanquā admirabili, sed conspectu corporis, quod illa speciosissimum alioqui diducta nudauerat tunica, putant periculo liberatā. Fuit hic orator, teste Quintiliano, dulcis in primis, et acutus.

Lib. 2. cap. 15. *Lib. 10. cap. 1.*

Demades primò nauta fuit, & piscator, ut Lucianus censet: deinde rhetor factus, tantam in dicendo gloriā acquisiuit, ut ab omnibus Demostheni præponeretur. Valebat aūt non doctrina, sed ingenio & naturali quadā facultate. nā ex tempore semper ferè dicebat. Cicero in Bruto, nihil eū scripsisse auctor est. Theophrastus interrogatus aliquādo, qualis sibi orator Demosthenes uideretur: respōdit, Dignū ciuitate Athenarū sibi uideri. rursus interrogatus, qualis Demades: respondit, Supra Athenas. Tempore Alexādri Magni fuit inimicus Demosthenis, & Macedonibus amicus, à quibus etiā ingentes pecunias accepit, quas omnes per luxū perdidit. unde solebat Antipater eū irridere, dicens eum similē esse uictimis cęsis, quibus pręter linguā nihil superesset. tandē cū proditionis accusatus fuisset, Cassander in eius cōplexu filiū trucidauit, deinde ipsum necari iussit. auctor Plutarchus in uita Demosthenis: qui etiā ut patriæ proditorē, hunc Demadē insectatur. Cicero uult eū præter cæteros oratores facetū fuisse. Demosthenes enim non admodū facetus unquam fuit existimatus: quāuis Cicero cum huic oratori summa omnia tribuat, uult eum etiam hac in re præstitisse. Et certè nōnulla acutè dicta Demosthenis feruntur, ut illud in Demadē. cū enim ille dixisset, Demosthenes me corrigere uult, sus Mineruā: statim subiūxit Demosthenes, Atqui ista Minerua nuper in adulterio deprehēsa est. & cū Pytheas dixisset, eius orationes lucernā olere: Scio, inquit Demosthenes, nos tibi molestos esse, qui noctu lucernā accendimus. illum enim tanquā furem notauit, quibus lucernæ sunt odiosæ. Sed tam dicax fuit, quàm facetus. dicaces enim sunt, qui acuti sunt in dicendo, & acriter aduersarios figunt: faceti uerò, qui cum suauitate quadam orationis risum mouent. Verùm dicacitas ingenium acrius postulat, quod celeriter & ex tempore posit aduersarium mordere: facetiæ autem, maius & uberius ingeniū & artem requirunt. Itaq; cōcludere uult Cicero, maiorem esse Demosthenis laudē, quòd facetus fuerit, quàm si dicax fuisset. præstat enim magni esse, quàm acris ingenij.

Vberius est aliud, aliquātoq; robustius quàm hoc humile, de quo dictū est: summissius aūt, quàm illud de quo iam dicetur amplissimū.

Hinc iam trāsit ad illud ęquabile & temperatū orationis genus, quod in scribendo reliquis lōgè cōmunius uidetur. pauci enim illud sublime persequi possunt, uel potius assequi, quod uel in Tragœdijs spectat, uel in Heroicis poetis, uel in publicis aliquibus orationib. neq; ita multi tenuitatē illā & acumen summissi oratoris, de quo dictū est, inuestigant: quo fit, ut maior pars scribentiū in hoc mediocri genere uersetur, quo etiam diligentius considerandum erit. Primò igitur descriptione ostendit, quale sit hoc genus: deinde, quo modo fiat. Est autem, inquit, copiosius & maioris roboris, quàm sit illud humile de quo diximus. Veruntamen si comparetur ad illud amplissimum, quod mox explicabitur, summissum quodammodo esse uidebitur. itaque mediam quandam

secat

secat uiam. In hoc genere conscripsit Cicero libros de Officijs, Tusculanas quæstiones, & omnia Philosophica opera, nonnullasq; orationes. Virgilius hoc in genere Georgica conscripsit: atque omnes ferè historici mediocre hoc dicendi genus sequuntur. quamuis aliqui fuerint, qui Liuio sublime genus tribuant: sed omnino falluntur. Licet enim aliquando, cum opus est, insurgat, generaliter tamen ab æquabili dictione non recedit: sicuti etiam Sallustius. Cæsar paulo est humilior.

Hoc in genere neruorum uel minimum, suauitatis aũt est uel plurimum. est enim plenius, quàm hoc enucleatũ: quàm aũt illud ornatum, copiosumq;, summissius. huic omnia dicendi ornamenta conueniunt, plurimumq; est in hac orationis forma suauitatis.

In mediocri orationis genere dominabantur sophistæ, de quibus suprà dictum est. neq; enim uis, aut orationis uehementia, sed iucunditas & suauitas hoc in genere quæritur, quam unam sibi sophistæ proponebant. Sunt igitur mediocres oratores, parum quidem uehementes, sed dulces tamen: quoniam non eam ieiunitatem sequuntur, quam ij qui enucleati uideri uolunt, sed paulo pleniores sunt: neq; rursus neruos & uires illius ornati & copiosi generis, sed paulo demissiores esse uolunt. ideo fit, ut omnia dicendi ornamenta huic generi conueniant: quoniam suauitatis, qui in eo uersantur, præcipuam curam habent. Nihil est autem quod suauiorem efficiat orationem, quàm uerborum & sententiarum ornamenta. quod apud Isocratem uidere licet, qui totus in hoc genere uersatur.

In qua multi floruerunt apud Græcos, sed Phalereus Demetrius meo iudicio præstitit cæteris: cuius oratio cùm sedatè placideq; loquitur, tum illustrant eam quasi stellæ quædam, translata uerba atque immutata.

In hoc genere mediocri multi apud Græcos excelluerunt, sed Demetrium Phalereum Cicero reliquis omnibus anteponit. de quo etiam in procemio librorum de Officijs meminit, cum ita ait: Et id quidem nemini Græcorum ui deo adhuc contigisse, ut idẽ utroq; in genere laboraret, sequereturq; et illud forense dicendi, & hoc quietũ disputandi genus: nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parũ uehemens, dulcis tamen, ut Theophrasti discipulũ possis agnoscere. In secundo de Oratore, hunc politissimũ scriptorẽ appellat. in Bruto: Phalereus, inquit, successit eis, senibus adolescens, eruditissimus ille quidẽ horum omniũ, sed non tam armis institutus quàm palæstra. itaq; delectabat magis Athenienses, q̃ inflãmabat. hic decem annos Cassandri permissu Rempublicã Atheniensium administrauit, nulla unquã ciuitas maiores cuiquam honores tribuit. trecentæ æneæ statuæ, atq; earum equestres plurimæ, illi ab Atheniensibus erectæ dicuntur. ciuitatem uectigalibus & ædificijs magnificè dicitur auxisse. Cum autem uideret Athenienses ad Demetrium Antigoni filium deficere uelle, cum hoste egit, ut sibi cum amicis & domesticis Thebas proficisci liceret: quod cum facilè impetrasset, Athenienses omnes eius statuas euerterunt, præter unam quæ in arce fuit. at ille hoc audito, dixisse fertur: Certè uirtutem Athenienses euertere nõ potuerunt. postea in Aegyptũ profectus ad Ptolemæum Soterem, libenter ab eo susceptus est, atque ibi diu uixit, donec aspidis morsu ictus interijt. Solebat autem frequenter Ptolemæum adhortari, ut libros de imperio gerendo legeret: quoniam ea de quibus amici non audent reges admonere, in libris scripta legantur. Idem, tantum in pace dicebat eloquentiã posse, quantum in bello gladium. Oratio eius erat (inquit Cicero) sedata, placidaq;, quã uerba translata atque immutata non aliter atque stellæ quædam illustrabant. Sicut enim

Sabel. 7. En. 4.

in

in cœlo stellæ promicant, & toti mundo uenustatem mirificam afferunt: ita in oratione figuræ splendent, & totam dictionem illuminant.

Translata ea dico, ut sæpe iam, quæ per similitudinem ab alia re aut suauitatis, aut inopiæ causa transferuntur: mutata, in quibus pro uerbo proprio subijcitur aliud, quod idem significet, sumptum ex aliqua re consequenti.

Quia dixerat, uerba translata & immutata tanquam stellas quasdam orationem illustrare: nunc declarat, quæ differentia sit inter translata & mutata uerba. Translata, inquit, ea sunt, quæ similitudine quadã ab alia re ducuntur. idq; duabus potissimum de causis fit: uel propter suauitatem, uel propter inopiã. Suauitas sentitur uel in uerbo, quod significantius sit: ut incensus ira, inflammatus cupiditate, lapsus errore: uel in uerbo quod sit decentius, ut lumen orationis, claritas generis, concionum procellæ, flumen eloquentiæ. Inopia, cum nullum proprium nomen habemus, cogit nos aliunde transferre: ut durũ hominem dicimus, & fructus laborare, & agros sitire. Quoties aũt nihil horum in translatione erit, semper erit improprium. Mutata uerba dicũtur, in quibus pro uerbo proprio ponitur aliud, quod idem significet: ut arma pro bellis, Bacchus pro uino, Ceres pro frugibus. sic Terentius, Sine Cerere & Baccho friget Venus: & Virgilius, Arma uirumq; cano. Cicero pro Fonteio, Isti immani atq; intolerandæ Barbariæ resistamus: pro barbaris hominibus. ita dicimus totam Italiam esse commotam, pro omnibus Italis Italiam ponentes.

Quod quanquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit, cum dixit Ennius, Arcem & urbem orbas: alio modo, si pro patria arcem dixisset. et horridam Africam terribili tremere tumultu cum dicit, pro Afris immutat Africam.

Ostendit quæ differentia sit inter translationẽ & mutationem, quoniam ferè similes esse uidentur. neq; enim mutatio fieri potest, quin uocabulũ transferatur. Tamẽ est aliqua differentia, quod Ennij uerbis probatur. dixit enim Ennius, Arcem & urbem orbas: hæc sanè metaphora siue translatio est, quia orbare propriè est oculis priuare. deinde transfertur ad omnia quæ cara sunt: ut orbare filijs, orbare ciuibus urbem. quod si quis pro patria arcem ponat, iam non erit translatio, sed mutatio uocabuli. Et horridam Africam.) Versum illum Ennij designat, quẽ tertio de Oratore posuit Crassus. sic enim Ennius:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

Hæc (inquit Cicero) mutatio est, quoniam pro Afris immutat Africam. hanc figuram Cornificius ad Herennium lib. 4. denominationẽ uocat, & eam multis modis fieri docet. uel enim ab inuentore res denominatur, ut Liber pro uino, Ceres pro frumento: uel ab instrumẽto, ut arma pro bello, Sarissæ pro Macedonibus: uel à præside, ut Mars pro bello: uel ab effectu, ut pallida mors, quòd pallidos reddat: & turpis egestas, quòd turpes efficiat. uel ab eo quod continet, ut Græcia pro Græcis, Italia pro Italis, &c.

Hanc hypallagẽ rhetores, quia quasi submutantur uerba pro uerbis: metonymiam grammatici uocant, quòd nomina transferũtur.

Quoniã aliter à rhetoribus, aliter à grammaticis hęc figura uocatur, utriusq; nominis rationẽ adfert. Rhetores (inquit) hypallagen uocant, quia uerba pro uerbis quasi submutantur. Græcum enim hoc uocabulum est ὑπαλλαγὴ, quæ latinè submutatio dici potest, à uerbo ὑπαλλάττω, submuto. grammatici uerò metonymiam uocant, quòd nomina transferuntur. Quintilianus μετωνυμίαν, nominis pro nomine positionem interpretatur: ut, Receptus terra Neptunus classes aquilonibus arcet. Neptunum pro mari posuit.

Aristoteles

Ariſtoteles autem tranſlationi hæc ipſa ſubiungit, & abuſionem, quam κατάχρησιν uocant: ut cum minutum dicimus animum pro paruo, & abutimur uerbis propinquis, ſi opus eſt, uel quòd delectat, uel quòd licet.

Ariſtoteles multas figuras tranſlationi ſubijcit, ut hypallagen, catachreſin, allegoriam: uerùm alij diſtingunt. De hypallage iam dictum eſt. Catachreſis Latinè abuſio dicitur, interdum neceſſaria, ſicuti ait Quintilianus: quoniam non habentibus ſuum nomen, accommodat quod in proximo eſt. ut, Equum diuina Palladis arte Aedificant. Craſſus tertio de Oratore tradit, abuſionem non tam elegantem eſſe, quàm tranſlationem: Sed, inquit, etiam licentius abutimur, tamen interdum non impudenter: ut cum grandem orationem pro magna, minutum animum pro paruo dicimus. hoc autem loco Cicero docet, uel delectationis uel licentiæ gratia poſſe nos abuſione uerborum uti.

Iam cum fluxerunt cõtinuæ plures translationes, alia planè fit oratio. itaq; genus hoc Græci appellant ἀλληγορίαν, nomine rectè, genere melius ille qui iſta omnia translationes uocat.

Allegoriam Quintilianus inuerſionem interpretatur, Cornificius permutationem uocat. ea fit, quoties plures translationes cõtinuę fluxerunt, ut alia planè fiat oratio, quæ aliud uerbis, aliud ſentẽtia demonſtret. ut, Si canes funguntur officio luporum, cui nam præſidio pecuaria credemus? tale eſt illud Terentij: Sceleſta ouem lupo commiſiſti. eſt autem huius figuræ frequens uſus & apud poetas & apud oratores, & in uulgari etiã & quotidiano ſermone. apud poetas, ut Horatius totam unam Odam per allegoriam ſcripſit:

O nauis, referent in mare te noui
Fluctus, ô quid agis: fortiter occupa Portum.—

Vbi nauim pro republica, fluctuum tempeſtates pro bellis ciuilibus, portum pro pace atq; concordia dicit. Tale eſt illud Virgilij in Georgicis:

Sed nos immenſum ſpacijs confecimus æquor,
Et iam tempus equûm ſpumantia ſoluere colla.

Apud oratores etiam allegoria reperitur. ut pro Roſcio Am. Te pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum facit: multos cæſos, non ad Thraſymenum lacum, ſed ad Seruilium uidimus. quis ibi non eſt uulneratus ferro Phrygio? Sed illa ſpecioſiſsima eſt allegoria, quæ permiſta eſt cũ ſimilitudine, & tranſlatione, ut pro Murena: Quod fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam uarias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes & quantos æſtus habet ratio comitiorum? In uulgari ſermone frequenter utimur allegoria: ſiquidem omnia ferè uulgata prouerbia, per allegoriam enunciantur. ut, Similes habent labra lactucas, Aſinus ſtramenta mauult quàm aurum, Aquila non cupit muſcas, Luſciniæ non deeſt cantus, & huius generis ſexcenta: quibus aliud dicitur, aliud intelligitur. Theologi uerò dicunt omnes ferè ſacros libros per allegoriam conſcriptos fuiſſe, ne diuina myſteria cuiuis euulgarentur. Hanc figuram Ariſtoteles Rhetoricorum libro tertio ſub translatione comprehendit: quoniam reuera nihil aliud eſt allegoria, quàm continuata translatio. atque ideo ſententiam Ariſtotelis approbat Cicero.

Hæc frequentat Phalereus maximè, ſuntq; dulciſsima. & quanquam translatio eſt apud eum multa, tamen immutationes nuſquam crebriores.

Reuertitur ad exemplum Demetrij Phalerei, quem in hoc mediocri genere cæteris præſtitiſſe ſuprà dixit, eumq; frequenter his figuris uti ait, præcipueq;

uerborum immutationibus, quos Græci tropos uocant. Sunt autem multi tropi. nam inter eos etiam Trāslatio numeratur, ut imperij splendor: & Abusio, ut grandis oratio: & Synecdoche, ut Romanus prælio uictor: & Hypallage, ut uario Marte pugnatum: & Antonomasia, ut eloquentiæ parens: & Onomatopœa, ut Lentulitas, Appietas: & Allegoria, ut Chœnici ne insideas: et Ironia, ut Verres homo sanctus & diligens: et Periphrasis, ut Troiani belli scriptor: & Hyperbole, ut ocyor Euro. hæ, & si quæ sunt aliæ huius generis, mutationes uocantur.

In idem genus orationis (loquor enim de illa modica ac temperata) uerborum cadunt lumina omnia, multa etiam sententiarum: latæ eruditæq; disputationes ab eodem explicantur, et loci communes sine contentione dicuntur.

Cum duo sint exornationum genera, hoc est uerborum & sententiarum, mediocris orator uerborum exornationes omnes persequetur, quæ miram efficiūt in dicendo suauitatem. Sunt autem huius generis plurimæ, ut repetitio, conuersio, complexio, traductio, contentio, exclamatio, interrogatio, ratiocinatio, contrarium membrum, articulus, continuatio, compar, similiter cadēs, similiter desinēs, annominatio, subiectio, gradatio, transitio, correctio, occupatio, disiunctio, adiunctio, cōiunctio, conduplicatio, interpretatio, cōmutatio, permissio, dubitatio, expeditio, dissolutio, præcisio: prȩterea decē tropi, de quibus suprà. has omnes, & si quæ sunt aliæ, temperatus orator diligenter persequetur: neq; tantum uerborum exornationes, sed etiam sententiarum multas amplectetur: ut distributionem, descriptionem, frequentationem, sermocinationem, contentionem, & reliquas eius generis. Tractat etiam hic orator mediocris latas atq; eruditas disputationes, ut de pace, de bello, de legum latione, de administratione Reipublicæ: & locos communes, hoc est theses, & infinitas quæstiones. Sed hæc sine magna contentione facit.

Quid multa? è philosophorum scholis tales ferè euadunt: & nisi coràm erit comparatus ille, fortior per se hic quē dico probabitur.

Mediocrium oratorum locutio magnam habet cum philosophorum oratione similitudinem, de qua suprà dictum est. ideo qui more philosophorum in contrarias partes sese exercere solent in scholis, mediocres euadunt oratores: qui certè magni uidentur, nisi cum illis amplissimis comparentur. Hoc enim efficit comparatio, ut quæ maiora & meliora sunt, statim appareant: & ex collatione certissimum iudicium nascitur. unde prouerbio dicitur, Purpura iuxta purpuram dijudicanda est. ut si quis T. Liuium cum Cicerone comparet, uelut infans uidebitur Liuius, cum tamen per se disertissimus sit: ita mediocris orator per se probabitur, & magnus habebitur: sed si cum sublimi conferatur, iam penè infimus esse uidebitur.

Est quoddam etiam insigne & florens orationis pictum & expolitum genus, in quo omnes uerborum, omnes sententiarum illigantur lepôres. hoc totum è sophistarum fontibus defluxit in forum: sed spretum à subtilibus, repulsum à grauibus, in ea de qua loquor mediocritate consedit.

Ostendit genus illud dicendi, quo Isocrates & reliqui sophistæ, eorumq; discipuli qui causas tractarunt, usi sunt, ad hoc mediocre pertinere. quamuis aliqui uoluerint hoc esse quartum genus, quod ἀνθηρὸν καὶ γλαφυρὸν, hoc est floridum & pictum appellarunt. Cicero quatuor epithetis hoc genus exornat. uocat enim insigne, propter sententias, quibus ubiq; scatet: & florens, propter

uarietatem & rerum & uerborum: & pictum, propter colores & fictiones rhetoricas: & deniqꝫ expolitum, propter orationis cuiusqꝫ generis lumina. In hoc genere illigantur omnes lepores & uenustates, quæ uel in uerbis esse possunt, uel in rebus. totum enim ferè ad ostentationem comparatur. Ac primò (inquit) à sophistis repertum est, deinde ab eorum fontibus & disciplinis in forū uenit. sed subtiles oratores illud omnino spreuerunt, graues etiam à se repulerunt: ex quo factum est, ut à mediocribus reciperetur. Hoc usus est Cicero, cū Pompeium pro lege Manil. laudaret, cum Archiam poetam peregrinitatis reum defenderet, cum Quiritibus post reditum suum gratias ageret, atqꝫ in senatu cum illi etiam ordini de reditu suo gratularetur. his enim orationibus nullæ floridiores, aut expolitiores sunt.

Tertius est ille amplus, copiosus, grauis, ornatus, in quo profectò uis maxima est.

Iam tandem illum sublimem & grandem oratorem informare incipit, qui maximam omnium uim in sese habeat. eum autem quatuor nominibus cohonestat: quòd sit amplus, quòd copiosus, quòd grauis, quòd ornatus. Amplum esse uult, ut dignitatem quandā in dicendo præ se ferat: quod efficiet, si consonantiora & grandiora selegerit. Copiosum autem, in rerum & uerborum multitudine inuenienda: quod magnæ doctrinæ est, & summi ingenij. Tertiò uult esse grauem, ut sententiarum pondere detineat auditores, & præterea robore uehementiaqꝫ dicendi: quæ grauitas appellatur. Quartò deniqꝫ uult ornatum esse, ut elocutionis magnificentia, granditatē rerū & orationis augeat.

Hic est enim, cuius ornatum dicendi, & copiam admiratæ gentes, eloquentiam in ciuitatibus plurimum ualere passæ sunt: sed hanc eloquentiam, quæ cursu magno sonituqꝫ ferretur, quam suspicerent omnes, quam admirarentur, quā se assequi posse diffiderent.

Omnis eloquentiæ maiestas & admirabilitas in hoc sublimi genere posita est. nam summissum oratorem omnes imitari se posse confidunt: mediocris non tam mouet animos, quàm delectat. hic uerò sublimis ita mentes audientium ad se rapit, ut eius uehementiam & copiam obstupescant, & tanquam attoniti ducantur, uel potius impellantur, quòcunqꝫ orator uoluerit. hanc uim summi oratoris Celtæ quodam simulachro demonstrabant, quemadmodum elegante: Lucianus scribit. Herculem enim (quem Ogmium appellabant, & eloquentiæ atqꝫ prudentiæ Deum existimabant) effigie senis formabant, cuius ab ore catenæ aureæ quamplurimæ fluentes, immensæ multitudinis astantis aures illigarent, adeò ut omnes non inuiti, sed animis libentissimis & sua sponte sequi trahentem uiderentur. Hoc est quod ait Cicero, gentes huius oratoris ornatum dicendi & copiam admiratas, eloquentiam in ciuitatibus plurimum ualere passas fuisse. Declarat autem, quam eloquentiam intelligat: non enim summissam, aut mediocrem, sed eam quæ more fluminis, uel torrentis potius, magno cursu sonituqꝫ fertur: quam qui audiunt, suspiciant quidem, sed se assequi posse diffidant. talis in Pisistrato, Pericle, Demosthene fuisse dicitur.

Huius eloquentiæ est tractare animos, huius omni modo permouere. hæc modò perfringit, modò irrepit in sensus: inserit nouas opiniones, euellit insitas.

Docet, quinam sint effectus summæ illius eloquentiæ. Solet (inquit) animos tractare, & afficere, omniqꝫ ratione commouere, ut modò irascantur, modò misereantur, modò tristes, modò læti efficiantur: quin aliquando fulminis impetu fertur, & omnia perfringit: modò leniter fluens, paulatim in sensus

strepit. interdũ efficit, ut ea credamus quæ nunquã opinati fueramus: & cõtrà, falsa nobis ea uideri facit, quæ uera esse putabamus. in summa, mira est uis huius eloquentiæ. Pisistratus tanta dicendi facultate præstitisse dicitur, ut eius oratione capti Athenienses, regium dominatum illi permitterent, quamuis uir sapientissimus Solon contrà niteretur. Pericles etiam arbitrio suo populum Atheniensem tractabat. nam quãuis contra uoluntatẽ eius loqueretur, tamen omnibus mirè grata erat eius oratio. M. Antonius in se ruentes Marij milites gladijs districtis, ut eum interficerent, ita eloquentia sua repressit, ut obstupefacti quiescerent. atque illum intuerentur: donec superueniens P. Antonius, qui non audiuerat, crudeliter eũ uita spoliarit. Hegesias Cyrenaicus philosophus, tam acri & uehementi oratione utebatur in enumerandis huius uitæ miserijs & calamitatibus, ut illo audito plurimi sibi mortem consciscerẽt: donec à Ptolemæo rege de ijs rebus disputare prohibitus est.

Sed multum interest inter hoc dicendi genus, & superiora. qui in illo subtili & acuto elaborauit, ut callidè argutèque diceret, nec quicquam altius cogitaret, hoc uno profectò magnus orator est, si non maximus. minimeque in lubrico uersabitur: & si semel constiterit, nunquam cadet.

Multũ hoc summũ genus à reliquis differt, lõgeque difficilius & periculosius est, quòd alta tantũ sectetur, & quæ penè sint inaccessa. itaque quod ait Horat.

Si paulum summo discessit, uergit ad imum.

Nam subtilis & acutus orator in eo tantum elaborat, ut argutè callidèque dicat, nec altiora cogitat. ideo fit, ut in genere suo magnus habeatur, quamuis maximus dici non possit. Illud etiam habet commodi, quòd in loco plano, & tuto, non autem in arduo & lubrico uersatur. Hac de causa cum semel constiterit, & pedem firmarit, non ita facile deijcietur. Est autem sumpta metaphora à uiatoribus, qui si per uiam patentem ac planam, minimeque salebrosam iter faciunt, longè melius consistunt, quàm si per angustam & lubricam ingrediantur.

Medius ille autem, quem modicum & temperatũ uoco, si modò suum illud satis instruxerit, non extimescet ancipites dicendi, incertosque casus. etiam si quando minus succedet, ut sæpe fit, magnum tamen periculum non adibit: altè enim cadere non potest.

Mediocris etiam orator longè securior erit, quàm ille sublimis, modò suum dicendi genus omnibus uerborum & sententiarum ornamentis satis instruxerit, ut magna suauitate demulcere aures astantium possit. hoc enim efficiet, ne uarios & inopinatos casus, qui nonnunquã in dicendo contingere solent, pertimescat: ut scilicet explodatur, aut exsibiletur, aut omniũ irrisione ludatur. quod illis accidit aliquando, qui sublime genus cõplexi, nesciũt illud commodè tractare. Qua in re Cicero pro Cluent. Cepasios fratres facetissimè ludit. & Horatius in Arte poetica poetam Antimachum ridet, qui ita proposuerat:

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

Quid (inquit) dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Meritò etiam Statius à doctis irridetur, qui suam Achilleidem ita exorsus est:

Magnanimum Aeacidem, formidatamque Tonanti
Progeniem, & patrio uetitam succedere cœlo,
Diua refer.—

Hæc non timet hic orator noster mediocris, quia neque altum ingreditur mare, neque littus nimium premit: sed medio quodam, atque eo iucundo & suaui cursu fertur: adeò ut etiam si quando res ex sententia non ei succedat, quod sæpe fieri

fieri ſolet, non tamen in magno periculo uerſetur. neque enim ex alto cadere poteſt, qui locum altum non aſcendit. Perſtat in metaphora ſua de uiatore. facit enim tres uias: unam, patentem & planam, in qua nullum eſt periculum, quoniam qui ſemel in ea conſtiterit, nunquam cadet: alteram paulo eminentiorem, quæ quaſi tumulis quibuſdam & amœnis collibus inſurgat, in qua periculum quidem aliquod eſt, ſi quis cadat, ſed non tamen magnum: tertiam, quæ maximè ſit ardua, & aſcenſu difficilis, & alias infra ſe poſitas deſpiciat, in qua magnum ſit periculum, niſi quis cautiſsimè ſciat ambulare. Primæ igitur uiæ tenuem oratorem, ſecundæ mediocrem, tertiæ ſublimem aſsimilat.

At uerò hic noſter, quem principem ponimus, grauis, acer, ardens, ſi ad hoc unum eſt natus, aut in hoc ſolo ſe exercuit, aut huic generi ſtudet uni, nec ſuam copiã cum illis duobus generibus temperauit, maximè eſt contemnendus.

Difficillimum eſſe oſtendit hoc ſublime genus, quoniam per ſe probari nullo modo poteſt: uerùm opus eſt, ut copiam ſuam cum acuto & temperato genere commiſceat. Senſus eſt: Hic orator, quem alijs præſtare dicimus, ſi tantũ grauitatem, acrimoniam, & uehementiam in dicendo quærat, neq; unquam ſe demittat, erit contemnendus. Grauis, acer, ardens.) Tria hæc epitheta ad unum hoc ſublime genus referuntur, in quo qui uerſatur orator, primò dicitur grauis, propter ſententiarum pondus: deinde acer, propter cõtentiones & clamores in dicendo: tum ardens, propter affectus illos uehementiores, quos in animis excitare quærit. Si ad hoc.) Tria tangit, quæ in omni re maximam uim & poteſtatem habent: hoc eſt, naturam, exercitationem, ſtudium: quæ omnia ut concurrant neceſſe eſt, ſi quis in aliqua re cupit excellere. neq; enim exercitatio ſine natura multum proderit, neq; ſtudium ſine exercitatione. Ergo (inquit) orator ſi ad hoc unum natus eſt, hoc eſt, ſi eam naturam habet, ut unum hoc genus exprimere poſsit: qualis Sulpitius fuiſſe dicitur, quem in Bruto Tragicum oratorem appellat: aut ſi in hoc ſolo ſe exercuit, hoc eſt, ſi relictis alijs generibus, ad hoc unum exercitationem accommodarit: quæ ſi frequens & quotidiana fuerit, penè in naturãm conuertitur: aut deniq;, ſi huic uni generi ſtudet, & tantum grauis eſſe uult, neq; unquam aut ęquabilem, aut tenuem ſtylum admittat, maximè contemni debet. Huius autem rei rationem ſubiungit.

Ille enim ſummiſſus, quòd acutè & ueteratoriè dicit, ſapiens iam: medius, ſuauis: hic autem copioſiſsimus, ſi nihil eſt aliud, uix ſatis ſanus uideri poteſt.

Prima duo genera per ſe probari poſſunt, quoniã ſingula aliquid habent, q̃d auditorũ animos tenere poſsit: ut ſummiſſus orator acumine & calliditate tantum efficit, ut aliquid ſapere uideatur: mediocris aũt, ornatu ac ſplendore ſuo mirificè delectat: hic amplisſimus, ſi ſemper clamet & contendat, inſanus & furioſus eſſe uidebitur. Itaq; neceſſe eſt, ut aliquando ſe remittat, & modò tenuiter aliquid, modò temperatè dicat. Veteratoriè.) Veterator dicitur homo, qui ſit in omni re callidus & aſtutus, ſed in malam plerunq; partem capitur: & de ſeruis olim dicebatur, qui malicijs & dolis aſſueti eſſent, ut Budæus cenſet. poſtea etiam de alijs dici cœptum eſt. Cicero uocare ſolet hoc nomine oratores illos, qui in priuatis cauſis callidè uerſantur. ut in Bruto de P. Cethego loquens: In priuatis (inquit) cauſis ſatis ueterator uidebatur. & alibi: Tum ipſe L. Cotta ueterator habitus, ſed C. Lelius & P. Africanus in primis eloquẽtes. Hinc ueteratoriũ dicitur, quod aſtutũ & captioſum eſt. ut in Bruto, de Cęſare loquẽs ait: Splendidam quandam, minimeq; ueteratoriã rationẽ dicendi

tenet. In Verrem actione tertia, ueteratoriũ perspicuo opposuit. sic enim ait: Nihil ab isto rectum, nihil ueteratorium expectaueritis, omnia aperta, omnia perspicua reperientur. Solent autem hi qui callidi sunt, & ueteratores, in dicendo sapientiores etiam sæpissime uideri.

Qui nihil potest tranquillè, nihil leniter, nihil partitè, definitè, distinctè, facetè dicere, præsertim cum causæ partim totæ sint eo modo, partim aliqua ex parte tractandæ: si is, non præparatis auribus, inflammare rem cœpit, furere apud sanos, & quasi inter sobrios bacchari uinolentus uidetur.

Pergit ostendere, quare grauis orator per se nõ probetur, nisi suã copiã cum duobus primis generibus tẽperet. necesse est enim in causis omnibus aliqua tranquillè & quiete dicere, aliqua leniter: præterea opus est partiri, definire, distinguere, facetijs uti: opus est aures præparare, antequam rem inflammare incipiamus. quæ cum ad summissum & ad temperatum dicendi genus pertineant, necesse est, ut utrunq; genus magnus ille orator amplectatur. alioquin si sua illa grauitate utatur, & clamore & contentione, priusquam auditorum animos præparet, furere uidebitur, & quasi uinolẽtus bacchari. Tranquillè.) Hoc ad summissum genus pertinet, in quo nihil est turbulentum & uehemẽs, sed omnia sedata & quieta. quale est illud pro Roscio Comœdo: Hoc ego loco soluto & quieto sum animo, & quorsum recidat responsum tuũ, nõ magno pere laboro. Nihil leniter.) Hoc ad temperatũ genus spectat, in quo licet aliquando res graues tractentur, tamẽ id leniter fit, & sine cõtentione, ut pro Cælio tota illa Catilinæ descriptio leniter pronũcianda est: Habuit enim ille, sicuti meminisse uos arbitror, permulta maximarũ non expressa signa, sed adũbrata uirtutũ: utebatur hominibus improbis multis, & quidẽ optimis se uiris deditũ esse simulabat: & quę sequũtur. Partitè.) Partitiones, definitiones, distinctiones, & summisso & mediocri generi cõmunes sunt: graui autem non conueniunt. quoniã cum partimur, definimus, distinguimus, oportet uocẽ demittere, & quietè ac leniter agere. Graue aũt genus per se clamorẽ tantũ & contentionem desiderat. quo fit, ut nihil partitè, nihil definitè, nihil distinctè possit dicere, nisi se demittat. partitio in causis frequenter est necessaria, propterea quòd illustriorem efficit orationẽ: sed cũ contentione effici non potest. Fit aũt in mediocri genere, ut pro lege Manilia: Ego enim sic existimo, in summo imperatore quatuor has res inesse oportere: scientiam rei militaris, uirtutẽ, auctoritatẽ, felicitatem. Fit etiã in summisso, ut pro P. Quintio: Ostendam primũ, causam non fuisse cur à Prætore postulares, ut bona P. Quintij possideres: deinde, ex edicto te possidere non potuisse: postremò, nõ potuisse. Definitè.) Definitio etiam & summisso & mediocri generi cõmunis est. Frequenter autem in causis definitio est de eodem & altero, ut pro Roscio Com. Aliud est iudicium, aliud est arbitriũ. iudicium est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. ad iudiciũ hoc modo uenimus, ut totã litem aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitriũ hoc animo adimus, ut neq; nihil, neq; tantũ quantũ postulauimus, consequamur. Distinctè.) Multæ sunt acutæ distinctiones pro Roscio Comœdo, ut illa: Quæro enim, potuerit'ne Roscius ex societate suã partẽ petere, nec ne? si non potuit, quemadmodũ abstulit? si potuit, quemadmodũ nõ sibi exegit? Rursus illa: Venerat, ut opinor, hæc res in iudiciũ? Certè. Quis erat petitor? Fannius. Quis reus? Flauius. Quis iudex? Cluuius. & alibi: Roscio cur tanti fuerit, causam requiro. Egebat? imò locuples erat. Debebat? imò in suis numis uersabat. Auarus erat? imò etiã antequã locuples, semper liberalissimus munificentissimusq; fuit. Hæc distinctè dicuntur ab acuto, atq; etiã à mediocri oratore, quæ sublimis ita nõ diceret. Facetè.) Hoc propriũ est summissi oratoris, ut sales aspergat,

aspergat, & facetijs utatur. ad quã rem descendit etiã ille temperatus: sublimis aũt iocos repudiat. Ludit facetè Cicero Chæream pro Roscio Comœdo, cum ait: Qui idcirco capite & supercilijs semper est rasis, ne ullum pilum boni uiri habere dicatur, cuius personam præclarè Roscius in scena tractare consueuit, neq; tamen pro beneficio ei par gratia refertur. nam Ballionem illum improbissimum & periurissimum lenonem cum agit, agit Chæream. coniungit hæc omnia Cicero pro Cælio, quodam in loco, ubi primò tranquillè & facetè sic ait: Nam quod obiectum est de pudicitia, quodq; omnium accusatorum nõ criminibus, sed uocibus maledictisq; celebratum est, id nunquã tam acerbè feret M. Cælius, ut eum pœniteat non deformem esse natum. Deinde leniter adiungit: Sunt etenim ista maledicta peruulgata in omnes, quorũ in adolescentia forma & species fuit liberalis. tum partitè procedit: Sed aliud est maledicere, aliud accusare. deniq; definitè rem explicat: Accusatio crimẽ desiderat, rem ut definiat, hominẽ ut notet, argumento probet, teste confirmet. maledictio autẽ nihil habet propositi, præter contumeliã. postremò distinctè docet, quæ contumeliæ nomina sint: Quæ si petulantius iactatur, conuiciũ: si facetius, urbanitas nominatur. Hæc qui ita tractare nescit, certè perfectus orator esse non potest: cum præsertim aliquæ causæ totæ sint tenuiter & acutè tractandæ, aliquæ ex maiori parte: quin nulla ferè iudicialis causa est, in qua præparare prius animos nõ oporteat, quàm rem inflammare. At uerò animorum præparatio per tenue dicendi genus, & frequentius per temperatũ fieri solet. alioquin in iudicio, qui statim contendere & clamare inciperet, uel insanus, uel uinolentus esse uideretur. illud tamen aduertendũ est, interdũ fieri, ut etiam sine animorum præparatione rem inflammare orator incipiat, cum res atrocissima est, & acerbè in aliquem inuehitur. Sic enim Cicero contra Catilinam statim erumpit: Quousq; tandẽ abutère Catilina patientia nostra? quàm diu nos etiam furor iste tuus eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? & cætera. quod idem etiam in secunda facit. Verùm in alijs orationibus cum hoc grandi genere, semper etiam alia duo, summissum inquam, & æquabile, quoties ipsa causa postulat, permiscere oportet: quod qui commodè facit, illi iam nihil deest, quin iure perfectus dici possit.

Tenemus igitur Brute, quem quærimus, sed animo: nam si manu comprehendissem, ne ipse quidem sua tanta eloquẽtia mihi persuasisset, ut se dimitterem. sed inuentus profectò est ille eloquens, quẽ nunquam uidit Antonius.

Concludit hanc partem, ut intelligamus quid sit illud, quod ipse summũ & perfectissimũ in eloquentia iudicet. primò enim sese retulerat ad illã Platonis idæam, quã oculis cernere non possumus, sed mente tantũ & animo comprehendimus. deinde ut facilius eam intelligeremus, uarias orationis figuras ac formas explicuit. postremò singulorũ generũ notas, & quasi formulas declarauit: atq; ostendit summissum oratorẽ per se magnum quidẽ esse, sed non maximum: mediocrẽ autem magis delectare, quàm permouere: sublimẽ deniq; per se probari non posse, nisi assumat temperatum & acutum dicendi genus. Qui ergo tria genera hæc amplectitur, & in eis laudabiliter uersatur, ille iam perfectus est orator. itaque clamat Cicero, se tenere eum quem quærit oratorem, sed animo tantum, non autem manu. Iocatur cum Bruto familiariter, ut ostendat se summæ eloquentiæ desiderio uehementer inflammatum esse. Si manu, inquit, comprehendere summum oratorem potuissem, tam arctè eum tenerem, ut ne sua quidem admirabili dicendi facultate mihi persuaderet, ut se dimitterem. uellem enim ab eo doceri, & informari. Verùm, inquit, nos eum inuenimus, quem Antonius quærebat, cum diceret, Disertos se uidisse multos, eloquentem uerò neminem.

Quis est igitur is? complectar breui: differam pluribus. is enim est eloquens, qui & humilia subtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperatè potest dicere.

Hæc est definitio perfectè eloquentis, quę paucis quidē uerbis primò complectitur, sed deinde pluribus de eo differit. Talis enim debet esse definitio, ut breuiter uim ac potestatē rei quæ definitur, explicet. Vt aūt hęc definitio meli us intelligatur, sciendū est primò, eloquentem non alia re potius quàm elocutione censeri, quod suprà dictum est. deinde, omnē orationē (ut ait Quintilianus) constare ex ijs quæ significantur, & ex ijs quæ significant. Quę significantur, sunt res, quas tractat, & in quibus uersatur orator. Quæ significant, sunt uerba, quibus elocutio constat. Elocutio igitur ōmnis rebus accommodari debet, alioquin eas rectè significare non poterit. Porrò rerum tria genera sunt. aliquæ enim sunt humiles, aliquæ magnæ, aliquæ mediocres. itaq; totidem etiam elocutionis genera esse debent. Si quis autem unum tantū aut duo genera elocutionis tractare nouerit, ideo non dicetur eloquens, quia non omnia rerum genera significare poterit. perfectum enim id dicitur, cui nihil deest. Omnia igitur rerum genera tractabit eloquens, sed non omnia eodem modo. Neq; enim res orationi, sed oratio rebus debet respondere. quo fit, ut res humiles tenuiter & subtiliter tractari debeant, magnæ uerò sublimiter & grauiter, mediocres deniq; leniter & temperatè. Qui hæc ita potest dicere, is meritò nomen eloquentis obtinebit.

Nemo is, inquies, unquam fuit: nec fuerit. ego enim quid desiderem, non quid uiderim disputo. redeoq; ad illam Platonis, de qua dixeram, rei formam & speciem: quam & si non cernimus, tamen animo tenere possumus.

Fatetur nullum unquā perfectum oratorem fuisse, qui posset omnia genera cōmodè tractare. Verùm se de illa eloquentia uerba facere ait, quam desideret, licet eam in nullo unquā uiderit. atq; iterū ad Platonis idæam reuertitur, de qua operis initio dixerat: quæ profectò aliquid est, si non re ipsa atq; actu (quod aiunt) at saltem intelligētia atq; potestate. neq; enim dubitandum est, quin rerū species potestate sint æternæ, atq; in sese perfectę, licet in nullo indiuiduo perfectę reperiantur: ut hominū species perpetuò cōseruatur, quamuis singuli homines intereāt. Neq; sanè quisquam est qui naturam humanam uideat, cum tamen eam esse penè omnes intelligant. Idem etiam de natura eloquentiæ dicendum. nemo est enim qui eam cernat, aut auribus percipiat: & tamen eam animo tenere possumus.

Non enim eloquentem quæro, neq; quicquam mortale & caducum: sed illud ipsum, cuius qui sit compos, sit eloquens. quod nihil est aliud, nisi eloquentia ipsa: quam nullis nisi mentis oculis uidere possumus.

Ad huius loci intelligentiā plurimum prodest eam distinctionē nosse, quā dialectici faciunt, cum dicunt, ex nominibus alia esse quæ concreta dicuntur, alia quæ abstracta. Concreta uocant ea nomina, quæ ab aliqua re denominationem atq; appellationem habent: ut à iustitia dicitur aliquis iustus, à fortitudine fortis, à candore candidus, à scientia sciens. hæc igitur nomina, iustus, fortis, candidus, sciens, concreta dicuntur, quia & rem ipsam declarant, & subiectum in quo res est: ut iustus significat hominem in quo sit iustitia, & candidus in quo sit candor. Res autem ipsæ, unde sumunt appellationem hæc concreta nomina, dicunſ abstractæ, non quòd per se esse reipsa possint, sed quòd per se considerantur: ut iustitia, fortitudo, candor, scientia. Quid ergo? Dicimus

mus concreta omnia, mortalia esse & caduca, neque unquam diu consistere posse. quicquid enim concretum & coagmentatum est, ut aliquando dissolua tur necesse est. Abstracta uerò sunt æterna & immortalia, per se perfecta, quæ concretis quidem appellationem donent, sed nunquam perfectionem: quoniam ipsa res in uno indiuiduo nunquam tota est. Quoties igitur de aliqua re disputamus, eam per se intelligimus, quatenus est perfecta: non autem quatenus est in aliquo subiecto, cui det appellationem. Hoc est quod ait hoc loco Cicero: quoniam eloquentia nomen est abstractum, eloquens uerò concretum, non se quærere eloquentem, neq; quicquam mortale & caducum: sed illud ipsum unde eloquens appellationem habet, quod nihil aliud est nisi eloquentia ipsa. quam certè, nemo est qui oculis corporis uidere possit: quoniam res & formæ abstractæ nullo sensu corporis percipiuntur, sed tantum animo comprehenduntur: & cæteris omnibus continenter fluentibus, ipsæ solæ manent, atq; immortales sunt.

Is erit igitur eloquens (ut illud idem iteremus) qui poterit parua summissè, modica temperatè, magna grauiter dicere.

Iterum eloquentis definitionē repetit, ut ostendat se in orationibus suis, pro uirili parte conatū fuisse, formā exprimere perfectæ eloquentiæ. Quoniā acci dit illi ut omnia causarū genera tractaret: ideo quæ parua uidebantur, ea submissè: quæ mediocria, temperatè: quæ magna, grauiter tractare contendebat, ut & causarū decorum seruaret, & eloquentis nomen assequeretur. A' se ipso igitur primò cuiusq; generis exempla sumit: deinde promiscuè se multa etiam scripsisse tradit.

Tota mihi causa pro Cecinna de uerbis interdicti fuit: res inuolutas definiendo explicauimus, ius ciuile laudauimus, uerba ambigua distinximus.

Primò summissæ orationis exemplū ponit, quā habuit pro A. Cecinna. is enim, cū in fundū, quē possidebat, ingredi uellet, à Sexto Ebutio multitudine armata prohibitus fuit. cū aūt Cecinna rē ad Prætorē detulisset, Prætor interdixit, ut Ebutius eò Cecinnā restitueret, unde deiecisset. Ebutius aūt non à se deiectū fuisse Cecinnā, sed eiectū atq; prohibitū dicebat: ideo tam se restituisse, quē non deiecisset. Cicero sumpto Cecinnæ patrocinio, de uerbis interdicti plurima disputat. Est autē interdictum, Prætoris sententia, qua aliquid uel iubet, uel prohibet, donec de lite pronuncietur: quasi interim dictū, ut Alciatus interpretaē. Multa igitur in ea oratione Cicero definitè, multa leniter & tranquillè, multa distinctè protulit. Hoc est quod ait, res inuolutas definiendo explicauimus. ut quid sit uim facere, quid sit deijcere, quæ sit actio interdicti, de ui & ui armata, & nonnulla alia. Vbi autem ius ciuile laudat, ibi leniter & tranquillè loquitur: Nihil enim (inquit) in ciuitate tam diligenter, quàm ius ciuile, retinendum. etenim hoc sublato, nihil est quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum, aut quid alienum sit: & quæ sequuntur. Quin etiā multa uerba ambigua distinxit: ut quid uocabulo familiæ intelligatur, qui procuratores dicantur, qui in iure armari uocentur: & eiusdem generis reliqua. Et certe nullam acutiorem inueniri orationem existimo.

Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius, temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus.

Cū approbaret apud populū Rom. Manilij Tribuni plebis legē Cicero, de mittendo ad bellū cōtra Mithridatē Pompeio, necesse habuit ipsum Pompeium tanq; summū imperatorē laudare, quod oratione temperata consecutus est: neq; enim causa tanta summissum dicēdi genus requirebat, neq; clamore

& contentione forensi opus erat. itaq; necesse fuit, uti modico dicẽdi genere. Sed in eo tamen omnes lepôres & uenustates, quæ uel in rebus uel in uerbis esse possunt, illigauit. crebræ enim amplificationes, concinnæ sententiæ, ornamentorum cuiusq; generis lumina, totã eam orationem suauem & illustrem efficiunt. Huc accedunt numeri quidam in clausulis diligentissimè collocati, qui dulcem quandam modulationem efficere uideantur.

Ius omne retinendę maiestatis Rabirij causa continebatur, ergo in omni genere amplificationis exarsimus.

Cum L. Apuleius Saturninus leges quasdam agrarias tulisset contra senatus uoluntatẽ, et in Remp. multa factiose moliretur, senatus Caio Mario Consuli mandauit, ut uideret nequid Resp. detrimenti pateretur. Itaq; C. Marius Saturninum & Glauciam Prætorem persecutus, qui in Capitolium fugerant, eos obsedit: & incisis fistulis, ne aquam habere possent, in deditionẽ accepit. nec deditis fides seruata est, Glauciæ fracta ceruix. Apuleius cum in curiam fugisset, lapidibus & tegulis desuper interfectus est. caput eius Q. Rabirius senator per conuiuia in ludibriũ circũtulit. post annos quadraginta Titus Labienus eques Romanus, cuius patruus in illa factione Saturnini fuerat interfectus, C. Rabirium, impulsu tamẽ C. Cæsaris perduellionis reũ fecit, & in iudicium uocauit, quòd Saturninũ Tribunũ plebis, qui sacrosanctus erat magistratus, interfecisset, & idcirco maiestatẽ populi Romani uiolasset. C. Cæsar sorte ductus iudex in Rabiriũ, eum tam cupidè condemnauit, ut postea Rabirio ad populum prouocanti, nihil tam profuerit quàm acerbitas iudicis, ut ait Suetonius. Cum igitur à Duumuiris condemnatus fuisset Rabirius, ad populum prouocauit: & à Cicerone defensus, infelicem arborem & crucem, quam eius accusator Labienus in campo Martio fixerat, aufugit. Extat oratio tota uehemens, acris, & ardens. quoniam agebatur de maiestate, uoluit Cicero omni genere amplificationis exardescere. Erit igitur hoc exemplum grandis illius & sublimis generis.

At hæc interdum temperanda & uarianda sunt. Quod igitur in accusationis septem libris, non reperitur genus? quod in Habiti? quod in Cornelij? quod in plurimis nostris defensionibus? quæ exempla selegissem, nisi ea uel nota esse arbitrarer, uel posse eligere qui quærerent.

Accidit interdum, inquit, ut in eadem oratione uarianda sint genera atque permiscenda, ut modò subtiliter dicamus, modò temperatè, modò grauiter: quod in actionibus contra Verrem uidere licet, in quibus omnia sunt expressa dicendi genera, dum modò Verris interdicta facetè ludit, & acutè taxat, modò res ab eodem gestas æquabiliter explicat, modò scelera grauiora atrociter insectatur. hoc idem fecit in oratione quã habuit pro Habito Cluentio, & in ea quam pro Cornelio Balbo, atq; in alijs multis, in quibus omnia dicendi genera permiscuit. Certè Cluentij causam tanto artificio tractauit, ut ipse postea multis audientibus gloriatus sit, se in illa oratione iudicibus tenebras offudisse. in Corneliana uerò de iure fœderum acutè multa disputat. Cn. Pompeium temperata oratione mirificè laudat: qua in parte ad amplissimum etiam genus insurgit, cum mutas regiones, & sola terrarum ultima, maria, portus, insulas, litoraq; alloquatur. Sed ex ipsis orationib. intellecto genere, facile quiuis exempla seligere potest, & considerare quid subtiliter, quid temperatè, quid grauiter dictum sit.

Nulla est enim ullo in genere laus oratoris, cuius in nostris orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at conatus tamen, atque adumbratio.

adumbratio. non assequimur, at quid deceat uidemus. nec enim nunc de nobis, sed de re dicimus.

Postquam exempla cuiusque generis ex orationibus suis sumpsit, nunc generatim ait se conatum semper fuisse, ut in suis orationibus omnes oratoriæ laudes apparerent: & quamuis id perficere non potuerit, quoniã nullus unquam præstitit, tamen adumbratione quadam declarasse. Metaphora sumpta à pictoribus, qui licet uiua non possint animalia repræsentare, tamen si illa rectè lineis & coloribus adumbrent, magnopere laudantur. ut Alcamenes Vulcanũ pinxit, in quo apparebat claudicatio non deformis. Zeusis uuas tam naturaliter expressit, ut ad eas aues deuolarent. Parrhasius lintheum in tabula quadam tam egregiè pinxit, ut cum eam tabulã protulisset, Zeusis remoto lintheo iusserit sibi picturam ostendi: sed cum errorem suũ intellexisset, Parrhasio palmam concessit. Eadem ratione oratores, quanto propius ad ueram eloquentiam accedũt, tanto laudabiliores sunt. quod cum effecerit Cicero, meritò gloriatur. Non assequimur (inquit) omnem in omni genere laudem oratoris, sed tamen intelligimus, & uidemus quid ubique deceat, & imperfectionem nostram nosmetipsi cognoscimus. Verùm non de nobis hæc instituta est oratio, neque de ullo alio oratore, sed de ipsa re: hoc est, de perfecta eloquentia, quam nemo hactenus assecutus est.

In quo tantũ abest ut nostra miremur, ut usque eò difficiles ac morosi simus, ut nobis nõ satisfaciat ipse Demosthenes: qui quãquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas: ita sunt auidæ & capaces, & semper aliquid immensum, infinitumque desiderant.

Sic est humanus animus, cum æternus sit, et immortalis, nõ potest ijs rebus esse contentus, quæ in mortalem hominem cadunt. itaque licet aliquem excellentissimum esse intelligat, tamen semper aliquid amplius desiderat. hoc est quod ait Cicero: Sentio mihi multa deesse ad eloquentiæ perfectionem, quo fit, ut mea scripta minimè mirer. quin etiam cum ad Demosthenem me refero, qui in omni dicendi genere cæteris omnibus longè præstitit, tam difficilis & morosus efficior, ut mihi planè non satisfaciat. Hoc autem accidit, quia non semper plena uerborum & rerum comprehensione complet aures meas. Neque enim quisquam est, qui planè exprimere dicendo sensa animi possit. ita fit, ut neque aures impleat: quæ maximè sunt auidæ, atque ita capaces, ut immensam quandam atque infinitam eloquentiam, hoc est, illam perfectam & immortalẽ desideret. Nullus est igitur, qui ex omni parte placere possit: quoniã (ut ait alibi Cicero) nihil simplici in genere ex omni parte perfectum natura expoliuit. Hinc etiam animi nostri diuinitatem agnoscere facile possumus, qui nulla unquam re mortali planè contentus est. Sed aures hoc loco Cicero, pro animo seu mente posuit: non enim aures desiderant, sed mens uidet & audit.

Sed tamen, quoniam & hunc tu oratorem cum eius studiosissimo Pammene, cum esset Athenis, totum diligentissimè cognouisti, neque eum dimittis è manibus, & tamen nostra etiam lectitas: uides profectò illum multa perficere, nos multa conari: illum posse, nos uelle, quocunque modo causa postulet, dicere.

Quoniã de suis orationib. & de Demosthene mentionẽ fecerat, nũc cũ Demosthene ipso se cõparat, et Brutũ iudicẽ facit. et quia de ijs quę quisque nouit, uerè iudicat,

iudicat, & eorum æquus est æstimator, ut primo Ethicorum ait Aristoteles: ideo Brutum posse uere iudicare docet, quippe qui totum Demosthenē, cum esset Athenis, euoluerat: qua in re Pammene, uiro doctissimo, Demosthenisq; studiosissimo, præceptore usus fuerat: deinde etiam, quia eius oratoris nunquam è manibus orationes demittebat, cum interim tamen Ciceronis scripta lectitaret. de hoc Pammene Bruti magistro, meminit etiam in extrema parte libri de Claris oratoribus, & eum eloquentissimum Græciæ uocat. Vides profectò.) Cicero longè sibi Demosthenem præponit, uel modestiæ gratia, uel quòd ita iudicaret. Quintilianus, cum Ciceronem cum Demosthene comparasset, ita tandem concludit: Cedendum uerò in hoc quidē, quòd & ille prior fuit, & ex magna parte Ciceronē, quantus est, fecit. hoc loco inquit Cicero, Demosthenē multa perficere, hoc est perfectè dicere, non omnia, quoniā non semper implet aures: se uerò conari quidē, quamuis non assequatur. præterea Demosthenē habere eam facultatē, ut quocunq; modo causa postulet, dicere possit: se uerò uoluntatē tantū, non facultatē habere. atq; ita Demostheni multa tribuit, sibi uerò nihil præter conatum & uoluntatem.

Sed ille magnus: nam & successit ipse magnis, & maximos oratores habuit æquales. nos magnum fecissemus, siquidē potuissemus, quò contendimus, peruenire : in ea urbe, in qua (ut ait Antonius) auditus eloquens nemo erat.

Rationē adfert, cur Demosthenes superior sit, & magnus orator. non enim ingenio aut industria Demostheni cedit, uerùm ętate & tempore. plurimū enim refert, quo tempore quis natus. Vnde Plato gratias dijs agebat, quòd sibi Socratis tempore nasci contigisset: & Philippus rex Macedonū dixit, nō tam se lætari quòd sibi filius Alexander natus esset, quàm quòd Aristotelis tempore natus esset. ita Demosthenes (ait Cicero) magnis oratoribus successit, ut Pericli, Lysiæ, Callistrato, Isæo: quos imitari, & quodāmodo præceptores habere poterat. Et maximos oratores æquales habuit, ut Demadem, Hyperidem, Aeschinem: quorum æmulatione ad eloquentiam accendi posset. Fuerūt aūt Demosthenis tempore decem insignes oratores, ut Plutarchus scribit. Nos magnum.) Non sibi defuisse industriam ostendit, sed tamen id assequi non potuisse quod cupiebat: quòd in ea urbe esset, in qua nunquam antea quisquam eloquens auditus fuisset.

Atqui si Antonio Crassus eloquens uisus non est, aut sibi ipse, nunquam Cotta uisus esset, nunquam Sulpitius, nunquam Hortensius. nihil enim amplè Cotta, nihil leniter Sulpitius, non multa grauiter Hortensius.

Hæc eò pertinet cōmemoratio, ut ostendat se neq; magnis oratoribus successisse, neq; magnos ęquales habuisse: quod Demostheni accidit. Ante Ciceronē præstātissimi omniū fuēre L. Crassus, & M. Antonius. Sed neq; Crassus Antonio, neq; Antonius ipse sibi uisus est eloquens. deinde Crassus erat quidem facetus & elegans, addo etiā suauis in dicēdo: sed non ita tamē eruditus, ut omnia dicēdi genera cōmodè tractare posset. Antonius aūt potius subtilis & acutus erat, q̄ aut dulcis, aut uehemēs. Quāuis igitur Cicero duos istos maximè pręter cæteros Latinos admiret, non tamē summos oratores esse censet, neq; ulla ex parte cum Gręcis illis cōparandos. His duobus successerūt tres alij: hoc est Cotta, Sulpitius, Hortensius: qui quamuis in suo genere singuli laudabiles extiterint, tamen neq; cum Crasso & Antonio comparandi, neq; inter summos oratores numerandi fuerunt. nam Cotta summissum tantum orationis genus sequebatur, nihil grauiter aut amplè dicebat: Sulpitius grauiter & tragicè omnia, nihil tranquillè, nihil leniter. Hortensius temperatum genus

secutus

secutus est, sed nimis redundans & Asianum, in quo nulla ferè grauitas esse uideretur. Itaque si Antonius de his tribus iudicium ferre potuisset, nunquā eos eloquentes appellasset, cum neque se, neque Crassum, qui longè tribus illis præstabat, eloquentem existimaret.

Superiores magis ad omne genus apti.

Duo illi superiores, Antonius & Crassus, ingenium quidem habebant promptum & uolubile, & aptum ad omne dicendi genus: sed tamē non in omni genere præstiterunt.

Ieiunas igitur huius multiplicis, & æquabiliter in omnia genera fusæ orationis, aures ciuitatis accepimus: easq́ue nos primi, quicunque eramus, & quantulumcunque dicebamus, ad huius generis dicendi, audiendi incredibilia studia conuertimus.

Gloriatur se primum fuisse, qui Romæ cœperit omnia dicendi genera æquabiliter tractare: eum antea tantum in singulis singuli laborarent. Ante me (inquit) ciuitas nostra ieiunas habebat aures, huius multiplicis orationis, hoc est, nunquam audiuerat orationem hanc multiplicem & uariam, quæ in omnia dicendi genera funderetur, amplecteretúrque & summissum orationis genus, & temperatum, & sublime. Easq́ue nos primi.) Primum se ait aures audientium ad hanc uarietatem ita conuertisse, ut incredibili audiendi studio flagrarent. quoties enim erat dicturus Cicero, magnus undique concursus ad eum audiendum fiebat: magnæq́ue eo dicente ὑποσημασίαι, hoc est approbantium significationes fiebant, ut aliquando torum forum clamore compleretur. Quicunque eramus.) Hoc modestiæ gratia dictum est, ne arrogans uideatur. Nam cùm omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenij atque eloquentiæ multo molestissima.

Quantis illa clamoribus adolescentuli diximus, de supplicio parricidarum? quæ nequaquam satis deferbuisse, pòst aliquanto sentire cœpimus: Quid enim tam commune, quàm spiritus uiuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis: ita uiuūt dum possunt, ut ducere animam de cœlo nequeant: ita moriuntur, ut eorum ossa terram non tangant: ita iactantur fluctibus, ut nunquam alluantur: ita postremò eijciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescāt. & quæ sequuntur.

Probat exemplis à se petitis, incredibilia se audiendi studia eōcitasse. Ac primò locum citat ex oratione quam habuit pro Roscio Amerino parricidij reo: quem locum magnis se populi clamoribus dixisse ait. Sed mirum est, cur se adolescentulum fuisse dicat, quo tempore illā orationem habuit: cum constet ex Quintiliano, & Fenestella, Ciceronem sex & uiginti annos natum illam orationem habuisse. quin A. Gellius, septem & uiginti annos ait tunc egisse Ciceronem, cum Roscium defendit: qua ætate certè non dicuntur homines adolescentuli, cum adolescentia dicatur ætas illa, qua homines in longitudinem crescunt, & quæ pueritiam sequitur: eam autem plerique ad uigesimum primum annum usque terminant à quarto decimo, quo tempore dicuntur esse in ephebis. cum autem uigesimum primum annum transierint, tunc ex ephebis dicuntur excessisse. ut Terentius: Nā is postq́ excessit ex ephebis. Sed nimirum Cicero gradus ętatis aliter distribuisse uidetur, quàm posteriores fecerint: & forfasse Varronis illā distributionē sequebatur. is enim quinque ętatis gradus faciebat, ac unūquenque pręter extremū quindecim annis terminabat: ut prima ętas quę ad quindecim annos extendit, pueros habeat: secunda usque

ad

ad triginta, cōtineat adolescentes: tertia ad quadraginta quinq;, iuuenes: quarta usq; ad sexaginta annos, seniores habeat: quinta & ultima contineat senes, & decrepitos, usq; ad uitæ finem. Cicero nomine adolescentiæ comprehendere uidetur etiam iuuentutem, ut in Catone maiore, cum ait: Quî enim citius adolescentiæ senectus, quàm pueritiæ adolescentia obrepit. ut tres tantum ex Ciceronis sententia sint ætates hominis, pueritia, adolescentia, senectus. Qua ratione certè erat adolescentulus, cum sextum tantum ac uigesimum annum ageret. erit enim eadem adolescentia quæ iuuentus, usq; ad quintum & quadragesimum annum: quæ ratio mihi satisfacit. Deferbuisse.) Metaphora sumpta à lebete, cui sit ignis suppositus. magnus autem est in adolescentia feruor sanguinis: quo fit, ut sæpenumero, qui ea sunt ætate, magis impetu quodam animi, quàm certa aliqua ratione ferantur. cum autem ad maturiorem ætatem peruenerint, tunc sentire incipiunt, quibus in rebus modum excesserint, quod significat hoc loco Cicero. Quamuis enim uideantur illa de supplicio parricidarum grauiter & atrociter dicta, tamen si quis diligenter introspiciat, res ipsæ sunt inanes, & penè pueriles. Quid enim refert, utrum ossa mortui tangant terram, nec ne? uel ut fluctibus alluantur, uel ut ad saxa conquiescant? Hæc autem quasi calamitosa profert ibi Cicero. Sed uerba ipsa tam eleganter posita sunt, & tam numerose cadunt, nihil ut elegantius aut numerosius fieri possit.

Sunt enim omnia, sicut adolescentis non tam re & maturitate, quàm spe & expectatione laudati. ab hac indole iam illa matura: Vxor generi, nouerca filij, filiæ pellex.

Hæc est ratio, quare illa pro Roscio non satis deferbuisse uideantur: quia res, inquit, maturitatem consecutæ non uidentur. Sunt enim (ut dixi) paulo inaniores, quàm huiusmodi causæ conueniat: sed tamen tales sunt, ut spem quandam maturitatis & expectationem concitent. Metaphora sumpta à fructibus, qui duri quidem & acerbi nascuntur, sed postea fiunt mites & iucundi. neq; enim poma laudantur, quæ gignuntur statim uieta & mollia (quemadmodum apud Gellium sentit Accius) quoniam non matura mox fiunt, sed putria: sic in ingenijs multa sunt duriora & acerbiora, quæ cum ætate paulatim maturescunt. hinc est quod ait Cicero, iam illa esse matura, quæ pro Cluentio contra Sassiam Cluentij matrem dixit: Vxor generi, nouerca filij, filiæ pellex. nam & res ipsæ quæ Sassiæ obijciuntur, grauissimæ sunt, & inauditæ: & uerba ita copulata, ut numerose quidem cadant, sed rei deformitatem & indignitatem præ se ferant. nam Sassia Cluentij mater, Aurium Melinum, filiæ suæ maritum, & generum suum, à filia abduxerat, & sibi maritum asciuerat: hoc modo facta est uxor generi, & nouerca filij, & filiæ pellex. quibus rebus & uerbis ita copulatis, nihil grauius & uehementius excogitari potest.

Lib. 13. cap. 2.

Nec uerò hic unus erat ardor in nobis, ut hoc modo omnia diceremus: ipsa enim illa pro Roscio iuuenilis redundantia, multa habet attenuata, quædam etiam paulo hilariora.

Quoniam ex oratione pro Roscio Amerino tantum unum exemplum amplissimi generis protulerat, ne quis existimaret eam orationem totam in sublimi genere uersari, nunc ostendit in ea multa esse, quæ ad summissum genus, & multa etiam quæ ad mediocre pertineant. & hoc ideo facit, ut declaret, ab adolescentia semper se omnia dicendi genera secutum. Iuuenilem autem redundantiam uocat, propterea quòd in ea oratione, sicuti etiam in illa quam habuit pro P. Quintio, multa sunt quæ sine causæ detrimēto resecari possent. quæ res in adolescente laudatur. Facile enim remediū est ubertatis (ait Quintilianus)

tilianus) sterilia nullo labore uincuntur. Sed quæ sunt quæ uocat attenuata? certè illa quę contra Erucium profert, dum crimen parricidij diluit, ut eo in loco: Quod Erucio accidebat in mala nugatoriaq; accusatione, idem mihi usu uenit in causa optima. ille quomodo crimen commentitium confirmaret, non inueniebat: ego res tam leues qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum, &c. Sunt etiam quædam (inquit) paulo hilariora, quæ ad temperatū genus referantur. ut illa quæ de canibus & anseribus disputat: Anseribus (inquit) cibaria publicè locantur, & canes aluntur in Capitolio, ut significent si fures uenerint: & quæ sequuntur. locus enim notissimus est.

At pro Habito, pro Cornelio, compluresq; aliæ (nemo enim orator tam multa, ne in Græco quidē ocio scripsit, quàm multa sunt nostra) eæ quidem hanc ipsam habent, quam probo, uarietatem.

Nihil tantopere delectat, quàm orationis uarietas, quæ modò leniter fluat, modò subtiliter disputet, modò grauiter insurgat: quam uarietatem, ait Cicero se persecutum fuisse, & in oratione pro Habito Cluentio, & pro Cornelio Balbo, & in compluribus alijs. Gloriatur autē se multo plura scripsisse, quàm quisquam alius uel Latinus uel Græcus orator. nam longè plures scripsit orationes, quàm quæ extant hoc tempore. Dicit autem, in Græco ocio: quoniam non tam in rebus publicis erant occupati Græci, quàm Romani. uel quia magis literarum studijs dediti erant: id enim ocium literarium dicitur. nulla enim gens unq; fuit, in qua plures literati homines extiterint, quàm apud Græcos.

An ego Homero, Ennio, reliquis poetis, & maximè tragicis concederem, ut ne omnibus locis eadem contentione uterentur, crebroq; mutarent? nonnunquam etiam ad quotidianum genus sermonis accederent? ipse nunquam ab illa acerrima contentione discederem?

Poetarum & histrionum exemplo probat, maximè uariandam esse orationem. Sunt autem duo poetarum genera amplissima, Heroicum & Tragicum, in quibus res graues & magnæ tractantur: itaq; opus est etiam uti graui oratione. Sed interdum, inquit, & Heroici & Tragici poetæ discedunt ab illa contentione, & ad quotidianum genus sermonis accedunt, crebroq; dicendi genus mutant & uariant. quod etiam ab oratore faciendum est, ut ea uarietate fastidium auditoribus leuet. Homerum autem & Ennium nominat, quoniam hi duo poetarū Epicorum principes erant eo tempore, alter apud Græcos, alter apud Latinos. Homerus (ut Quintilianus auctor est) tribus in personis tria dicendi genera expressit: in Menelao subtile & acutum, in Nestore suaue & temperatum, in Vlysse amplum & sublime. quin etiam in eo maximè commendatur Homerus, quòd interdum ita se demittat, ut etiam minima quæq; persequatur, et ita exprimat ut agi uideantur. Ennius Homeri animam in suum corpus migrasse prædicabat, atq; ideo se poetam esse factum. Multa scripsit, ut alibi suprà diximus, & in suis scriptis eam quam Cicero probat uarietatem secutus est. Tragici poetæ multi apud Græcos fuerunt, ut Euripides, Sophocles, Aeschylus: apud Latinos ueteres nonnulli, ut Pacuuius & Accius. hi quoniam res tantum miseras & calamitosas tractant, quæ regibus, imperatoribus, & principibus uiris accidisse dicuntur, amplissimo dicendi genere plerunq; utuntur. nullum enim dicendi genus Tragœdia sublimius est. Hinc etiam Heroici poetæ nonnunquam Tragici uocantur, propter dicendi sublimitatem, ut in Arte poetica tradit Aristoteles. unde illud etiā Martialis: *Lib.12.cap.10.*

Grande cothurnati pone Maronis opus. Sed interdum tamen accidit, ut se demittant, & quotidiano sermone utantur. quod ait Horatius:

Et Tragicus plerunq; dolet sermone pedestri:
Telephus & Peleus, cum pauper & exul uterq;,
Proijcit ampullas & sesquipedalia uerba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.

Quemadmodum igitur poetæ, qui sunt oratoribus finitimi, crebrò dicendi genus mutant, neq; semper eodem genere utuntur: ita etiam oratores ab illa acerrima contentione frequenter discedere debent, & uarietatem illam, quæ gratissima est, adhibere.

Sed quid poetas diuino ingenio profero? Histriones eos uidimus, quibus nihil posset in suo genere esse præstantius, qui non solum in dissimillimis personis satisfaciebant, cum tamē in suis uersarentur: sed & Comœdū in Tragœdijs, & Tragœdū in Comœdijs, admodū placere uidimus: ego nō elaborē? Cū dico me, te Brute dico. nam in me quidem iampridem effectum est, quod futurum fuit.

Ad exemplū histrionum accedit, quos ait in dissimillimis personis satisfacere. quòd certè fieri non posset, nisi totam actionē mutarent. Neq; enim eodem modo loquitur puer, quo senex: neq; paterfamiliâs, quo leno, aut ancilla. Illud autem maius est, quod ait: Comœdos sæpe in Tragœdijs placuisse, & contrà Tragœdos in Comœdijs. maxima enim est inter Comœdiam & Tragœdiā differentia, cum altera nihil à plebeio sermone differat, altera nihil sublimius fieri possit. Sed quid Poetas.) Reiectio est, ut magis rem probet. neq; enim mirum est, si poetæ, qui diuini sunt, omnia rectè faciant. Putabant enim ueteres, poetas mētis uiribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari. quod à Platone acceptum, multis in locis Cicero probat. Ennius ideo sanctos appellat poetas, & Ouidius diuinum spiritum in eis esse canit:

Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli,
Sedibus æthereis spiritus ille uenit.

Et in elegia quam de morte Tibulli conscripsit:

At sacri uates, & diuûm cura uocamur,
Sunt etiam qui nos numen habere putent.

Histriones eos.) Rosciū intelligere uidetur, quē multis in locis uehementer admiratur. erat enim adeò excellens, ut prouerbio locū dederit. Cum enim aliquem eximiū in aliqua re declarare uolebant, eum Rosciū in sua arte uocabāt. Sed erant etiā alij multi tempore Ciceronis excellentes histriones, qui diuersas personas repræsentarēt. Cū tamen in suis uersarentur.) Ineptè quidā hunc locū interpretatur, hoc modo: lidē ipsi manerent. ut Roscius Agamemnonē agens, nihil aliud est ꝙ Roscius. Neq; enim hoc sentit Cicero, neq; tam inscitè locutus est unquā. quis est enim, qui non in sua persona uersetur? aut quomodo quis potest à sua persona discedere? Sed in suis personis intelligit Cicero, in quibus uersari solent: ut Comœdus in Comicis personis, Tragœdus in Tragicis. quod apertè declarat id quod sequitur, cū ait: Sed & Comœdum in Tragœdijs, & Tragœdū in Comœdijs. nā hæ non sunt suæ personæ, sed diuersæ: & tamē sunt histriones, qui etiā in his placeant. Magnā igitur uarietatē in histrionibus ostendit, cum & in suis personis omnibus, quamuis dissimillimis satisfacerēt, & in alienis etiam admodū placerent. Ego non elaborē?) Redditio est comparationis, qua multo magis oratori laborandum esse ostendit, quàm aut poetis, aut histrionibus. Brutum autem excitat ut hanc uarietatem sequatur, qui iuuenis adhuc erat, & in eloquentia plurimum proficere poterat. se uerò iam senem esse ostendit, ut non maiores quàm fecerit progressus, sperare possit. Iampridem (inquit) in me, quicquid erat futurum, effectum est: itaq; nihil est quod amplius elaborem.

Tu autem eodem modo omnes causas ages? aut aliquod causarum genus repudiabis? aut in iisdem causis perpetuũ & eundem spiritum, sine ulla commutatione obtinebis?

Conatur per interrogationem extorquere Bruto, uerum id esse quod supra dixit, Eloquẽtem oportere laudabiliter in omni genere uersari. Brutus enim in eloquẽtia sese multum exercebat. Itaq; tria petit ab eo Cicero. Primũ, an eodem modo causas omnes uelit agere: quod esset indecorum et absurdũ. ut si non aliter de perduellionis crimine, aut de maiestate diceret, quàm de pecuniaria controuersia. Secundum, an aliquod causarum genus sit repudiaturus: quod certè non faciet ille, qui laudem eloquentiæ petit. debet enim in omnibus, tam publicis quàm priuatis quæstionibus ciuilibus uersari. Tertiũ est, an eundem spiritum in pronunciãdo, sine ulla commutatione obtinebit: quod in nulla omnino causa conuenit. uariare enim sæpe uocem oportet, & gestus & uultum, & motum corporis, alioqui non probari potest actio. Quare si neq; causæ omnes eodem modo tractandæ sunt, neq; ullum causarum genus repudiare debet orator, neque in una atque eadem causa spiritum eundem obtinere opus est: restat, ut omnia temperanda & uarianda sint: maximeq; elaborare debeat orator, ne semper eodem modo dicat, cum in omnibus rebus similitudo satietatis mater sit, uarietas autem magnopere delectet.

Demosthenes quidem, cuius nuper inter imagines tuas, ac tuorum, quod eum credo amares, cum ad te in Tusculanum uenissem, imaginem ex ære uidi, nihil Lysiæ subtilitate cedit, nihil argutiis & acumine Hyperidi, nihil lenitate Aeschini, & splendore uerborum.

Demosthenis exemplo probat, eloquentem omnia dicendi genera sequi debere. Fuit autem grauitas præcipua Demosthenis laus. unde Quintilianus, cum Ciceronẽ laudaret, tribuit illi uim Demosthenis, copiã Platonis, iucunditatẽ Isocratis. Sed tamẽ, quamuis esset grauissimus orator, dicendi subtilitate nihil Lysiæ cedebat, qui in eo solo genere uersabatur: nihil acumine Hyperidi, qui in eo præcipuè ualebat: lenitate & uerborum ornamentis nihil Aeschini, qui mediocri in genere maximus erat. Ergo nulla laus est oratoris, in qua non cæteris antecelluerit Demosthenes. Inter imagines.) Erat hæc apud Romanos consuetudo, ut & suos & suorũ imagines uel è marmore, uel ex ære, uel ex alia materia domi haberent, et Romę, et etiã in uillis: inter quas sæpissimè clarorum hominũ, quos amabant, uel quorum scriptis delectabantur, imagines collocabant, ut earum aspectu magis ad imitationem accenderentur. Hoc est quod ait Cicero, se cum in Tusculanum uenisset, Demosthenis imaginem uidisse inter Bruti & maiorum eius imagines: atq; ideo se credidisse, oratorem eum à Bruto amari.

Multæ sunt eius totæ orationes subtiles, ut cõtra Leptinem: multæ & totæ graues, ut quædam Philippicæ: multæ uariæ, ut contra Aeschinem falsæ legationis, ut cõtra eundẽ pro causa Ctesiphontis.

Exemplis probat, Demosthenem in omni dicendi genere præstitisse. multas enim (inquit) totas subtiles orationes conscripsit, qualis est illa quam habuit contra Leptinem. Leptines enim (ut Libanius scribit) cum uideret à populo Atheniensi multos immunitate donari pro meritis quæ in Remp. contulissent, et eò rem redigi, ut pauci essent qui tributa persoluerẽt, legem tulit, ut immunitates ne ualerẽt, et ne quisquã immunitate donaretur. quod si quis ausus esset immunitatem petere, ultimo supplicio afficeretur. Hanc legem ut iniustam & indignam Atheniensibus, & aliis legibus contrariam, reprehen-

dit Demosthenes. itaq multa subtiliter disputat, & totus in summisso genere uersatur. Multas etiam totas graues orationes composuit, ut secundam & tertiam Philippicam: quibus Athenienses ad bellum contra Philippum Macedonum regem suscipiendum, inflammare contendit. Sunt etiam multæ uariæ, qualis est ea quam contra Aeschinem falsæ legationis habuit: quæ ut est longissima, ita (meo quidem iudicio) optima est. In ea uerò oratione accusat Aeschinem trium præcipuè criminum. primo, quòd Philocrati turpem & inutilem pacem cum Philippo suadenti & decernenti assenserit: deinde, quòd legatus ad Philippum missus, tempora consumpserit, quo factum est ut Philippus Thraces eos qui in Atheniensium fide erāt subegerit: tum quòd Atheniensibus falsa nunciarit. Est & altera Demosthenis cōtra Aeschinem oratio celeberrima de corona, quam Cicero latinam fecit, unà cum Aeschinis oratione: sed latinè ambæ interierunt, græcè aūt ambæ adhuc leguntur. Hoc loco uocat eam pro causa Ctesiphontis, quoniam Aeschines nō Demosthenem, sed Ctesiphontem in iudicium uocauerat, quòd contra leges scripsisset, ut et rationibus nō relatis Demosthenes corona donaretur, et ut in theatro: & quòd de uirtute eius & beneuolētia, quā erga populū Atheniēsem haberet, falsa scripsisset, quoniā Demosthenes nec uir bonus esset, nec bene meritus de ciuitate. Ad hoc iudiciū cōcursus dicitur è tota Græcia factus esse, quòd omnes dignā auditu censerēt summorū oratorū in grauissima causa accuratā & inimicitijs incensam contentionē. Verùm Aeschines uictus in eo iudicio, discessit Athenis, & Rhodum in exiliū profectus est, ubi rhetoricā artem profiteri cœpit, & Rhodios primus ad eloquentiā incitauit, ut auctor est Quintilianus. Lib. 12. cap. 10.

Iam illud medium quoties uult arripuit, & à grauissimo discedens, eò potissimum delabitur.

Dedit exempla subtilis, & grauis, & uarij generis: modici uerò et temperati nullum dedit. Itaq nunc rationē affert: Quoniam (inquit) ubiq, quoties illi uidetur, medium dicēdi genus arripit, & tunc potissimum, cum grauissimū aliquem locum tractauit, in mediocri genere quodammodo cōquiescit. neq enim conueniret, ab amplissimo statim ad infimum descendere: quoniam præcipitare uideretur oratio.

Clamores tamē tum mouet, & tum in dicendo plurimum efficit, cum grauitatis locis utitur.

Quamuis in omni genere ualeat Demosthenes, tamē eius propria est grauitas & uehementia. neq enim fieri potest, ut quis æqualiter in omni dicendi genere excellat: sed alius subtilitate, alius grauitate, alius iucunditate præstat, quod tertio de Oratore Crassus sciēter explicat: Aspicite nūc (inquit) eos homines, atq intuemini, quorū de facultate quærimus, quid intersit inter oratorum studia atq naturas: suauitatē Isocrates, subtilitatē Lysias, acumen Hyperides, sonitū Aeschines, uim Demosthenes habuit. quis eorū nō egregius? tamen quis cuiusquā nisi sui similis? Grauitatē Africanus, lenitatem Lælius, asperitatē Galba, profluēs quiddā habuit Carbo, et canorū. Quis horū nō princeps tēporibus illis fuit? & suo tamē quisq in genere princeps. omnes igitur magni uiri in aliqua re præcipuè excellunt. Itaq ait Cicero, tum maxime clamores à Demosthene moueri, & in dicendo plurimū effici, cum grauitatis locis utitur: quòd scilicet in grauiter dicēdo cæteris omnibus antecellit.

Sed ab hoc parumper abeamus, quandoquidem de genere, non de homine quærimus: rei potius, id est eloquentiæ, uim & naturam explicemus.

Hæc quędā transitio est, quoniā satis de se et de Demosthene locutus uidetur: Re-

tur: Recedamus, inquit, ab hoc oratore parumper, quoniam non de illo, neq; de aliquo nobis homine suscepta est hæc oratio, sed de eloquētiæ genere, seu potius specie. Frequēter enim Cicero uocabulū generis pro specie usurpat, ut alibi diximus. Vult igitur posthac omissis personis, ipsius eloquētię uim et naturā explicare: hoc est, quib. ex rebus cōstituit̄ illa, quę perfecta est, eloquētia.

Illud tamen quod iam antè diximus, meminerimus, nihil nos pręcipiendi gratia esse dicturos: atq; ita potius acturos, ut æstimatores uideamur loqui, nō magistri. in quo tamen longius progredimur, quòd uidemus non te hęc solū esse lecturū, qui ea multo quàm nos, qui quasi docere uideamur, habeas notiora: sed hūc librū, etiā si minus nostra cōmendatione, tuo tamen nomine, diuulgari necesse est.

Antequā aggrediat̄ ad explicandū, quibus ex rebus cōstet eloquentia, præmunitione utit̄, nequis fortasse præcepta artis expectaret. ait enim se nihil pręcipiēdi gratia uelle dicere, quoniā hoc alibi fecit: ut in tribus de Oratore libris, in Partitionibus, in Topicis, in libris de Inuentione. neq; loqui tanquā eloquētiæ magistrū, sed tanquā æstimatorē, & iudicē, seu arbitrū. Quòd aūt longius in explicando, qualis sit eloquētia summè laudabilis, progreditur, & quasi docere uidetur: id se nō Bruti tantū ipsius causa facere dicit, qui præclarè ea omnia intelligat, quantū aliorū, qui librum hunc perlecturi sint. Necesse est enim (inquit) à me librū hunc diuulgari, nō quia sperē ex eo cōmendationem aliquam: sed quia si sub tuo nomine apparuerit, maximam apud plurimos gratiam acquiret. Cum igit̄ iam definierit qui nam sit ille, qui possit eloquens appellari: nunc adiungit, quibus ex rebus talis fieri possit.

Esse igitur perfectè eloquentis puto, nō eam solum facultatem habere, quę sit eius propria, fusè lateq; dicendi: sed etiam uicinam eius, atq; finitimam dialecticorum scientiam assumere. quanquā aliud uidetur oratio esse, aliud disputatio, nec idem loqui esse quod dicere, attamen utrunq; in disserendo.

Quatuor sunt quæ percipere debet ille qui perfectè eloquēs fieri cupit, antequam accedat ad causas agendas: Dialecticam, Philosophiā, Ius ciuile, Historiā. hæc enim materiā fusè q; lateq; dicēdi suppeditāt, atq; ita oratorem instruunt, ut in nullo causarū genere uerba illi deesse possint. Ac primò differit, qua de causa debeat orator dialecticā pcipere: deinde sigillatim reliqua persequitur. Qui uult (inquit) eloquens fieri, non tantū rhetorica præcepta, quæ docēt copiose dicere, sed etiā dialectica, quę disputare docēt, assumere debet.

Quę sit eius propria.) Elocutionē intelligit, quā supra docuit propriā oratoris esse, neq; ad alium ullū artificē pertinere. Vicinā eius atq; finitimā.) Multis in locis Cicero rhetoricā & dialecticā esse uicinas & finitimas affirmat: ut hoc loco, & in Partitionibus, et in secundo de Finibus, & in quinto Tusculanarū, & in primo de Legibus ad extremū. Hoc aūt ab Aristotele sumpsisse uidet̄, qui primo Rhetoricorū ait, rhetoricā esse μόριόν τι τῆς διαλεκτικῆς, καὶ ὁμοίωμα: hoc est, partē quandā dialecticæ, atq; simulachrū. et alibi dicit, rhetoricā cōstare ἔκ τε τῆς ἀναλυτικῆς ἐπιστήμης, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πολιτικῆς: hoc est, ex logica, et iuris prudētia. Ad quod respexit Cicero primo de Inuentione, cum dixit, rhetoricam esse magnā et amplā partē ciuilis scientię. Quanquā aliud.) Videtur, inquit, magna differentia inter orationē & disputationē, & inter loqui & dicere. Oratio enim est latè fusa et copiosa, disputatio cōcisa et breuis. Loqui est, quomodocūq; uerba facere: dicere uerò, politè et ornatè. Sed tamē utrūq;, siue quis oratiōe utat̄, siue disputatiōe, siue loquat̄, siue dicat, in disserēdo uer-

satur. Est enim disserere, uerbũ cõmune, quod tam ad rhetores, quàm ad dialecticos pertinet. Nam dialectica, ratio disserendi latinè dicitur: & qui dicendo ualent, diserti uocantur. Vicinę uerò sunt atq; finitimę hę scientię, propterea quòd ambæ definitione utuntur, ambę partitione, ambę argumẽtatione. quin ex ijsdem locis ambæ ducunt argumẽta. Vnde factũ est, ut ars illa quæ Topica dicitur, tã à rhetoribus, quàm à dialecticis tractaret̃. Cum enim octo libros de hac arte scripsisset Aristoteles, Cicero ex eis quæ uidebant̃, in Topica sua transtulit: & eosdẽ locos in Partitionibus, et secundo de Oratore repetiuit. Præterea cum dialecticus duobus instrumẽtis utatur in probãdo: hoc est, syllogismo & inductione: Rhetor eodem modo duobus alijs, quæ quodammodo ex altera parte respondẽt, utitur, hoc est, enthymemate & exẽplo. nam Enthymema syllogismo respondet, quod nihil est aliud (ut uult Aristoteles) quàm rhetoricus syllogismus: & exemplum inductioni. nam idem Aristoteles, exemplum uocat inductionem rhetoricam. Quibus ex rebus satis intelligitur, cur Cicero dialecticam uicinam & finitimam rhetoricæ dicat esse.

Disputandi ratio & loquendi dialecticorum sit, oratorum autem dicendi & ornandi.

Quoniam dialectici nullam elegantiã dicendi, nullum ornatum quærunt, idcirco dicuntur disputare & loqui: rhetores uerò, quoniam illud præcipuè spectant, ut eleganter & politè loquantur, dicere & ornare dicuntur. Atq; in hoc uno differre uidentur, cum in reliquis penè ijdem appareant. quod auctoritate Zenonis probat.

Zeno quidem ille, à quo disciplina Stoicorũ est, manu demõstrare solebat, quid inter has artes interesset. nã cũ cõpresserat digitos, pugnumq; fecerat, dialecticã aiebat eiusmodi esse: cũ aũt diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius similem eloquentiã esse dicebat.

Hoc idem secũdo de Finibus dixit: Zenonis (inquit) est hoc Stoici, omnẽ uim loquẽdi, ut iam antè Aristoteles, in duas tributam esse partes, dicere: rhetoricam palmæ, dialecticã pugno similẽ esse dicebat, quòd latius loquerentur Rhetores, dialectici uerò cõpressius. quod etiam Quintilianus secũdo libro repetit: Itaq; cũ duo sint, inquit, genera orationis, altera perpetuã, quæ rhetoricè dicit̃, altera concisa, quæ dialecticè, quas quidẽ Zeno adeò coniunxit, ut hanc cõpressæ in pugnũ manus, illã explicitæ diceret similẽ, etiã disputatrix uirtus erit. Zeno quidẽ ille.) Quoniã multi Zenones fuerũt, ideo adiũgit de quo intelligat. Fuit enim ante hũc Zeno Eleates, uir egregius, Parmenidis auditor, qui dialecticã reperisse dicit̃, sicuti Empedocles rhetoricã, ut Diogenes Laertius testatur. Hic est, quem Cicero secundo Tusculan. ait perpessum fuisse omnia, potius q̃ cõscios delendę tyrannidis indicaret. Zeno uerò qui princeps Stoicorũ fuit, de quo loquit̃ hoc loco Cicero, Cittieus fuit, ex Cypro insula, primò mercator: deinde cum naufragiũ fecisset, Athenas delatus, philosopię dare operã cœpit. quã cum gustasset, clamare cœpit: Nunc bene nauigaui, cũ naufragiũ feci. Tanta fuit cõtinẽtia, ut prouerbio locũ dederit: nam Zenone tẽperantior dicit̃, qui maximè cõtinens est. Docebat aũt in porticu quadã Athenis: unde qui eum sequebant̃, Stoici dicti fuere. Tertius Zeno Rhodius fuit, qui locorũ historiã cõscripsit. Quartus, historicus, qui Pyrrhi res in Italia et Sicilia gestas, epitomẽq; Romanarũ et Carthaginiensiũ rerũ scripsit. Quintus, Chrysippi discipulus, qui cõplures discipulos habuit. Sextus, medicus Herophilius, intelligentię acumine potius q̃ scriptura clarus. Septimus, grammaticus, cuius inter cætera etiam epigrammata feruntur. Octauus, Sidonius genere, philosophus Epicureus. Nam cum.) Apertè Zeno declarabat, eandem esse dialecticæ rhetoricęq; materiam, sed forma tantũ & ratione differre:

differre: sicuti eadem manus est, siue sit compressa in pugnum, siue dilatata in palmam: forma tamen differt pugnus, ab expansa manu. Sunt enim hæ duæ communes artes, rhetorica inquam & dialectica: quoniam omnes ferè homines naturaliter eas participant, ut initio Rhetoricorum docet Aristoteles. neque in aliquo certo atq; determinato genere loquantur, quemadmodum aliæ, sed quodammodo uagæ sunt, et de omnibus rebus probabilibus in utranque partem disputare solent. Verùm dialectica quasi fundamentum est rhetoricæ. quo fit, ut sine dialectica non posit ullo modo rhetorica stare.

Atque etiam ante hunc Aristoteles principio artis rhetoricæ dicit, illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticæ: ut hoc uidelicet differãt inter se, quòd hæc ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior.

Non Zeno primus (inquit) affinitatẽ, atq; adeò cognationẽ harum artium uidit, sed ante hunc Aristoteles: qui cum tres de rhetorica libros cõscripserit, principiò illorũ dixit, rhetoricã ex altera parte respõdere dialecticæ: hoc est, cum dialectica quodammodo cõuerti & reciprocari. sic enim Alexander Aphrodisiẽsis, in primo Topic. Aristotelis hunc locũ intelligit. nam quod Aristoteles dixit ἀντίστροφον, Alexander ἰσόστροφον interpretatᷓ, quòd in eisdẽ rebus uersetᷓ, et ea sequatᷓ quę opinionibus hominũ conueniũt, quę ἔνδοξα græcè uocanᷓ: sicut etiã dialectica. Petrus Victorius, uir sanè eruditus, qui Commẽtarios in Aristotelis rhetoricos libros cõscripsit, hunc Ciceronis locũ citat, & super eo multa uerba facit: tandẽ leuiter Ciceronẽ reprehẽdit, ꝙ sine causa uideatur addidisse ea uerba, Quasi ex altera parte: cũ melius uicinitatẽ harum artiũ (ut ipse ait) cõprobasset, si ea uerba reticuisset. At mihi uidetᷓ uir egregius, cũ Ciceronẽ reprehendat, insigniter decipi. neq; enim uult Cicero probare, has easdẽ esse artes, sed similes: neq; ullã admiscet (ut Victorius ait) contrarietatẽ, sed Aristotelis uocabulũ exprimit. nam ἀντίστροφον nihil aliud latinè sonat, ꝙ ex altera parte respondẽs: quod accidit in eis quę reciprocanᷓ. ut rationis particeps homini ex altera parte respõdet, quoniã cum eo uicissim retrò cõmeat et reciprocatur. rhetorica uerò non omnino reciprocatur cum dialectica, quia quoddã tantum simulachrũ eius est, et παραφυὴς, ut ait Aristoteles. Sed ideo dicitur ex altera parte dialecticę respondere, quòd ex eodẽ hausta genere (sicut ait in Partitionibus Cicero) uberior tantũ, atq; latior est. Ideo non absolutè dixit Cicero, ex altera parte respõdere: sed quasi ex altera parte. q̃d apertè declarat, Ciceronẽ Aristotelis sententiã optimè intellexisse, Victoriumq; sine causa tot uerba profudisse. Verùm de hac re lõgè copiosius in Reprehẽsionibus contra Nizoliũ scripsimus. Vt hoc uidelicet.) Explicat differentiã, quę sanè perspicua est. nam ratio dicẽdi, quæ rhetorica est, latè copioseq; differit: Ratio uerò loquẽdi seu disputãdi, breuiter cõtracteq; rẽ agit, hæc aũt est dialectica.

Volo igitur huic summo, omnem quæ ad dicendũ trahi posset, loquendi rationem esse notam: quæ quidem res quod te his artibus eruditum minimè fallit, duplicem habuit docendi uiam.

Concludit, ab oratore dialecticam percipi debere. neq; enim perfectus esse poterit, nisi omnia quæ ad dicendum trahi possunt, comprehenderit. Sed loquendi ratio, quę dialectica est, multũ in dicendo ualet: igitur ab oratore perdiscẽda est. Verùm quia poterat aliquis dubitare, à quibus debeat orator dialecticam discere, à Peripateticis ne, an à Stoicis, quoniam inter se multũ differre uidentur: ideo docet Cicero, nihil referre, modò res necessarias intelligat, à quibus eas percipiat.

Nam & ipse Aristoteles tradidit præcepta plurima differendi: &

poſtea qui dialectici dicuntur, ſpinoſiora multa pepererunt.

Explicat id quod ſuperius dixerat, duplicem eſſe methodum ſeu uiam docendæ dialecticæ: alteram qua Ariſtoteles uſus eſt, alteram qua Stoici, qui etiam dialectici dicti ſunt. Ariſtoteles à Cicerone, principio Topicorũ, rationis differendi princeps appellatur: non quòd ipſe primus dialecticam reperit, ſed quòd eam artẽ perfecerit. Fuit autẽ reperta Dialectica à Zenone Eleate, ſicut cenſet Diogenes Laertius. Verùm Iamblichus philoſophus ad Dexippũ ſcribẽs, ait Dialecticẽ Deorum inuentũ eſſe, non autẽ hominũ. & Plato in Philebo, Deorum munus hanc artẽ appellat. Ariſtoteles ſine dubitatione plurima huic arti attulit adiumenta. cum enim duas habeat partes, unam inueniẽdi, alteram iudicandi, diligẽtiſsimè utranq; Ariſtoteles tractauit. Hoc eſt quod ait hoc loco Cicero. Stoici uerò qui poſt Ariſtotelem fuerunt, in altera tantum parte elaborauerũt. iudicandi enim uias diligenter perſecuti ſunt, eam ſcientiã quam dialecticen appellãt: inueniẽdi uerò artem, quę Topice dicitur, quæ (ut ait Cicero) ad uſum potior erat, & ordine naturæ certè prior, totam reliquerũt. Fuerunt quidem acutiſsimi & prudẽtiſsimi in differẽdo Stoici: uerùm genus quoddã loquendi ieiunũ, exile, ſpinoſum ſecuti ſunt. quale ferè noſtro etiam tempore ſequũtur ij, quos ſcholaſticos uocant, qui uel Scoto uel Thomæ dant operam, in quibus præter ſubtilitatem nihil eſt laudabile.

Ego eum cenſeo, qui eloquentiæ laude ducatur, non eſſe earum rerum omnino rudem: ſed uel illa antiqua, uel hac Chryſippi diſciplina inſtitutus, nouerit primùm uim, naturam, genera uerborum, & ſimplicium & copulatorum.

Qui uult eloquẽs fieri, dialecticã percipere debet, nõ quidem ut in ea conſeneſcat, tanquam ad Syreneos ſcopulos (ut ait Gellius) ſed ut eius artis minimè rudis ſit. Poterit autem (inquit Cicero) uel illam antiquã dialecticã ſequi, quam tradidit Ariſtoteles: uel recentiorẽ, quam Chryſippus acutiſsimus Stoicus docuit. Hic Philoſophus (ut ait alibi Cicero) porticũ Stoicorum fulcire dictus eſt. Fuit autem adeò ſubtilis & acutus in diſputãdo, ut prouerbio locũ fecerit. cum enim aliquẽ magno ingenij acumine in diſputãdo præſtare, ſignificare uolumus, in eo Chryſippeũ acumẽ eſſe dicimus. Quin olim iactatũ eſt, ſi apud Deos immortales dialecticæ uſus eſſet, nõ aliam fore q̃ Chryſippeam. Scripſit opera quàm plurima, in quibus acutiſsimè diſputauit, ſed ieiunè & exiliter, ut primo de Orat. tradit Cicero. Nihil igitur refert, utrũ futurus orator Ariſtotelis, an Chryſippi dialectica inſtituat̃, modò ea diſcat quæ ad uſum oratoriũ neceſſaria eſſe uideant̃. Quæ ſint autem illa, paucis explicat ipſe Cicero: Debet (inquit) noſſe uim, naturam, genera uerborũ & ſimpliciũ & copulatorum. Conſtituit enim Ariſtoteles decẽ ſumma rerũ genera, quas κατηγορίας uocat, in quibus uis & natura ſimpliciũ uerborũ explicat̃. Deinde librũ facit περὶ ἑρμηνείας, hoc eſt de interpretatione, ubi docet quomodo uerba copulent̃, & propoſitionũ naturã explicat. hæc primò ſcire debet orator, ut genera, ſpecies, differẽtias, ꝓprietates, euẽta rerũ intelligat, quę tradunt̃ in Categorijs: et præterea quomodo copulãda uerba ſint, et quę in quibus dicant̃, aut in omni, aut in nullo, aut in aliquo, aut non in omni, quæ neceſſaria ſint effata, quæ fortuita, cæteraq; id genus, quæ traduntur in libro de Interpretatione.

¶ Deinde quot modis quicque dicatur: qua ratione uerũ, falſum'ne ſit, iudicetur: quid efficiatur è quoque: quod cuique conſequens ſit, quodq; contrarium.

Hæc ad eam dialecticæ partem attinent, quæ iudicandi uias aperit: primò ut ſciamus, quot modis quicque dicatur. nam eadem res uarijs modis enunciari

clari poteſt, qui diuerſi quidem erunt, ſed ſenſum non uariabunt. Hos modos appelllat Ariſtoteles ἰσοδυναμίας, dialectici noſtri æquipollentias barbaro uocabulo nominant, nos æquales poteſtates dicere poſſumus: quæ fiunt, uel propoſita uel poſtpoſita negatione. ut, Omnis orator eſt uir bonus, Nullus orator non eſt uir bonus, Non aliquis orator non eſt uir bonus. hæc enim eſſa tandem habēt poteſtatem. quod ſcire debet orator, ne in eis forte decipiat.

Deinde ſcire debet, qua ratione iudicetur uerum, falſum'ne ſit, id quod dicitur. hoc autem maximè fit per ſyllogiſmorũ reſolutionẽ: quod in Analyticis & prioribus & poſterioribus Ariſtoteles docet. Sciat etiam oportet orator, quid efficiatur è quoq; hoc eſt, ſyllogiſmorũ rationem. Eſt enim Syllogiſmus (ut ait Ariſtoteles) oratio, in qua poſitis quibuſdã & conceſsis, neceſſe eſt aliud euenire per ea quæ poſita ſunt, & conceſſa. hoc autem fit ex ui termini illius quem mediũ appellãt, qui poſitus in duabus primis propoſitionibus, neceſſariam infert concluſionẽ. Hinc etiam fit, ut conſiderare atq; intelligere debeat orator, quod cuiq; cõſequens ſit, quodq; contrariũ. Sæpe enim fit, ut duę præcedentes propoſitiones ueræ ſint, & tamen cõcluſio non ſit conſequens, at potius contraria. quod accidit, uel quia Syllogiſmi forma non ſeruata fuerit, uel quia concluſio non elicitur ex præcedentibus. quarum rerum ignoratione ſæpe fit, ut magni errores enaſcantur, cum ea putamus eſſe conſectaria, quæ minimè ſunt.

Cumq; ambiguè multa dicantur, quomodo quicq; eorum diuidi explanariq; oporteat.

Regula eſt dialecticorũ uulgaris illa quidem, ſed tamẽ uerißima: Qui neſcit diſtinguere, neſcit ſoluere. multa enim ſunt quę ambiguè dicuntur, in quibus magna eſt obſcuritas: & frequentes paralogiſmi ſiue captiones fiunt, niſi quis ea commodè diuidat atq; explanet. De his Ariſtoteles tractauit in opere quod Elenchorum inſcribitur. Multa autem eſſe ambigua oportet, quoniã (ut ait Cicero pro A. Cecinna) non uerborum tanta copia eſt, non modò in noſtra lingua, quæ dicitur eſſe inops, ſed ne in alia quidem ulla, res ut omnes ſuis certis ac proprijs uocabulis nominentur. itaq; cum unum ſæpe uocabulũ complures ſignificet res, plerunque animus ambiguitate nominis deceptus, rem unam pro alia intelligit. at qui ſcientiam diuidendi atq; explanandi perceperit, is facilè poterit oſtendere, qua in ſignificatione ſint ubique capienda uocabula.

Hæc tenenda ſunt oratori, ſæpe enim occurrũt: ſed quia ſua ſponte ſqualidiora ſunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor.

Ea ſcire debet orator, quæ ſunt in Dialecticorum arte, quoniam ſæpe in dicendo occurrunt: ſed ea tamen non ita tractare debet, quemadmodum dialectici ſolent, ſqualidè & ieiunè, ſed adhibere quendam ornatum et nitorem orationis, quo ſplendeſcere quodammodo poſsint. Dialectici enim nudas res ponunt, ſine ullis uerborum ornamentis: ita fit eorum diſputatio ſqualida & ieiuna. rhetores autem res eaſdem, atq; eadem argumenta capientes, uerborũ dote locupletant: quo fit, ut eorum oratio nitida ſit, & polita.

Et quoniam in omnibus quæ ratione docentur, & uia, primùm conſtituendũ eſt, quid quicq; ſit (niſi enim inter eos qui diſceptent, cõuenit quid ſit illud de quo ambigitur, nec rectè diſſeri, nec unquã ad exitũ perueniri poteſt) explicãda eſt ſæpe uerbis mens noſtra de quaque re, atque inuolutæ rei notitia definiendo aperienda eſt. ſiquidem

quidem est definitio, oratio quæ quid sit id de quo agitur, ostendit quàmbreuissimè.

Tria sunt officia dialectici, definire, diuidere, & argumentari: quæ omnia sunt oratori necessaria. & de argumentatione nemini dubium esse potest. neque enim aliter rationes suas cõfirmare, aduersariorum refutare sciet orator, nisi uiam & ratione argumentãdi didicerit: quæ fit per earum rerũ cognitionem, quas iam superius cõmemorauit. Nunc autem adiungit, etiam definiendi & diuidendi rationem oratori cognitam esse oportere. Quoties enim aliquid ratione & uia docere uolumus, primùm constituendũ est quid sit, alioqui nihil unquam cõcludi poterit. Rationem & uiam appellat Cicero, quam Aristoteles μέθοδον, in qua primò definitiones, deinde etiam diuisiones requiruntur. quod in omnibus artibus tradendis obseruari uidemus: ut Grammaticus primò declarat quid sit Grammatica, deinde quæ sint eius partes, et ita sigillatim unamquanq; partem tractat, ut eam primò definiat, deinde etiam diuidat. hoc etiam reliqui omnes artifices facere consueuerũt: sed nemo id scienter facit, nisi qui dialecticorũ præcepta didicerit. Vnde passim uidemus & apud grammaticos, & apud alios scriptores, multas absurdas & falsas definitiones, & ineptas diuisiones. Nisi enim.) Probat necessariã esse definitionẽ, quoniam nõ aliter ulla cõtrouersia potest ad exitũ deduci, nisi cõueniat inter eos qui disceptant, quid illud sit de quo ambigit. ut accusatur Rabirius perduellionis, quòd arma cõtra Saturninũ sumpserit: contrà defendit Cicero Rabirium, quamuis arma sumpserit contra Saturninum, non incidisse in crimen perduellionis. certè hæc cõtrouersia non potest ad exitũ deduci, nisi definiatur quid sit perduellio. Ergo sæpe accidit, ut mens ac sententia nostra de quaque re sit explicãda uerbis, ut res inuolutas & cõtrouersas definiendo aperiamus, & ad notitiam deducamus. hoc enim efficit definitio, ut quàm breuissimè ostendat quid sit id de quo agitur. ut, Virtus est animi habitus, naturæ modo rationi cõsentaneus. Est aũt duplex definitio, nominis & rei: sed utraq; utunt oratores. Definitio nominis est, quæ tantũ uocabuli uim explicat. ut Cicero pro P. Sestio, definit qui populares, & qui optimates essent: Qui ea, inquit, quæ faciebãt, quæq; dicebãt, multitudini iucunda esse uolebant, populares: qui autẽ ita se gerebãt, ut sua cõsilia optimo cuiq; probarent, optimates habebant. Definitio rei est, quæ uim naturamq; eius de quo agit explicat. ut illa definitio ex Topicis Ciceronis: Hæreditas est, pecunia quæ morte alicuius ad quempiã peruenit iure, nec ea aut testamẽto legata, aut possessione retẽta.

Erit igitur hæc facultas in eo, quem uolumus esse eloquentem, ut definire rem possit, neque id faciat tam presse & angustè quàm in illis eruditissimis disputationibus fieri solet: sed cùm explanatius, tũ etiam uberius, & ad commune iudicium, popularemq; intelligentiam accommodatius.

Concludit, eloquentẽ debere hanc habere cognitionẽ, ut res definire sciat. Sed in eo differt oratoria definitio, à definitione dialectica & philosophica, q; dialectici presse & angustè res definiũt: oratores aũt debẽt uberius et explanatius id facere, quo facilius ab omnibus intelligant, & cõmune iudiciũ popularemq; intelligentiã sequant. Sed ut hoc facilius intelligat, sciendũ est multas esse definitionũ species, sed unã tantũ naturalẽ et propriã, de qua sensit Aristoteles, cũ dicit unius rei unã esse definitionẽ. hæc aũt cõstat ex genere et differẽtijs siue proprietatibus, presseq; et angustè conficit: ut, Homo est animal rationis particeps, Animal est corpus animatum & sentiẽs. hæc à Græcis οὐσιώδης dicitur, & potius ad philosophos quàm ad oratores pertinet. Reliquæ ferè omnes oratoriæ possunt esse: ut illa quæ dicitur γνωσματική, quæ ab effectu

rem

rem definit:ut, ira est ulciscendi libido, memoria est per quam animus repetit ea quæ fuerunt. Tertia species definitionis ποιότης Græcè, Latinè qualitas appellatur, quæ qualis sit res ostendit. ut primo de Legibus Cicero: Animal hoc prouidũ, sagax, multiplex, acutũ, memor, plenum rationis & consilij, quem uocamus hominem. Quarta dicitur ὑπογραφή, Latinè descriptio, qua sæpissimè utuntur oratores, cum res ita describitur ut facile intelligatur, & quodammodo uideatur, ut primo dè Natura deorum: Ibes sunt aues excelsæ, cruribus rigidis, corneo proceroq; rostro, quę auertunt pestem ab Aegypto, cum uolucres angues ex uastitate Lybię, uento Africo inuectas interficiunt atq; consumunt. talis est descriptio Famæ apud Virg. Quinta dicitur κατ' ἀντίληψιν, cum unum uocabulum per aliud interpretamur, quod frequentissimè Grammatici faciunt: ut librare est ponderare, credere est fidem habere. Cicero in Topicis usus est hoc genere definitionis, quando dixit: Locus est sedes argumenti. Sexta est κατὰ διαφοράν. Cicero, de eodem & altero interpretatur, & ea frequẽter utitur, cum res aliquas uult distinguere. ut pro Cęlio: Aliud est maledicere, aliud accusare. accusatio crimen desiderat. & pro Roscio Com. Aliud est iudicium, aliud arbitrium. iudicium est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. Septima κατὰ μεταφοράν uocatur, quę frequens est: ut, adolescentia est flos ætatis, senectus est occasus uitæ, homo est paruus mũdus. Cicero in Topicis, Littus est quo fluctus eludit: & alibi, prauos homines sentinã Reip. uocat. Octaua est quæ fit κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου: hoc est, per euersionẽ contrarij. nã (ut ait Cicero in Partitionib. Sæpe etiã ex contrarijs definiendũ est. ut Horat. Virtus est uitium fugere, & sapientia prima, Stulticia caruisse. sic dicimus, diues est qui non indiget, probus est qui malitia uacat. Cicero: Quid est aliud furere, quam nõ cognoscere leges? nõ cognoscere homines? Nona κατ' ὑποτύπωσιν fit, hoc est, per declarationẽ quandã: & semper fit in indiuiduis, quæ ἄτομα Græcè dicuntur. ut, Aeneas est filius Veneris & Anchisæ. fit autẽ in ijs præcipuè quæ ambigua esse possunt. ut si de L. Mumio loquaris, & dicas, Is qui Corinthũ euertit: ne quis existimet te de alio quopiã Mumio uerba facere. hac frequenter in describendis hominibus utitur Cicero. Decima dicitur ὡς τύπος, cum pro definitione ponitur aliquod exemplũ. ut, substantia est, ut animal: quantitas, ut linea: qualitas, ut scientia. quo genere utitur Aristoteles in Categorijs. Vndecima fit κατ' ἔνδειαν τοῦ πλήρους, hoc est, per defectum integri seu pleni. ut si quis quærat quid sit dodrans? & respondeamus, Dodrans est cui quadrans deest ad assem integrum: ita bes est, cui triens deest ad assem efficiendum. Duodecima fit κατ' ἔπαινον, hoc est per laudem. ut pro Cluentio: Lex est mens & animus & consilium & scientia ciuitatis. in secundo de Oratore: Historia est testis temporum, lux ueritatis, uita memoriæ, magistra uitæ, nuncia uetustatis. & in primo: Domus iurisconsulti est totius oraculum ciuitatis. & in Partitionibus: Eloquentia est copiose loquens sapientia. Sed huius generis plurimæ sunt etiam contrariæ, per uituperationem: ut, seruitus est extremum malorum omnium. Tertia decima est κατ' ἀναλογίαν, hoc est per proportionem, & rationis similitudinem. ut Cicero, Prætoris edictũ legis animam esse dicit. & tertio de Legib. magistratum ita definit, ut dicat esse legẽ loquentem: & contrà, legem ait esse mutum magistratum. Quartadecima κατὰ πρός τι dicitur, & fit in ijs quæ sub eandem rationem cadunt, quæ dialectici quidam Correlatiua nominant: ut, Pater est, qui filium aut filios habet: filius est, qui habet patrem. Cicero primo de Inuentione: Genus est, quod plures partes amplectitur: pars est, quæ subest generi. Quintadecima uocatur αἰτιώδης, in qua causæ ponuntur uel efficientes, ut, Dies est quando sol est super terram: uel quæ finem spectant, ut, Consilium est aliquid faciendi aut non faciendi uerè excogitata ratio. aliquando simul omnes causæ colliguntur: ut, Domus est substructio ex lapidibus & lignis, ab architecto habitandi gratia confecta,

confecta. hæc & huiusmodi cętera si qua sunt, præclarè scire & intelligere debet orator, quoniam frequenter occurrunt explicanda.

Idemq; etiam cum res postulabit, genus uniuersum in species certas, ut nulla neque prætermittatur, neque redundet, partietur, ac diuidet.

Ratio diuidendi, uel in partes tribuendi, & ad rem explanandam, et ad orationis copiam maximè utilis est. itaq; debet eam orator percipere. Boethius, qui librum de diuisione conscripsit, duo facit diuisionis genera, quorum alterum per se dicitur, alterum aduentitium. Diuisio per se tres continet species. uel enim genus in species, uel totum in partes, uel uocabulum in suas significationes diuiditur. Genus uniuersum in species suas ita diuidi debet, ut nulla neque prætermittatur, neq; redundet. ut primo de Officijs Cicero diuidit uirtutem in prudentiam, iustiam, fortitudinem, & temperantiam. eadem diuisio fit, cum genus differētijs diuiditur: ut animalium aliud est rationis particeps, aliud expers. Totius in partes diuisio est, cū aliqua res integra distribuitur: ut Rhetorica in inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriā, pronūciationem: Dialectica in rationem inueniendi, & iudicandi. hoc genere diuisionis frequenter utuntur oratores, cum totas causas partiuntur. Vocabulum aliquando diuiditur in significationes suas, ne qua accidat in dicendo ambiguitas, quæ sæpius distinctio quàm diuisio nominatur. ut cum dicimus, canem tria significare: primò animal quod latrat, secundò piscem marinum, tertiò sidus cœleste. Cicero pro A. Cecinna hoc genere diuisionis utitur, cū ait: Hoc uerbum Vnde, utrūq; declarat, & ex quo loco, & à quo loco. Vnde deiectus est Cinna? ex urbe. unde deiectus Carbo? ab urbe. Diuisio aduenticia, quam uocant per accidens, triplex est. uel enim ipsum subiectum in accidentia diuiditur: ut Cicero in Partitionibus hominum duo genera facit, alterum urbanum, alterum agreste. uel accidentia in subiectum tribuuntur, ut bonorum alia sunt in animo, alia in corpore, alia in fortuna. uel deniq; accidentia in accidentia, ut ex bonis alia propter se expetuntur, alia propter aliud. In hac igitur diuidendi ratione plurimum prodest exerceri, quia totam orationem perspicuam & illustrem efficit, multasq; dubitationes & quæstiones facile soluit.

Quando autem, aut quomodo id faciat, nihil ad hoc tempus: quoniam (ut suprà dixi) iudicem me esse, non doctorem uolo.

Neq; tempus, neque rationem ac modum definiendi aut diuidendi in hoc opere tradit, quoniam hoc loco se non magistrum, sed æstimatorem & iudicem profitetur. Iudex enim de re iam facta iudicat: doctor autem, quid sit faciendum præcipit. Multum igitur inter se differunt. quare nō mirum est, si non idem sequuntur.

Nec uerò dialecticis modò sit instructus, sed habeat omnes Philosophiæ notos & tractatos locos.

Non satis est, inquit, ut orator dialecticam perdiscat, quæ quasi clauis est, & organum totius Philosophiæ: uerùm debet etiam omnia quæ traduntur in Philosophia, benè cognita & tractata habere. quoniam non aliter satis pro dignitate causas agere poterit. Cum autē duplex Philosophia sit, moralis & naturalis, utranq; docet oratori necessariam esse: ac primo de morali uerba facit, quoniam reuera multo magis est necessaria, adeo ut sine ea uix possit orator fines suos tueri. quod primo de Oratore L. Crassus ita confirmat: Sed si me audierit, quoniam Philosophia in tres partes est distributa: in naturæ obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in uitam atq; mores: duo illa relinquamus, idq; largiamur inertiæ nostræ: tertium uerò, quod semper oratoris fuit, nisi teneb-mus,

mus, nihil oratori in quo magnus esse possit, relinquemus. Quare hic locus de uita & moribus, totus est oratori perdiscendus. hæc quidem Crassus. Sed hoc loco Cicero, uult etiam naturæ obscuritatem ab oratore cognosci, & inuestigari.

Nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de charitate patriæ, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de uirtutibus aut uitijs, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de uoluptate, nihil de perturbationibus animi & erroribus, quę sæpe cadūt in causas, sed ieiunius aguntur, nihil (inquam) sine ea scientia, quam dixi, grauiter, amplè, copiose dici & explicari potest.

Partem Philosophiæ quæ de uita & moribus tractat, omnino futuro oratori necessariā esse ostendit: quoniā sine illa res plurimę, quę sæpe in causas accidunt, nequaquā satis dignè tractari possint. Decē autē res potissimū hoc loco numerat, quæ si diligēter ab oratore tractētur, grauē, amplam, et copiosam orationē efficiunt: quæ omnes diligenter à Platone, nonnullæ etiā ab Aristotele traditæ sunt: quin etiā ipse Cicero pro uirili parte sua conatus est eas quā diligētissimè literis mandare. Prima est aūt, religio, quā rebus omnibus boni uiri pręferūt, de qua sępe oratores uerba faciūt: ut Cicero pro Domo sua ad Pontifices, & de respōsis Aruspicū, de hac in libris de Natura deorū, & de Legibus copiosè disputauit. Secunda est, mors: quoniā boni uiri moriētes, per religionē ad deos accedūt, ut in Phędone Socrates ait. de hac primo libro Tusculanarū quęstionū tam eruditè, tamq́ꝫ copiose tractauit Cicero, nihil ut adiungi possit. Tertia est, pietas, per quam sanguine coniunctis, patrięq́ꝫ bene uolis, officiū et diligēs tribuitur cultus. pro Plancio dixit Cicero, Pietas est uolūtas grata in parētes: sed in Somnio Scipionis, dixit pietatē esse magnā in parentib. & propinquis, tum in patria maximā esse. de hac sparsim multis in locis tractat Cicero. Quarta est, charitas patriæ, quæ omnes omniū charitates cōplexa est, ut primo de Officijs Cicero scribit. de hac multa Philosophi tradunt, et cōcludunt, nos magis patrię q̄ parētibus aut nobis ipsis debere: unde mortes pro patria oppetitæ, gloriosæ Rhetoribus uideri solent. Quinta bonas res & malas cōtinet, quæ uel in animo sunt, ut uirtus, uitiū, scientia, ignorantia: uel in corpore, ut robur, infirmitas, pulchritudo, deformitas: uel in fortuna, ut nobilitas, ignobilitas, diuitiæ, paupertas. hæc in exornationibus & uituperationibus, atq; etiā in accusationib. et defensionib. oratores accuratè persequunt. de his multa Cicero in libris de Finib. bonorū et malorū. Sexta uirtutes & uitia cōplectit, quibus refertæ sunt omnes orationes, ut nihil ferè possit orator dicere sine uirtutū & uitiorum cognitione: de quibus Aristoteles in Ethicis copiosè & ingeniose multa, nec minus diligēter in primo de Officijs Cicero. Septima, de officio est. nulla enim uitæ pars (ait Cicero) neq; publicis, neq; priuatis, neq; forēsibus, neq; domesticis in reb. neq; si tecū agas quid, neq; si cū altero cōtrahas, uacare officio potest: in eoq; colendo sita uitę est honestas omnis, et in negligēdo turpitudo. Sed de hac re tribus libris de Officijs tam elegāter & eruditè tractauit Cicero, nihil ut melius desiderari possit. Octaua est de dolore, qui sępe etiā magnos uiros cōmouet, et à recta uia, nisi fortiter resistant, abducit. uerùm Cicero secūdo Tusculanarum libro, tam multa de eo disputauit, ut huic quęstioni planè satisfecerit. Nona est, uoluptas, quę sæpe maiores animi partes à uirtute detorquet, inimica uirtuti, malorū autem mater omnium: quam tamen sæpe oratores, pręcipuè in deliberando proponunt, non doctis et urbanis hominibus, sed imperitis ac rusticis, ut in Partitionibus Cicero docet. de hac in libro de Senectute Cato maior, multa grauiter & copiose disputat, ex Architę Tatētini sentētia: primo uerò de Finibus, et se

cundo, tota hæc quæſtio perficitur. Decima & ultima eſt, de perturbationibus animi et, erroribus: ſine cuius rei cognitione, grauiores illos affectus, qui ſæpe concitandi ſunt, in quibus regnat oratio, non poterit orator intelligere, neq; audientiū animos ullo modo permouere. Sed ne quicquā omnino deeſſet nobis ad oratoriā facultatē, hanc rē Cicero tertio & quarto libro Tuſculanarū diligentiſsimè perſecutus eſt. Itaq; nō tantum Rhetorica præcepta, ſed omnē etiam moralem Philoſophiam à Cicerone facile perdiſcere poſſumus.

De materia loquor orationis etiam nunc, non de ipſo genere dicendi. Volo enim prius habeat orator rem de qua dicat, dignā auribus eruditis, q̄ cogitet quibus uerbis quicq; dicat, aut quomodo.

Hæc (inquit) quæ tractamus hoc loco, non ad genus dicendi, ſed ad materiam quam tractet, & in qua uerſetur orator, referenda ſunt. Oportet enim ut orator primò ſit inſtructus uariarum rerum ſcientia, et res dignas non tantum imperitis, ſed etiam eruditis auribus præparatas habeat. deinde cogitet quibus uerbis, & quo dicendi genere, in quaq; re utatur. De materia loquor.) Materiam appellat res, quæ ſubijciuntur oratori: hoc eſt, de quibus uerba facere debet orator. ſicuti materia medicinæ ſunt morbi, Arithmeticæ numeri, Muſicæ rhythmi & cantiones. nam unaquæq; ſcientia propriam habet & certam materiam, in qua uerſetur, præter dialecticam & rhetoricam. Etenim hæ duæ artes nullam definitam habent regionem, neque ullis certis finibus circunſcribunt ius ſuum, quo minus per omnes alias ſcientias uagari poſsint, & de omnibus rebus diſputare, & dicere. Nam Gorgias Leontinus, antiquiſsimus Rhetor, omnibus de rebus oratorem optimè poſſe dicere exiſtimauit: quam ſententiam ſequitur L. Craſſus in libris de Oratore, & in hoc opere uidetur ſequi Cicero.

Quem etiam quo grandior ſit, & quodammodo excelſior (ut de Pericle dixi ſuprà) ne Phyſicorum quidem eſſe ignarum uolo. omnia profectò, cum ſe à cœleſtibus rebus referet ad humanas, excelſius, magnificentiusq; & dicet, & ſentiet.

Naturalem etiam Philoſophiam percipere debet orator, quo grauior & ſublimior eſſe uideatur, quod Pericli accidit (ut ſuprà dictum eſt) quoniam Anaxagoræ Phyſici diſcipulus fuerat. Tractant autem naturales Philoſophi, qui græco uocabulo Phyſici uocantur, non tantum de principijs & cauſis rerum, ſed etiam de anima, & de rebus cœleſtibus, ut in libris Ariſtotelis uidere licet. Itaque ſi res illas cœleſtes ac diuinas didicerit orator, profectò cum aliquid de humanis dicere uoluerit, longè præſtantius & magnificentius id faciet. Quid enim excelſius, quàm (quod nos in quadam oratione noſtra diximus) cœleſtes etiam globos cogitatione penetrare, & quaſdam ibi naturas ab omni mortalitate ſeparatas eſſe intelligere, quarum ſumma ſit ratio ſempiterna, quam eandem mentem ſapientiamq; perfectā & Deum appellamus, omnium rerum quæ ſunt ei ſubiectæ conditorem, procurantem cœleſtia maximè, deinde in terris ea quę ad homines pertinent? Nouem orbibus connexa eſſe omnia, quorum in infimo Luna proſus horrida & tenebricoſa feratur, niſi Phœbi radijs illuſtretur, cuius mutabilitate maria nunc exurgant, nunc refluendo deprimantur. Supra Lunam æterna eſſe omnia, infra nihil niſi mortale & caducum, præter animos noſtros, qui Dei beneficio ſunt immortales. Inter ſe coniuncta eſſe rerum elementa concordi diſcordia, quæ uiciſsim generentur & corrumpantur, ita ut uiciſsitudine quadam omnia tenouentur, Quæ ſit tonitruum, fulminum, pluuiarum, uentorum cauſa: quæ

sa: quæ terrestrium, aquatilium, uolucrium, amphibiorum animalium natura sit: qua ratione fieri possit, ut certis momentis, atque eodem semper tenore tempora decedant. Cur nunc annus odorum suauitate, qui afflantur è floribus, & camporum atque collium amœnitate uernet: nunc maturos fructus afferat, nunc horrida tempestate teneatur. O iucunda naturæ contemplatio:

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primis,
Inq; domos superas scandere, cura fuit.

Cicero in Oratione pro Milone, de mente diuina grauissimè sentiens, ita inquit: Est est profectò illa uis, neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate nostra inest quiddam quod uigeat & sentiat, et non inest in hoc tanto naturæ, & tam præclaro motu. & quæ sequuntur. Hæc enim certè quę de rebus cœlestibus dicuntur, etiam infimorum hominum mentes erigunt, & altiora sentire quodammodo cogunt.

Cumque illa diuina cognouerit, nolo ignoret ne hæc quidem humana. Ius ciuile teneat, quo egent causæ forenses quotidie. Quid est enim turpius, quàm legitimarum & ciuilium controuersiarum patrocinia suscipere, cum sis legum & ciuilis iuris ignarus?

Ad eloquentiæ perfectionem opus est non tantum diuinarũ, sed etiam humanarũ rerũ cognitione. Atque in primis orator ius ciuile tenere debet: quoniã in forẽsibus causis quotidie accidit, ut aliquid ex iure ciuili disceptetur. Est aũt turpe, se patronũ in ciuilibus ac legitimis controuersijs profiteri, & ciuilis iuris ignarũ esse. Illa diuina.) Diuina uocat, ea quæ traduntur in Philosophia naturali: quoniã (ut Platonici uolunt) natura diuinitatis instrumẽtum est: uel quia rerum causas primas Physici quærunt, quæ à Deo ducuntur. unde etiam Deus natura melior dicitur, ut Ouidius:

Hanc Deus, & litem melior natura diremit.

Ius ciuile.) Inter humanas res ius ciuile numerat. at in primo de Legibus, conatur ostẽdere, legem esse rem diuinã, quam ita definit: Lex est ratio summa, insita in natura, quę iubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Sed lex aliquando ponitur pro ratione & prudentia naturali, qua intelligimus quid honestũ sit, & quid turpe: aliquando uerò pro humana cõstitutione, quod ius ciuile uocatur. Vnde Iuriscõsulti tripertitã iuris diuisionẽ faciunt. aliquod enim dicunt esse ius naturale, quod natura omnes animantes docuit: ut coniunctionis appetitus, procreandi causa: & cura quædam eorum quæ procreata sunt. aliquod autem ius gentium, quod apud omnes ferè gentes obseruatur: ut contractus, bella, seruitutes, legationes. aliquod denique ciuile ius, quod sibi quælibet ciuitas constituit: hoc est quod scire debet orator, ne in sua ciuitate peregrinus esse uideatur, et ut forenses causas commodius tractare possit. Quantum autem oratori sit utile ius ciuile, copiose primo de Oratore L. Crassus disputat.

Cognoscat etiam rerum gestarum, et memoriæ ueteris ordinem, maximè scilicet nostræ ciuitatis: sed & imperiosorum populorum, & regum illustrium. quem laborem nobis Attici nostri leuauit labor: qui conseruatis notatisque temporibus, nihil cum illustre prætermitteret, annorum septingentorum memoriam uno libro colligauit.

Historiæ cognitio cùm omni homini perutilis sit, tum oratori multo est utilisima. Verùm in edisscẽdis historijs illud obseruare debemus, ne minimas quasque res persequamur, sed eas tantum quæ possunt aliquid ad dicendum

utilitatis adferre: ut res gestæ, memoriæq; ueteris ordo, nostræ ciuitatis. Plurimum enim refert intelligere, quibus artibus maiores nostri, ex paruo imperio maximum effecerint. Et ex Romanis historijs tot exempla ad quamcunque causam sumi possunt, ut earum pene nunquam uerba sint defutura. Præterea populorum etiam apud quos maxima fuerunt imperia, & Regum atque Imperatorum excellentium res gestas cognoscere, non tantum utile, sed etiam iucundum est. Fuerunt enim populi potentissimi, qui res multas præclarissimè gesserunt: ut Athenienses, Lacedæmonij, Rhodij, Carthaginiẽses. Fuerunt etiam multi reges strenuissimi, ut Cyrus Persarum rex, Philippus Macedonum, & eius filius Alexander ille Magnus, innumerabilesq; alij, quorum facta dictaq; memoratu digna nosse multum iuuat.

Quem laborem.) Pomponius Atticus, eques Romanus, & Ciceroni familiarissimus, ad quem extant adhuc sexdecim Ciceronis Epistolarum libri, breuiter historias Romanas ab urbe condita conscripserat, & ordinem temporum ut quicque gestum erat, diligentissimè conseruarat atque notarat, adeò ut nihil prætermisisset eorum quæ illustria uidebantur. qui liber non extat amplius. Hoc est quod ait hoc loco Cicero, leuatum esse laborem eis qui uolunt historiam urbis Romanæ cognoscere, Attici labore atq; industria. Annorum septingentorum.) Tot enim anni ferè numerantur ab urbe condita, ad id tempus quo C. Cæsar rempublicam occupauit.

Nescire autem quid ante quàm natus sis acciderit, id est semper esse puerum.

Sententia pulcherrima, quæ facile quemuis possit ad historiæ cognitionem excitare. Magna enim ex historijs prudentia comparatur. unde uitæ magistram eam, M. Antonius secundo de Oratore nuncupat. Itaq; qui nescit historias, is maxima prudentiæ laude uacat, & ne inter uiros quidem computandus est. Qui enim tantum ea quæ uidit, & quibus interfuit, recordatur: quæ uerò antequam natus esset, acciderunt, penitus ignorat, is certè puer meritò dici potest. Vnde Homerus, cum Vlyssem suum prudentissimum uirum effingeret, statim eum ab historiæ cognitione laudauit, cuius uerba sic uertit Horatius:

Dic mihi Musa uirum, captæ post mœnia Troiæ
Qui mores hominum multorum uidit, & urbes.

Quid enim est ætas hominis, nisi cùm memoria rerum ueterum cum superiorum ætate contexitur?

Hæc est ratio præcedentis sententiæ. nam unius hominis ætas admodum parua est, adeò ut Euripides, nobilis Tragicus, unum diem esse dixerit: & Demetrius Phalereus Euripidem reprehendisse dicitur, quòd non potius στιγμὴν χρόνου, hoc est punctum temporis appellarit. Pindarus autem σκιᾶς ὄναρ, id est umbræ somnium, hominem esse dixit. Aeschylus eodem ferè modo καπνοῦ σκιάν, id est fumi umbram uocat hominis uitam. Nihil igitur ferè est unius hominis ætas. Verùm si contexitur & coniungitur cum memoria rerum ueterum, & cum ætate superiorum, tum demum aliquid esse uidetur.

Commemoratio autem antiquitatis, exemplorum'que prolatio, summa cum delectatione & auctoritatem orationi adfert, & fidem.

Triplex est utilitas historiæ atq; exemplorum in oratione. Prima est, quòd mirificam adfert auditori delectationem, omnes enim capiuntur commemoratione

ratione rerum, quas antea non audiuerunt, aut legerunt. Altera est, quòd auctoritatem uerbis oratoris adiungit, cum ea quæ dicit, exemplis antiquitatis & clarorum hominum corroborat. Tertia est, quòd fidem facit, & animos audientium mouet. quod enim exemplo fit, id etiam rectè fieri existimant. Duobus autem modis orator fidem facere solet (ut Aristoteles docet) hoc est, enthymemate & exemplo. sed quamuis enthymema maiorem habere uehementiam uideatur, tamen exemplum ad popularem intelligentiam est accommodatius. Vnde Aristoteles Ethicorum decimo dixit: Magis mouent exempla, quàm uerba. quod Macrobius in Saturnalibus ita quodammodo uidetur interpretatus: Plebeia ingenia magis exẽplis, quàm oratione, capiuntur.

Sic igitur instructus ueniet ad causas, quarum habebit genera primùm ipsa cognita.

Cum orator dialecticam, philosophiam, ius ciuile, historiam cognouerit, tum demum ad causas agendas accedere debet. Atq; in primis genera causarum intelligat: hoc est, iudicij, deliberationis, exornationis. tor enim sunt causarum, uel (ut Aristoteles sentit) Rhetoricæ genera: in quibus controuersiæ sunt, uel quæstiones, quæ constitutiones uocantur, quia litem quodammodo constituunt. Quoniam autem iudiciale genus frequentius est, & in causis forensibus dominatur, idcirco de illo potissimum Cicero uerba facit, & eius genera persequitur.

Erit enim ei perspectum, nihil ambigi posse, in quo non aut res controuersiam faciat, aut uerba.

Commodè partitur hoc loco Cicero iudicialium controuersiarum genera, qui Status appellantur. Vel enim (inquit) in re controuersia est, uel in uerbo. nam ex his duobus omnis constat oratio. Res enim orationis tanquam materia sunt, uerba uerò tanquam forma. itaq; cum omnia constent ex materia & forma, ita oratio ex rebus & uerbis constat. Sed de re tribus modis ambigere possumus. primò, utrum sit, necne: in quo ueritas est quærenda. deinde, quid sit: in quo uis & natura consideratur: tum qualis sit, in quo spectantur euenta, siue accidentia. De uerbo quærere possumus, an plura significet, in quo ambiguitas est soluenda: an contrarium quid habeat, quod refellendum sit.

Res aut de uero, aut de recto, aut de nomine: uerba aut de ambiguo, aut de contrario.

Res primò quæritur, an sit uera. ut: Accusatur Roscius parricidium commisisse: Cicero Roscij patronus hoc negat, & non commisisse ait: quæritur, an commiserit? hic quoniam de ueritate quæritur, & coniecturis agendum est, coniecturalis constitutio uel status dicitur: & quia reus inficiatur, dicitur etiam inficialis. Hoc in statu tota est oratio pro Roscio Amerino, & pro P. Sylla, & pro Deiotaro, & pro L. Flacco, & pro Cn. Plancio. Quòd si de ueritate rei constar, sed patronus rectè factum esse defendit, tunc constitutio nascitur, quę iuridicialis appellatur, uel generalis, uel qualitatis. ut, accusatur Milo quòd Clodium interfecerit: hoc Milo nõ negat, sed à se iure interfectũ defendit: est igitur controuersia de recto, uel de iure. hoc in statu est oratio pro Milone, & pro Rabirio Posthumo, et pro P. Sestio, et pro Cornelio Balbo. Si uerò de rei nomine controuersia est, quod aliud alij uideatur, tunc nascitur controuersia quæ definitiua nominatur, quoniam definitione uis et natura rei explicanda est, ut, accusatur C. Rabirius, quòd maiestatem populi Romani imminuerit, quoniam contra Saturninum Tribunum plebis arma sumpsit:

psit: Cicero patronus nō negat, à Rabirio contra Saturninum arma sumpta, sed maiestatem non esse imminutam defendit. definiendum igitur est, quid sit maiestatem imminuere. in hac constitutione est oratio pro C. Rabirio, & pro A. Cecinna. Quando uerò non in re, sed in uerbo controuersia est, tunc status fiunt qui legitimi à quibusdam uocantur, quoniam frequenter in uerbis legum accidunt. hos alij plures, alij pauciores faciunt. Cicero primo de Inuentione quinque facit: ex scripto & sententia, ex contrarijs legibus, ex ambiguo, ex ratiocinatione, & ex definitione. hoc loco duos tantum ponit, hoc est, ambiguum & contrarium, quoniam ad hos duos reliqui deduci posse uidentur: ut scriptum & sententia & definitio ad ambiguum, ratiocinatio ad contrarium. ita duo tantum fient.

Nam siquando aliud in sententia uidetur esse, aliud in uerbis, genus est quoddam ambigui, quod ex præterito uerbo fieri solet, in quo (quod est ambiguorum proprium) res duas significari uidemus.

Ostendit quomodo scriptum et sententia reducatur ad ambiguum. nam ambiguorum propriū est, duas, aut etiam aliquando plures res significare. Quoties autem aliud sensisse scriptor uidetur, aliud scripsisse, tunc ex eo nascitur ambiguum, quod in scripto non sint rectè omnia explicata, sed aliquod uerbū præteritum esse uideatur. quæ res efficit, ut scriptum duas habere significationes possit. ut secundo de Inuentione Cicero: Meretrix coronam auream ne habeto: si habuerit, publica esto. potest enim intelligi de meretrice, quòd publica esse debeat, & de corona. sed si unum uerbū addideris, hoc modo: Meretrix coronā aureā ne habeto: si habuerit, corona publica esto: iam nulllum est ambiguū. Perspicuū est igitur, quomodo ex præterito, hoc est prętermisso uerbo, fieri soleat ambiguum, ex scripto & sententia.

Cum tam pauca sint genera causarum, etiam argumentorum pręcepta pauca sunt: traditi sunt, è quibus ea ducātur, duplices loci, uni è rebus ipsis, alteri assumpti.

Hactenus causarum & constitutionum genera breuiter explicuit, quæ sanè pauca sunt. nunc adiungit, etiam argumentorum præcepta non ita multa esse, quę ducunt ex locis traditis in arte inueniēdi, quę Topice dicitur. Nam probatio rhetorica duplex est, ut Aristoteles docet. altera ἔντεχνος dicitur, id est artificiosa: altera ἄτεχνος, id est artis expers. hæc autem quæ dicitur artis expers, testimonia continet, de quibus in Topicis multa Cicero: illa quæ dicitur artificiosa, sumitur ex locis, qui in eo ipso de quo agitur, hærent. Hi uerò quatuor & in Topicis, & in Partitionibus à Cicerone numerantur: hoc est, definitio, partium enumeratio, notatio, res affectæ. Sed res affectæ in tredecim partes distribuūtur: hoc est, coniugata, genus, formam, similitudinem, differentiam, contrarium, adiuncta, antecedentia, consequentia, repugnantia, causas, effectus, comparationem maiorum, aut parium, aut minorum. de quibus, quoniā in Topicis agitur copiose, satis erit eos hoc loco numerasse. Hi sunt loci quos è rebus ipsis duci ait. nam quos uocat Assumptos, illi sunt, qui ad testimonia pertinent.

Tractatio igitur rerum efficit admirabiliorem orationem. nam ipsæ quidem res in perfacili cognitione uersantur.

Res appellat hoc loco Cicero, genera causarum, & argumenta quibus confirmantur: quarum admodum facilis est cognitio. Quis est enim tam tardus, qui non breui tempore præcepta omnia quæ traduntur in arte, possit discere?

scere? Sed illud difficilius, & admirabilius, cum ea didiceris, bene uti scire, & commodè tractare. Non igitur cognitio rerum & præceptorum difficilis est, sed ipsa tractatio, quæ solet orationem admirabiliorem efficere, quoties eam optimè rebus accōmodat. Nam ipsæ quidē res.) Sententia est uerissima. Multi enim reperiunt, qui tanquam nomē et digitos suos res omnes quæ tradunt à Rhetoribus tenent, & tamen ab eloquētia absunt quàm lōgissimè.

Quid enim iam sequitur, quod quidem artis sit, nisi ordiri orationem, in qua aut concilietur auditor, aut erigatur, aut paret se ad discendum?

Cognitis rebus quæ ad probationē causarum pertinent, oportet etiam orationis partes intelligere: quas in Partitionibus quatuor ait esse. quarū duæ ad motum animorū referantur, exordium & conclusio, siue peroratio: duæ uerò ad rem & causam docendam atque informandam, narratio, & confirmatio. quas partes etiam hic sigillatim explicat: & primò, quomodo sit exordiendum, edocet. Illud, inquit, etiam artis est, scire quomodo ordiri orationem oporteat. Fit autem exordium auditoris tantum gratia, in quo tria præcipuè conamur efficere: ut sit beneuolus nobis auditor, ut sit attentus, ut sit docilis. Hoc est quod ait Cicero: ut concilietur auditor nobis, & amicus fiat: ut erigatur, & attentè audiat, ut paret se ad discendum & intelligendum ea quæ dicturi sumus. quæ quomodo fiant, primo de Inuentione diligenter explicat. Hic autem contentus est, sine præceptis ea commemorare, quæ orator efficere debeat.

Rem breuiter exponere, & probabiliter, & apertè, ut quid agatur intelligi possit.

Secunda pars orationis Narratio est, in qua rem ut gesta est, uel perinde ut gesta esset, exponimus. ea tres uirtutes habere debet, quas hoc loco tangit Cicero. Debet enim esse breuis, & probabilis, & aperta, ut facilè possint intelligere Iudices quid agat̄. est enim narratio, quasi fundamentū confirmationis: in qua spargēda sunt argumentorū semina uaria, quę deinde copiosius in confirmatione tractentur. Est autem narratio ferè tantum in iudicialibus controuersijs. nam in exornationibus amplificatio perpetua est, quoniam id genus ferè ad ostentationem & delectationem comparat̄. in deliberationibus non sæpe narrandum, quoniam narratio præteriti est, deliberatio futuri. itaque in iudicijs longè frequentius, & ferè semper narramus: quoniam omnia iudicia de præteritis fiunt.

Sua confirmare, aduersarij euertere, eaq; efficere non perturbatè: sed singulis argumentationibus ita cōcludendis, ut efficiat̄ quod sit consequens ijs quæ sumentur, ad quanque rem confirmandam.

Tertia pars orationis Fides, seu Confirmatio dicitur, quam Aristoteles solam putat esse necessariam. Ea dupliciter tractatur. uel enim in confirmandis nostris rationibus uersatur, uel in refellendis aduersariorum: qua in parte tota spes uincendi, ratioq; persuadendi posita est. nam (ut ait Cornificius) cum adiumenta nostra exposuerimus, contrariaq; dissoluerimus, absolutè nimirum munus oratoriū cōfecerimus. dialectici certè, atq; philosophi tantum hac parte utunt̄: quoniā non mouere animos quærūt, sed probare & docere. Videndū autem in cōfirmatione et refutatione, ne quid perturbatè fiat: sed ita singulæ concludant̄ argumentationes, ut ex ijs quæ sumpta sunt ad rem cōfirmandam, cōclusio necessaria eliciat̄. ut ꝓ Roscio Am. primò ostēdit eū à quo

pater interficiatur, sceleſtiſsimum ac perditiſsimis eſſe moribus, et in plurimis antea ſceleribus uerſatum eſſe oportere: deinde probat Roſcium uirum ſemper fuiſſe probum, et ab omni ſcelere alienum. quibus ita ſumptis, ad rem confirmandam illud conſequens eſt, ut à Roſcio pater non ſit interfectus.

Poſt omnia perorationem inflammantem, reſtinguentem'ue concludere.

Quarta et ultima pars orationis eſt Peroratio, quæ tantum ad concitandos aut ſedandos animos adhiberi ſolet: in qua parte præcipuè regnat Cicero, ut ipſe de ſe dicet inferius. Tribus autem modis potiſsimum cōcludere ſolemus. Vel per enumerationem, quæ ἀνακεφαλαίωσις græcè dicitur, cum breuiter capita rerum, quæ in tota oratione ſparſæ ſunt, repetimus: quod in deliberationibus frequenter fieri ſolet. uel per indignationem, cum in aduerſarios noſtros iudices inflammare uolumus: quod fit in accuſationibus. nonnunquam etiam in defenſionibus, quæ recriminationem habent: ut pro Roſcio Amerino. uel denique per conqueſtionem, cum reſtinguere ac mitigare animos uolumus, ab aduerſarijs concitatos: uel ad miſericordiam mouere, ut nobis facilius parcant, & abſolutos dimittant. Hoc loco Cicero prætermiſit enumerationem, uel quia non ita frequenter in iudicijs adhibetur, uel quia ſit aut inflammandi aut reſtinguendi cauſa: atque ita duabus reliquis rebus accommodatur, neque per ſe concluſionem efficit. Debet autem in iudicijs, peroratio partium omnium eſſe uehementiſsima & concitatiſsima, quo poſſit animos ad ſe rapere, & quò uoluerit impellere.

Has partes, quemadmodū tractet ſingulas, difficile dictu eſt hoc loco. nec enim ſemper tractantur uno modo.

Partes orationis numerauit, quidq; in ſingulis faciendum ſit, breuiter dixit. Nunc adiungit, difficile eſſe hoc loco modum oſtendere, quo tractari ſingulæ debeant: quoniam non uno modo, ſed uariè tractari ſolent. ut aliter exordiri ſolemus cum honeſtā cauſam habemus, aliter cum dubiam, aliter cum humilem. Præterea ſæpe uidendum eſt quomodo ſint affecti auditores, utrum ſint à nobis alieni, an perſuaſi, an defatigati audiendo. nam cum hæc acciderint, tunc in exordijs ſtatim remedia ſunt adhibenda per inſinuationem. Quin etiam narrationis, confirmationis, perorationis non unum, ſed uaria genera ſunt, quæ perſonis & temporibus accommodantur ex oratoris prudentia.

Quoniam autem non quem doceam quæro, ſed quem probem, probabo primùm eum qui quid deceat uidebit.

Quanta uis eſſet decori, iam ſuperius oſtenſum eſt. Hoc igitur loco, quia ſe non docere, ſed quærere quem probet, ait Cicero: uult eam eſſe primam oratoris laudem, ſi uidet in quaque re quid deceat. nam (ut in ſecundo de Oratore tradit Antonius) Roſcius ſæpe dicere ſolebat, caput eſſe artis, decere quod facias. adeò nihil omnino probari poteſt, quod indecorè fiat. Prima igitur uirtus eſt in oratore, decori cōſeruatio.

Hæc enim ſapientia maximè adhibenda eloquenti eſt, ut ſit temporum perſonarumq; moderator.

Non aliter ſeruare decorum poteſt uir eloquens, niſi tempora diligēter, & perſonas reſpiciat. hoc eſt quod ait Cicero, hanc ſapientiam oratori eſſe maximè adhibendam, ut pro temporibus & perſonis orationem ſuam moderetur. cuius rei rationem ſtatim adiungit,

Nam

Nam nec semper, nec apud omnes, nec cōtra omnes, nec pro omnibus, nec omnibus, eodem modo dicendum arbitror.

Tempora primò sunt ab oratore distinguēda, ne semper eodem modo dicat. aliter enim belli tempore dicendū est, aliter in pace: aliter cum res aduersę sunt, aliter cum secundæ. Deinde considerandæ sunt personæ, apud quas habetur oratio. Neq; enim apud omnes eodem modo dicendū est. ut si apud Iudices aut Senatum habēda sit oratio, aliter dicemus, quàm si apud populum concionemur: & aliter apud eruditos & urbanos, aliter apud imperitos & agrestes dicere consueuimus. Nec contra omnes.) Aduersariorum persona pro dignitate tractanda est. Sunt enim aliqui aduersarij uehementer insectandi: ut pro Milone, Clodiani: pro Roscio Am. Capito, & Magnus, & Chrysogonus: pro Cluentio, Sassia mater. aliqui grauiter laudandi, leniterq; refellendi: ut pro L. Man. Hortensius, & Catulus. aliqui facetè eludendi, ut pro P. Quintio, Sex. Næuius: & pro A. Cecinna, Sex. Ebutius. Sunt etiam aliqui uariè tractandi, ut pro Cælio, Clodia. Nec pro omnibus.) Reorum etiam persona uariè tractatur. plurimum enim refert qua de re quis in iudiciū uocetur. ut aliter dicit Cicero pro Roscio parricidij reo, aliter pro Quintio, cuius bona Sex. Næuius possedisse se dicebat. Quin etiam aliter pro Rege aut Principe, aliter pro homine priuato dicendum est: quod innuit Cicero pro rege Deiotaro. Nec omnibus.) Non omnes oratores debent eodem modo dicere. nam quisque naturam suam noscere debet, ita quid se deceat facile poterit intelligere.

Is erit ergo eloquens, qui ad id quodcunque decebit, poterit accommodare orationem. quod cum statuerit, tum ut quicque erit dicendum, ita dicet: nec satura ieiunè, nec grandia minutè, nec item cōtrà. sed erit rebus ipsis par & æqualis oratio.

Concludit, eum eloquentē appellari posse, qui sciat orationem rectè rebus ipsis accommodare, ut eis par & æqualis esse uideatur. Est enim oratio quasi uestitus quidam rerum quæ tractātur. itaq; non aliter cōgruere debet rebus oratio, quàm uestis corpori. Rectè enim Agesilaus Lacedæmoniorum rex, cum audisset, Sophistam quendam maximè laudari, quòd res minimas dicendi artificio maximas efficeret, dixit: Ego cerdonem minimè bonum esse iudico, qui paruo pedi magnum calceum inducat. Quintilianus libro sexto: Nam in paruis, inquit, litibus, has tragœdias mouere, tale est, quasi personam Herculis & cothurnos aptare infantibus uelis. Eloquens igitur, ut quicque erit dicendum, ita dicet. Nam si quæ res sunt saturæ, hoc est plenæ, & quæ magna dicendi copia explicari possunt, non eas ieiunè & exiliter tractabit orator, esset enim indecorum: sed quantam maximam poterit, ubertatem orationis illis adiunget. ita si grandia sublimiaq; tractanda susceperit, non ea minutè, tenuiterq; dicet, sed omnem dicendi uehementiam adhibebit: atque ita de reliquis. Hoc autem ideo facere debet, ut oratio neque grandior, neque summissior rebus ipsis, sed par & æqualis efficiatur. nam amplificationes, quibus frequenter utitur orator, res quidem augent, sed ita tamen, ut non eas à proprio genere abducant.

Principia uerecunda, non elatis intensa uerbis, sed acuta sententijs, uel ad offensionem aduersarij, uel ad commendationem sui.

In singulis etiam orationis partibus decorum est conseruandū. nam exordium debet esse uerecundū: hoc est, modicè exornatū, et minimū habens concinnitudinis, grauitatis autem plurimū: ut primo de Inuent. docet. neq; enim decet in exordio statim uerbis uti magnificis & sublimibus, ne qua suspicio

præmedita-

præmeditationis exoriatur: sed acutæ debent esse sententiæ, quæ uel aduersarios offendant, uel nobis fauorē concilient. Huius autem rei exemplū poterit esse exordium pro Milone, quod maximè uerecundum est, & æquabile: statimq; ab acuta sententia incipit, qua sibi fauorē conciliat, cum ait, Turpe esse pro fortissimo uiro dicere incipientem, timere. & ita persequitur, ut totum illud principium acutis sententijs refertum sit.

Narrationes credibiles, nec historico, sed propè quotidiano sermone explicatæ dilucidè.

Narratio decora fiet primò, si talis fuerit, ut facilè credi possit, & rebus, personis ac temporibus cōueniet: deinde si nō historico sermone, sed propè quotidiano, dilucidè fuerit explicata. Nec historico.) Sæpe enim historici grauius insurgūt, quàm narrationi ciuili cōueniat, & tracta quadam atq; fluenti oratione utunt: ueritateq; dicenda contenti, nihil astutè, nihil subdolè dicunt, sed omnia simpliciter & ornatè. Orator autem quoniam ad fidem faciēdam, non ad ueritatem: dirigit narrationem suam, ideo probabiliter quidem studet dicere, sed plerunq; ueris falsa miscens, & tenuiter dicens, iudicem captare conatur. id autem dilucido sermone facit.

Dein si tenues causæ, tum etiam argumentandi tenue filum, & in dicendo & in refellendo: idq; ita tenebitur, ut quāta ad rem, tanta ad orationem fiat accessio.

Confirmatio ac refutatio decora fiet, si generi causæ accommodabitur, ut si tenuis causa fuerit, etiam orator tenue filum argumentandi sequatur: si paulò grandior fuerit causa, etiam oratio proportione crescat: ut quanto res maior fuerit, tanto etiam grandior fiat oratio. Tenues causæ.) ut pecuniariæ, & centumuirales. Tenue filum.) Ponit Cicero filum pro genere dicendi, ut in libro de Amicitia: Sed aliud quoddā expetimus filum orationis. de Oratore tertio: Sed erant paulò uberiore filo. Ponitur ergo tenue filum pro summisso & acuto dicendi genere, ut Horatius:

Tenui deducta poemata filo.

& crasso filo dixit Cicero, quod ostendere uolebat non satis politū & limatū.

Cùm uerò causa ea inciderit, in qua uis eloquentiæ possit exprimi, tum se latius fundet orator, tum reget & flectet animos, & sic afficiet ut uolet: id est, ut causæ natura, & ratio loci, & temporis postulabit.

In causa publica, grauiq; debet orator se latius fundere, & omnem eloquētiæ uim expromere, quo regere ac flectere possit animos, atque ita ut uolet afficere. Sic autem afficere uelle debebit, ut causa, locus, & tempus postulare uidebitur. Cum uerò causa.) Neque enim in omni re uis eloquentiæ potest expromi, sed sunt causæ tam tenues, ut in eis exultare nullo modo possit oratio. Vnde illi faciunt improbè atque imperitè, qui ex una oratiuncula de tota facultate alicuius eruditi uiri iudicare uolunt. Latius fundet.) à fluuio, uel torrente sumpta metaphora. Vt causæ natura.) Tria præcipuè considerare debet orator: causæ naturam, locum, & tempus. Neque enim dubium esse potest, quin causæ natura plurimum ualeat ad orationem uel grandiorē, uel tenuiorem efficiendam. Tempus etiam interdum cogit oratorem breuius dicere. quod pro C. Rabirio Cicero cōqueritur, sibi semihoram tantum ad dicendum à Labieno præstitutā esse. Quantū autem loci natura possit in dicendo, planè declarat in oratione pro Deiotaro Cicero, cum ait: Moueor etiā loci ipsius insolentia, quod tantā causam, quantā nulla unquā in disceptatione uersata est, dico intra domesticos parietes, dico extra cōuentū, & eam frequē-

tiam,

tiam, in qua oratorũ ſtudia niti ſolent. & paulò poſt: Quæ quoniam anguſtiora parietes faciunt, actioq́ȝ cauſæ maxime debilitatur loco, &c.

Sed erit duplex omnis eius ornatus ille admirabilis, propter quẽ aſcendit in tantum honorem eloquentia. Nam cùm omnis pars orationis eſſe debet laudabilis, ſic ut uerbum nullum niſi aut graue, aut elegans excidat: tum ſunt maximè luminoſæ, & quaſi actuoſæ partes duę: quarum alteram in uniuerſi generis quęſtione pono, quam (ut ſuprà dixi) Græci appellant θέσιν: alteram in augendis amplificandisq́ȝ rebus, quæ ab eiſdem αὔξησις eſt nominata.

· Docet quomodo latius ſe fundere poſsit orator, & omnẽ eloquentiæ uim expromere. Duplex eſt, inquit, ornatus admirabilis, propter quem in magno precio eſt eloquentia. alter in locis communibus eſt, alter in amplificatione. Quamuis enim tota oratio debeat eſſe laudabilis & ornata, neq́ȝ ullum uerbũ admittere, quod non grauitatẽ aliquam aut elegantiã præ ſe ferat: tamen duę partes magnũ ſplendorẽ & uim afferũt orationi: hoc eſt, quæſtio infinita, quæ θέσις dicitur, & amplificatio, quæ αὔξησις nominatur. hæ uerò duæ res in omnibus orationis generibus præcipuè dominantur. Nam ab infinita quæſtione, quæ etiam theſis, et propoſitũ, et conſultatio, et locus cõmunis dicitur, omnis probationis uis pẽdet. unde ſecũdo de Oratore M. Antonius ait: Omnes cõtrouerſias ad uniuerſi generis uim & naturam referri. cuius rei cauſa eſt, quia nulla argumẽtatio uerè concludi, neceſſarioq́ȝ poteſt, in qua nõ aliquod generale pronunciatũ ſit, ex quo tota uis cõcluſionis eliciatur. omne igitur eloquẽtiæ lumẽ, & dicendi uis atq́ȝ copia, manat à locis cõmunibus, qui ſi ſcienter tractentur, admirabilẽ totam efficiũt orationẽ. ut pro Roſc. Am. de ſupplicio parricidarũ: ſeptima actione in Verrem, de ciuibus Romanis ſupplicio affectis: pro Milone, de ui repellẽda ex naturali lege. Quin etiã in cauſis omnibus adiungitur cõmunis locus: ut Cicero nõ ſimpliciter in Catilinam inuehiť, ſed in Catilinam proditorẽ patriæ, quoniã omnis patrię proditor exterminãdus eſt. neq́ȝ ſimpliciter dicit Clodiũ iure interfectũ, ſed Clodiũ inſidiatorẽ: quoniam omnes inſidiatores iure interficiunť. Ex his ſatis apparet, quare Cicero partem hanc orationis, quæ de uniuerſo genere eſt, luminoſam atq́ȝ actuoſam appellarit: quoniã magnum ſplendorẽ & uehementiã actioni tribuit, & ad probandum maximè neceſſaria eſt. Alrera uerò, quæ dicitur amplificatio, magis ad animos mouẽdos pertinet. eius proprius locus eſt in peroratione: ſed nonnunquã etiam exordio conuenit, in quo debent animi cõmoueri. quin etiam poſt firmã argumentationẽ ſæpe adhibeť. In Partitionibus amplificationem appellat uehementẽ argumentationẽ. Quot aũt modis fiat amplificatio, docet Quintilianus libro octauo. ait enim, aut per incrementũ, aut per cõparationem, aut per ratiocinationẽ, aut per congeriẽ fieri: quod exẽplis probat.

Quæ etſi æquabiliter toto corpore orationis fuſa eſſe debet, tamen in communibus locis maximè excellet: qui communes appellati, eo quòd uidentur multarum ijdem eſſe cauſarum, ſed proprij ſingularum eſſe debebunt.

Amplificatio per totum orationis corpus diffunditur: hoc enim oratoris proprium eſt, ut dicendo res omnes augere atq́ȝ amplificare ſciat. ſed tamen in communibus locis elucere maximè ſolet. Declarat autem, qui ſint cõmunes loci, & cur ita appelleń. Quoniam, inquit, ijdem multarũ eſſe cauſarũ uidentur: ſed ita tamẽ tractari debẽt, ut ſingularũ proprij fiant. Sunt aũt cõmunes loci, qui de omnibus eiuſdem generis rebus dicunť, & uel in laudẽ, uel in uituperationem

perationem dicuntur. In laudem, ut de magno imperatore, de prudente iuris-cōsulto, de poeta egregio, de summo oratore. in uituperationē, ut in latronē, in aleatorē, in sicarium, in insidiatorē, in patriæ proditorem. hæc enim generatim sine certis personis pronunciata, communes loci dicuntur: sed additis personis, proprij singularum causarum loci fiunt. ut de Pompeio Magno Imperatore, pro L. Man. de Archia poëta egregio, pro Archia: in latronem Antonium, secunda Philippica: in Clodium insidiatorem, pro Milone.

At uerò illa pars orationis, quæ est de genere uniuerso, totas causas sæpe continet.

Quæstionem infinitā, in qua de uniuerso genere quæritur, partem orationis appellat: non quòd inter eas partes ex quibus oratio constituitur, sit enumeranda, quæ sunt quatuor (ut suprà dictum est) exordiū, narratio, confirmatio, & peroratio, quæ certæ sunt, & ferè perpetuæ: sed quòd eis partibus frequenter adhibetur. ut non propriè, sed communiter dictæ orationis pars sit. hæc (inquit) orationis pars frequenter totas causas continet, quoniam (ut suprà dixi) omnis ab ea probatio pendet.

Quicquid est enim illud in quo quasi certamen est controuersiæ, quod græcè κρινόμενον dicitur, id ita dici placet, ut traducatur ad perpetuam quæstionem, atque ut de uniuerso genere dicatur.

Docet quæ causæ sint illæ, quas totas infinita quæstio sæpe continet. Cum enim tres sint rerum controuersiæ, an sit, quid sit, quale sit: in duabus posterioribus, quarum altera definitione, altera qualitate explicatur, orator ferè semper de uniuerso genere dicit. in eis enim τὸ κρινόμενον, quę latinè iudicatio dicitur, ex ratione defensoris, & ex accusatoris firmamento nascitur. quo fit, ut statim controuersia traducatur ad perpetuam quæstionem, hoc modo: Accusatur Orestes, quòd matrem interfecerit: ille non negat, sed rectè factum defendit. illa enim (inquit) patrem meum interfecerat. At accusator: Quamuis, inquit, illa patrem tuum interfecisset, non tamen tu filius iure matrem occidere potuisti. hinc nascitur iudicatio de uniuerso genere, an filius aliquando iure matrem interficere possit. qua in iudicatione, nihil amplius Orestis personā facit. Idem accidit in definitione. ut accusatur C. Norbanus, quòd seditionem in populo concitarit: itaq; dicit accusator, ab eo maiestatem imminutam esse. defensor seditionem in populo concitatam non negat, sed tamen non ideo probat maiestatem imminutam: unde iudicatio nascitur generalis, quid sit maiestatem imminuere. Quoties igitur ita accidit, ut ex ratione & firmamento iudicatio nascatur, ad uniuersum genus confugiendum est. Sed quoties quæritur An sit, & coniecturis agendum est, tunc alia est ratio, itaq; subiungit Cicero:

Nisi cum de uero ambigitur, quod quæri coniectura solet.

Coniecturalis enim quæstio plurimū in personis uersari solet, itaq; nō tam facilè ad genus uniuersum traduci potest. ut pro Milone, cum quæritur uter utri insidias fecerit, de utriusq; persona, hoc est Clodij et Milonis, disputandū est, & utriusq; mores & uita est explicāda. Præterea quærendæ causæ, quæ dicantur ad insidias faciendas utrunq; cōmouisse. quo fit, ut in huiusmodi cōtrouersijs diutius in personis consistendum sit. Aliquando tamen etiam in coniecturis ad uniuersum genus cōfugimus, ut pro Rosc. Am. de uita rustica multa dicit, quam qui sequuntur, non soleant esse parricidæ, aut sicarij.

Dicetur autem non Peripateticorum more (est enim illorum

exercitatio

exercitatio elegans iam inde ab Aristotele constituta) sed aliquanto neruosius: & ita de re communia dicentur, ut & pro reis multa leniter dicantur, & in aduersarios aspere.

Aristoteles Peripateticorum princeps, adolescentes exercebat in contrarias partes, ut de locis communibus disputarent. quod etiam orator debet efficere, ut in utranque partem disputet: sed non tam leniter et summisse, quemadmodum Peripatetici solebant, in quorum oratione (sicut iam suprà dictum est) neque nerui neque aculei erant oratorij. Verùm aliquanto neruosius aget orator. & quamuis communiter de genere dicat, tamen multa leniter interponet, quæ ad rei defensionem pertineant: multa etiam contra aduersarios asperè miscebit. Dicetur autem.) De uniuerso genere scilicet. adhuc enim de quæstione ea loquitur, quæ ad uniuersum genus pertinet. Est enim illorum.) Parenthesis est, qua declarat qui fuerit mos Peripateticorũ. Appellat autem elegantem exercitationem, quoniam non ad morem Philosophorum tenuiter disserebant, sed ad copiam Rhetorum eleganter disputabant. Sed aliquanto neruosius.) In eo tantũ Peripatetici laborabant, ut probarent ac docerent: orator autẽ quærit etiã animos mouere. quo fit, ut maioribus eloquẽtiæ uiribus indigeat. nã oratorij nerui nihil aliud sunt quàm affectus, qui uel pro reo uel cõtra aduersarios concitantũ. Declarat autẽ, quid sit neruosius dicere: nempe de re proposita non tantum dicere quę communia uideantur, ut pro Rosc. Am. de parricidio, de uita rustica, sed etiam quæ reo prosint. ut in Roscio nullas fuisse indomitas cupiditates, qui ruri semper habitarit, & in agro colendo uixerit. Interim in aduersarios asperè multa conijcit, & ab eis occisum esse Roscium arguit.

Augendis uerò rebus, & cõtrà abijciendis, nihil est quod nõ perficere possit oratio: quod & inter media argumenta faciendum est, quotiescunque dabitur uel amplificandi uel minuendi locus, & penè infinitè in perorando.

Cum admirabilis ornatus duplex sit, alter in uniuerso genere, alter in amplificatione, & iam de genere dixerit: sequitur ut etiam de amplificatione dicat. Ac primò nihil esse ait, quod effici non possit amplificatione. deinde docet, quando sit amplificandum: nempe in confirmatione, & refutatione, quo firmiora & uerisimiliora uideantur argumenta. sed proprius amplificationis locus est peroratio. Itaque dixit, Penè infinitè in per orando: quoniam in peroratione commotis animis ea dicit orator, quæ omnino falsa sunt, & omnem ueritatem excedant, sed ea tamen ratio amplificationis excusat. ut pro Milone: O terram illam beatam, quæ hunc uirum exceperit: hanc ingratã, si eiecerit: miseram, si amiserit: & cætera multa eius generis. Neque enim aduentus Milonis in aliquam urbem poterat eam beatam reddere, neque discessus Romam miseram efficere. Augendis.) Vis oratoris in eo maximè perspicitur, si quoties opus est, uel augere, uel abijcere atque imminuere res nouerit. Itaque Rhetores antiqui tantum id profitebantur, se rationem docere, qua deterior res, dicendo melior fieret: & contrà, melior fieret deterior. Quod si quis diligenter aduertat, intelliget profectò, totas orationes ferè perpetuas esse amplificationes uel in maius, uel in minus. Quare non mirum, si illa uerba subiungit Cicero:

Duo sunt quæ bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciant, quorum alterum est quod Græci ἠθικὸν uocant, ad naturam, & ad mores, & ad omnem uitæ consuetudinem accommo-

datum: alterum quod ijdem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi, & concitantur, in quo uno regnat oratio.

Omnis amplificatio mouendorũ animorũ gratia fieri solet. Sunt autẽ duæ partes orationis, in quibus orator animos mouere studet, exordiũ & peroratio. Itaq; duo sunt etiam motionũ, siue (ut Quintilianus uocat) affectuũ genera. Alterum mite atq; lene, quod ad uiuendi rationem & mores pertinet: omnes enim honestatis nomine commouentur. atq; hoc exordijs ferè adhiberi solet, in quibus plerunq; sententiæ debent esse grauissimæ. hoc genus à Græcis dicitur ἠθικὸν, latinè potest appellari morale. Quintilianus ait, hoc genus non solum mite ac placidum, sed plerunq; blandum et humanum, & audientibus amabile atq; iucundum esse, quo mores dicẽtis ex oratione perluceant. Alterum genus longè uehementius est, quo perturbantur animi, & concitantur: quod in perorationibus dominatur, ubi non docendi, sed impellendi sunt animi. Græci genus hoc παθητικὸν uocant. Quintilianus ait à latinis hoc propriè affectum appellari, quod Tragœdiæ simile sit, cum illud superius comœdiæ similitudinem habeat: quo de genere, secundo de Oratore M. Antonius, et libro sexto Quintilianus multa dixerunt. Sed illud uterq; præcipuũ esse docet, ut cum alios mouere uolumus, prius moueamur ipsi. quod eleganter Horatius ita ait:

— Si uis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi, tum tua me infortunia lædent.

Illud superius come, iucundum, ad beneuolentiam conciliandam paratum: hoc uehemens, incensum, incitatum, quo causæ eripiuntur: quod cum rapidè fertur, sustineri nullo modo potest.

Qualitatibus hæc duo genera distinguit. nam id quod ad mores attinet, multo est, remissius, & quandam præ se comitatem atq; iucunditatẽ fert: nam tantum beneuolentiæ conciliandæ gratia paratur. hoc autem quod ad perturbandos animos adhibetur, longè maiorem uim habet. nam sæpe causas è manibus aduersariorum & iudicum eripit: & nemo tam constans est, qui non ab eo flectatur. Come.) ut pro Cœlio: Tecum Atracine agam leuius, quod & pudor tuus moderatur orationi meæ, & meum erga te, parentemq; tuum beneficium tueri debeo. sed tota ferè illa oratio comis est, & iucunda. Hoc uehemens.) Tribus epithetis ornat genus illud παθητικὸν: quòd sit uehemẽs propter copiam, more niuium hybernarum: incensum, propter impetum ac uim quasi fulminis: incitatum, in torrentis modum omnia secum trahentis Huius generis plurima sunt apud Ciceronẽ exempla: ut in Verrem, in Catilinam, in Antonium.

Quo genere nos mediocres, aut etiam multo minus, sed magno semper usi impetu, sæpe aduersarios de statu omni deiecimus.

Vbiq; modestè quidem de se loquitur Cicero, sed ita tamen, ut se cæteris præponat oratoribus. Nam in hoc genere incenso & incitato se mediocrem fuisse ait, sed tamẽ tanto impetu uti solitum, ut aduersarios sæpe deijceret. Itaq; dictus est in iudicijs regnare, & rex iudiciorum, ut Plutarchus testatur.

Nobis pro familiari reo summus orator nõ respõdit Hortẽsius. A' nobis homo audacissimus Catilina in Senatu accusatus obmutuit, nobis priuata in causa magna & graui, cũ cœpisset Curio pater respõdere, subitò assedit, cum sibi uenenis ereptam memoriã diceret.

Tribus exemplis probat, sæpe à se aduersarios de omni statu fuisse deiectos. Primum, cum Verrem, qui Siciliam expilarat, Hortensio defendente, accusaret, tanto impetu accusationis usus est, ut exterritus Hortensius, non responderit. Secundum, cum esset consul, & in Senatum Catilina uenisset, tam atrociter in eum inuectus est, ut quamuis esset audacissimus Catilina, obmutuerit. extat adhuc oratio illa. Tertium, cum pro Ticinia Cottæ in priuata causa diceret, adeò Curionem aduersarium fregit, ut repentè totam causam oblitus sit: cumque nesciret quid responderet, dixit id sibi Ticiniæ ueneficijs accidisse. Erat autē Curio tam infirma memoria, ut aliquoties tria cum proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quæreret: quod in libro de Claris oratoribus scribit Cicero.

Quid de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus quod etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant: in quo ut uiderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar.

In hoc uno non tantum cæteris oratoribus, sed etiam ipsi Demostheni longè præstitit Cicero, quòd affectus mouere, & ad misericordiam flectere iudicum animos optimè nouerat. Nam Demosthenes Atheniensium consuetudine & lege impeditus, huic rei operam nauare non potuit: in qua tantum Cicero profecit, ut etiam si plures essent in eadem causa patroni, tamen omnes illi perorationem relinquerent. Verùm ut ne quid arroganter de se dicere uidearur, hoc non ingenio suo, sed dolori, quem ex molestijs amicorum capiebat, attribuit. Perorationem mihi.) Quoniam in extrema parte concitandus est iudex, uel ad indignationem, uel ad misericordiam, prout causa postulat: et in hoc Cicero cæteris antecellabat, ideo perorationem illi relinquebant. Meminit autem de miserationibus, non de indignatione: quoniā rarò accusabat, frequentissimè defendebat. Nam indignatio propria est accusatoris, miseratio defensoris. Non ingenio.) Multis in locis Cicero sibi ingenium detrahit, ut maiorem industriæ ac diligentiæ laudē assequatur. ut pro P. Quintio: Quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparaui.

Quæ qualiacunque in me sunt, me enim ipsum non pœnitet, quanta sint, ea apparent in orationibus. & si carent libri spiritu illo, propter quem maiora eadem illa, cum aguntur, quàm cum leguntur, uideri solent.

Facile potest (inquit) ex orationibus intelligi, quanta sit uis in perorationibus: quamuis in libris non sentiatur is spiritus, quem in agendo sentimus. Me enim ipsum. Mihi, inquit, mea satis placent. Sic enim se res habet: me mea, te tua delectant. unde prouerbium, Suum cuique pulchrum, sed plurimos philautia ac cæcus amor sui decipit. nam, ut ait Horatius,

Gaudent scribentes, & se mirantur, & ultrò
Si taceas, laudant, quicquid scripsere, beati.

Sed hoc uitium in poetis præcipuè reperitur. unde Cicero dixit: Adhuc neminem poetam cognoui (& mihi fuit cum Aquinio familiaritas) qui non optimus sibi uideretur. Oratores paulo morosiores sunt, & tamē aliquando sua mirantur: sicut in multis locis Cicero facit. neque iniuria: cum id suo iure faciat, quia reliquos omnes superabat. Et si carent.) Plurimum in oratore potest actio, quemadmodum superius dictum est, usque eò, ut inepta oratio bene pronunciata, sæpe ēuehementer placeat: contrà uerò pulcherrima, si malè pronun-

cietur, ineptissima uideatur. Sed in scriptis, à quibus abest omnis spiritus, non facile dicendi uehementiam sentire possumus. Hoc est quod ait hoc loco Cicero. nam propter spiritum multo maiora uideri solent eadem, quando aguntur, quàm quando leguntur. Vnde bene dixit Valerius Maximus: In Demosthene magna pars Demosthenis abest, quòd legitur potius quàm auditur.

Nec uerò miseratione solum mens iudicum permouenda est, qua nos ita dolenter uti solemus, ut puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus: ut alia in causa excitato reo nobili, sublato etiam filio paruo, plangore & lamentatione compleremus forum: sed etiam est faciendum, ut irascatur iudex, mitigetur, inuideat, faueat, contemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, satietate afficiatur, speret, metuat, lætetur, doleat.

In perorationibus (ut dictum est) præcipuè spectatur miseratio & indignatio: sed alij etiam motus animorum adhibentur. ut miserationi adiungitur iudicis mitigatio, fauor, admiratio, beneuolentia, cupiditas, spes, lætitia: indignationi, ira, inuidia, contemptus, odium, satietas, metus, dolor. Debet igitur orator in his omnibus laborare, ut quoties opus est, possit eos motus in animis audientium conciliare. Non igitur solum miseratione mens iudicum permouenda est, sed alijs etiam affectibus. Qua nos ita dolenter.) Solebant plerique oratores, ut magis iudices mouerent, etiam infantes & paruos in iudicium producere, ut eorum aspectu commoti iudices, parentibus ignoscerent. ita Ser. Galba productis in iudicium filijs, periculum euasit, ut Val. Max. auctor est. ita Cicero pro P. Sylla, paruum eius filium tenens perorauit. idem pro Flacco, cum reum Flaccum excitasset, etiam filium eius paruum sustulit, quo facto plangore et lamentatione omnia compleuit. de quo fortasse hoc loco sentit. Vt irascatur.) Septem contrariorum combinationes hoc loco ponit, quibus audientium animi concitantur. Prima est, irasci, mitigari. secunda, inuidere, fauere. tertia, contemnere, admirari. quarta, odisse, diligere. quinta, cupere, satiari. sexta, sperare, metuere. septima, lætari, dolere. de quibus animorum motionibus quarto Tusculanarum quæstionum multa disputantur.

Quæ in uarietate duriorum accusatio suppeditabit exempla, mitiorum defensiones meæ. nullo enim modo animus audientis aut incitari aut leniri potest, qui modus à me non tentatus sit. Dicerem perfectum, si ita iudicarem, nec in ueritate crimen arrogantiæ extimescerem.

Si quis (inquit) exempla quærit, quomodo iudex afficiēdus sit, is poterit ex orationibus excerpere, quæ duriora sunt, & asperiora, ex accusationibus: quæ uerò mitiora & leniora, ex defensionibus. Accusatio.) Septem libros contra Verrem intelligit, quos omnes accusationis nomine cōplectitur. in eis autem omnia tentat, quo iudices contra Verrem incitare possit. Defensiones.) ut pro Milone, pro Ligario, pro Cælio, multæque aliæ. Nullo enim modo.) Omnia se tentasse dicit, quibus audientis animus moueri potest, quamuis perficere non potuerit. Exempla non ita facile possunt adduci, quoniam in totis orationibus sparsa sunt. Incitari aut leniri.) Hæc tanquam duo genera sunt, quibus omnes animorum motus subijciuntur. Incitat ira, inuidia, odium, contemptio, metus, dolor. Lenit misericordia, fauor, admiratio, beneuolentia, cupiditas, spes, lætitia. Hæc omnia tentantur à Cicerone, quoties causa postulat. Dicerem perfectum.) Duabus de causis non uult dicere perfectum à se modum

se modum incitandi aut leniendi. primò, quia non ita iudicat: deinde, quia crimen arrogantiæ extimescit, etiam si uerum dicat. ex quo tacitè significat, se multa perfecisse.

Sed (ut suprà dixi) nulla me ingenij, sed magna uis animi inflammat, ut me ipse non teneam: nec unquam is qui audiret, incenderetur, nisi ardens ad eum perueniret oratio.

Iterum arrogantiæ crimen deprecatur, ne sibi nimis uideatur attribuere. Non (inquit) allequor ingenio, ut audientes moueam: sed ui quadam animi, quæ ita me inflammat, ut me ipse non teneam. plurimum enim refert, ut ipse orator afficiatur eo modo, quo cupit audiẽtem afficere. quod secundo de Oratore M. Antonius docet, & Horatius in Arte poetica, & Quintilianus libro sexto, & hoc loco Cicero. Neq; enim (inquit) incendi potest auditor, nisi ardens ad eum oratio perueniat: neq; oratio potest ardens uideri, nisi ipsius oratoris animus exarserit. unde Cicero pro Gallo (quemadmodum scribit Val. Max.) cum M. Callidius accusator dixisset, sibi preparatum à Gallo uenenũ, idq; testibus, chirographis, quæstionibus, se probaturum affirmasset: sed remisso uultu, & languida uoce, & soluto genere orationis usus esset, eum his paucis uerbis refutauit: Tu istud M. Callidi nisi fingeres, sic ageres? Opus est igitur uehementi impetu animi, si quis audientes commouere uelit. *Lib. 8. cap. 10.*

Vterer exemplis domesticis, nisi ea legisses: uterer alienis, uel latinis, si ulla reperirem: uel Græcis, si deceret.

Exemplis se uti nolle ostendit, atque id quadam enumeratione, quæ ita formari potest: Si uellem exemplis uti, necesse esset, ut aut domesticis, aut Latinis, aut Græcis uterer: sed domestica tu legisti, Latina nulla reperio, Græcis in oratione Latina uti non decet: itaq; nullis mihi utendum exemplis est. Nos autem ex ipso Cicerone, quot uolumus exempla miserationis & ardentis orationis sumere possumus: ut ex peroratione pro Milone, pro Plancio, pro Flacco, ex tertia actione in Verrem, de morte Philodami & eius filij, ex plurimis alijs locis.

Sed Crassi perpauca sunt, nec ea iudiciorum: nihil Antonij, nihil Cottæ, nihil Sulpitij. dicebat melius, quàm scripsit, Hortensius.

Probat, se latina exempla non reperire. Fuerunt enim quatuor satis insignes oratores ante Ciceronem, & unus etiam cum Cicerone: Antonius, Crassus, Cotta, Sulpitius, antè: Hortensius unà. Sed Crassus perpauca scripsit, & ea quæ ad iudicia non pertinent, ut nullum ab eo sumi exemplum possit. Antonius nihil omnino scripsit, quamuis egregiè diceret. Aliquando interrogatus, cur nullam orationem scriberet? respondit, ideo se non scribere, ut si quid superiore iudicio actum, ei quem postea defensurus esset, nociturum foret, non dictum illud à se, posset affirmare. auctor Val. Max. Idem Cotta & Sulpitius fecerunt. Hortensius autem multa quidem scripsit, sed quæ non satis fuerint laudata: multo enim melius dicebat, quàm scriberet. nam (ut scribit Val. Max.) penè plus studij in corporis decoro motu, quàm in ipsa eloquentia ponebat, adeò ut ad eum audiendum & spectandum cupidè plurimi uenirent: inter quos Aesopus tragœdus, & Roscius Comœdus, frequentes illo causas agente assistebant, ut foro petitos gestus, in scenam referrent. *Lib. 7. cap. 3.* *Lib. 8. cap. 10.*

Verùm hæc uis, quam quærimus, quanta sit, suspicemur, quoniam

exemplum non habemus: aut si exempla sequimur, à Demosthene sumamus: & quidem perpetuæ dictionis, ex eo loco, unde in Ctesiphontis iudicio de suis factis, consilijs, meritis in remp. aggressus est dicere.

Quoniam exemplis ostendere, quanta sit illa uis eloquentiæ, quam quærit, se non posse dixerat, propterea quòd latina non sunt, & Græcis uti non decet: nunc ait, posse nos cogitatione eam amplecti: aut si cupimus, exempla posse à Demosthene sumere, ex oratione quam pro Ctesiphonte habuit, ubi perpetua dictione sua facta, consilia, merita in remp. commemorat: quem multis in locis imitatus est Cicero, sed præcipuè in oratione contra Pisonem, quæ tota est ardens, ut maior eloquentiæ uis exprimi non posse uideatur. Perpetuæ dictionis.) Quoniam in orationibus sunt aliquæ partes uehementes & incensæ, sed reliquæ remissiores. ut pro Cluentio, nihil ea parte fieri potest ardentius: Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium: O' mulieris scelus incredibile, et præter hanc unam in omni uita inauditum: ò libidinem effrenatam & indomitam, ò audaciam singularem: & quæ sequuntur pauca. reliqua autem oratio multo placatior est. Sunt etiam orationes totæ ardentes, ut prima in Catilinam, secunda in Antonium, & (ut dixi) in Pisonem.

Ea profectò oratio in eam formam quæ est insita in mentibus nostris, includi sic potest, ut maior eloquentia non requiratur.

Orationem eam quam pro Ctesiphonte Demosthenes habuit, multis in locis suspicit atq; admiratur Cicero, sicut etiam superius uidemus: adeò ut illam etiam in Latinum sermonē conuerterit. Sed mirum est quod hoc loco dicit, posse illam orationem includi in eam idæam & formam absolutæ eloquentiæ, quam habemus in mente, ut non desideretur maior eloquentia. Vel igitur amore Demosthenis, quem unum suspiciebat, inductus, plus quàm concedit ueritas, illi tribuit: uel in hominem non posse maiorem eloquētiam cadere existimat. Atq; hactenus quidem de materia oratoris dixit, nunc uerò ad formam transit.

Sed iam ipsa forma restat, & character ille qui dicitur: qui qualis esse debeat, ex ipsis quæ suprà dicta sunt, intelligi potest.

Declarauit hactenus, quæ dicendi genera sequi debeat orator, quibus artibus incumbere, quomodo genera causarum, partes orationis, locos communes, amplificationes tractare debeat. Reliquum est, ut etiam speciem & figuram dicendi, qui character dicitur, ostendat: quamuis ex ijs quæ iam dicta sunt intelligi possit, qualis esse debeat. Nam ubi cuiusq; generis, hoc est summissi, temperati, & sublimis notam aperuit, ibi etiam multa de rerū & uerborum ornamentis uerba fecit: ut ostenderet, quæ cuiq; generi conuenirent. Exornationes autem appellauit suppellectilem oratoriam: nunc figuras, compositionem & numeros aggreditur.

Nam & singulorum uerborum, & collocatorum lumina attigimus: quibus sic abundabit, ut uerbum ex ore nullum, nisi aut elegās, aut graue, exeat.

Docet, quomodo forma dicendi possit ex suprà dictis intelligi: Quoniam (inquit) breuiter attigimus lumina uerborū, et singulorū et collocatorū. Dixit enim, ornatū uerborū esse duplicē: unū simpliciū, alterū collocatorū uerborū.

Ornatum

Ornatum simplicem probari in proprijs usitatisq; uerbis, & in alienis. Aliena uerò esse, uel translata, uel facta, uel noua, uel prisca & inusitata. Ornatum col locatorum uerborum in eo spectari, si uerba aliquid concinnitatis efficiunt, quod uerbis mutatis non maneat, manente sententia. His ornamentis ita abundare debet orator, ut nullum uerbum omnino proferat, quod non aut elegantiam aliquam, aut grauitatem habeat. Itaque maximum studium in deligendis uerbis est adhibendum, in quo totius eloquentiæ fundamẽtum est, ut C. Cæsar dicere solebat. Debent autem uerba esse aut elegantia & polita, ut summisso & mediocri generi conueniant: aut grauia, ut in amplo & grandi genere collocentur. Quod autem neque elegans neque graue uerbum erit, id omnino reijciatur, quoniam oratorium esse non potest. Neque satis est dicere, hoc uerbum Latinum est: quoniam multa sunt Latina quidem uerba, sed uel sordida, uel leuia: quæ licet in epistolis, aut uersiculis usurpentur, non tamen in orationem admittenda sunt, in qua tantum elegantia & grauia locum habent.

Ex omniq; genere frequentissimæ translationes erunt, quòd eæ propter similitudinem transferunt animos, & referunt ac mouent huc & illuc: qui motus cogitationis celeriter agitatus, per se ipse delectat.

Varijs luminibus orationem suam distinguere debet orator, sed præcipuè frequentissimis metaphoris, quæ latinè translationes uocantur. Hoc autem ideo facere debet, quoniam miram gratiam & uenustatem adferunt orationi. Siquidem animos mouent earum rerum similitudine, unde sumuntur: & celeriter, cum frequentes sunt, huc atque illuc transferunt: in qua mentis agitatione magna quædam est oblectatio. Quare longè omnium pulcherrimã Quintilianus metaphoram appellat. Cicero tam frequenter hac exornatione utitur, ut ne pagina quidem in eius orationibus reperiatur, in qua non frequentissimæ sint metaphoræ. Sumamus enim, exempli gratia, principium orationis notissimæ pro lege Manilia: ibi statim metaphoricè, conspectum Quiritium multo iucundissimum appellat, locum uerò ornatissimum ad dicendum. deinde, aditum laudis, uocat eum locum. non ita multo pòst tribus metaphoris in uno membro utitur, cum ait: Et meus labor in priuatorũ periculis castè integreq; uersatus, ex uestro iudicio fructum est amplissimum con secutus. Sed sunt aliquæ insigniores metaphoræ, quæ plurimũ elucent in oratione, & eam iucundissimam efficiunt. quales illæ: Ruere illa non possunt, ut hæc nõ eodem labefactata motu cõcidant. & alibi: Nunc imperij nostri splendor illis gentibus lucet. sic plurimæ aliæ.

Et reliqua ex collocatione uerborum quæ sumuntur quasi lumina, magnum afferunt ornatum orationi. sunt enim similia illis, quæ in amplo ornatu scenę, aut fori appellantur insignia: non quòd sola ornent, sed quòd excellant.

Verborum collocatio maximè illustrat oratiõnẽ: sicuti signa & tabulæ, & reliqua insignia, scenam & forum exornant. Et reliqua.) Non tantum metaphoræ, sed etiam reliquæ figuræ, solent orationem exornare. Sunt enim.) Hac similitudine quasi oculis subijcit, quantũ ornatum afferant orationi uerborum lumina. Delectabanĩ enim Romani ludis scenicis, & in eis summã sæpe magnificentiã ostendebãt. nam totã scenã primò exornabãt, deinde signa & tabulas, & generis eiusdẽ multa ornamẽta certis locis disponebãt, quæ insignia dicebantur: non quòd sola ornarent, sed quòd reliquis excellerent. In amplo ornatu.) Claudius Pulcher primus fuisse traditur, qui scenam uarijs

n 4 picturis

Val. Max. lib. 2. cap. 1. picturis & signis & tabulis ornarit: C. Antonius totam scenam argento prætexuit, Petreius auro, Q. Catulus ebore, qui etiam primus spectantium consessum uelorum umbraculis texuit. Quàm autem magnifico apparatu scena exornaret, declarat Cicero libro septimo Epistol. ad M. Marium: Apparatus, inquit, spectatio tollebat omnē hilaritatē, quo quidem apparatu non dubito quin animo æquissimo carueris. quid enim delectationis habēt sexcenti muli in Clytemnestra? aut in equo Troiano craterarū tria millia? aut armatura uaria peditatus & equitatus in aliqua pugna? quę popularē admirationē habuerunt, delectationē tibi nullam attulissent. Aut fori.) Quoniam in foro munera gladiatoria edebanť sæpe in mortuorū honorē: qui autem munera edebāt, uarijs insignibus forum exornabāt. Gladiatorum munus primùm Romæ datum est in foro Boario, Appio Claudio, Q. Fuluio, Coss. dederunt M. & Decius, filij Bruti, funebri memoria (ut ait Val. Max.) patris cineres honorando. lib. 2. cap. 1.

Eadem ratio est horum quæ sunt orationis lumina, & quodammodo insignia, cum aut duplicantur, iterantur& uerba.

Verborum & sententiarum lumina insignibus scenæ & fori dicit esse similia, quia maximè excellunt in oratione. Ac primò quidem nonnullas uerborum figuras numerat, deinde etiam sententiarū. Prima igitur exornatio, quā ponit hoc loco Cicero, est, cum duplicanť iterantur& uerba, quæ ab Aquila Romano palilogia atq; iteratio dicitur, frequēs apud Ciceronem, et reliquos auctores. & magis actioni & certamini, quàm stylo uidetur conuenire: quod tertio Rhetoricorū Aristoteles docet. ut Cicero: Tu tu Antoni Cæsari ruēti, atque omnia permiscere cupienti, causam belli ciuilis dedisti. & pro Milone: Vos uos appello fortissimi uiri. & alibi: Occidi occidi nō Spurium Melium, &c. ita Virgilius: Me me, adsum qui feci, in me cōuertite ferrum. & in Bucolicis: Ah Coridon Corydon. Est etiam huius generis ea quę à Cornificio con duplicatio nominať. ut: Tumultus C. Gracchi, tumultus domesticos & intestinos cōparat. Vel cum plura uerba iteranť, commutato ordine. ut pro lege Man. Ecquam putatis ciuitatē pacatam fuisse, quæ locuples sit? ecquam esse locupletem, quæ istis pacata esse uideatur?

Aut breuiter commutata ponuntur.

Hæc figura uocatur paronomasia, uel (ut Aquila Romanus) paronymia, quæ est leuis immutatio uel literæ, uel syllabæ. literæ, ut Terentius: Nam inceptio est amentium, haud amantium. syllabæ, ut Cicero: Non emissus ex urbe, sed immissus in urbem: prætor iste, uel potius prædo sociorū: cui quod libet, hoc licet. Cornificius annominationem uocat, & uarijs modis fieri posse ostendit.

Aut ab eodem uerbo ducitur sæpius oratio.

Hæc Epanaphora dicitur à Græcis, à Cornificio uocatur repetitio: cum uel membra multa, uel ambitus uerborum, ab eodem uerbo incipiunt. Membra, ut pro lege Man. Non auaricia ab instituto cursu ad prædam aliquā reuocauit, non libido ad uoluptatem, non amœnitas ad delectationē, non nobilitas urbis ad cognitionem, non deniq; labor ipse ad quietem. Ambitus uerborum sæpe multi ab eodem uerbo ducuntur, ut in eadem oratione: Testis est Italia, quam ille ipse uictor L. Sylla huius uirtute & consilio confessus est liberatam. testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilij explicauit. testis est Africa, quæ magnis oppressa hostium copijs, eorum ipsorum sanguine redundauit. testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter, Gallorum internecione patefactum est. testis est Hispania, quæ sæpissimè plurimos hostes ab hoc superatos

ratos prostratosq́; conspexit. Est autem hæc exornatio frequentissima.

Aut in idem conijcitur.

Species huius figuræ contraria est superiori, eo quod ibi ab eadem parte orationis sæpius incipitur, hic in eandem partem delinitur. Vocatur autem antistrophe Græcè, Latinè conuersio. qualis est illa Ciceronis pro Fonteio: Frumenti maximus numerus è Gallia, peditatus amplissimæ copiæ è Gallia, equites numero plurimi è Gallia.

Aut in utrunque.

Hæc figura (ut inquit Aquila) ex utraque earum quas suprà demonstrauimus, composita est, utranque orationis speciem circundat. nam & incipit sæpius ab una parte orationis, & toties in unam atque eandem desinit. uocatur autem Symploce, Latinè connexum, uel complexio, ut Cornificio placet. Exemplum est Ciceronis contra Rullum: Quis legem tulit? Rullus. quis tribus sortitus est? Rullus. quis decem uiros creauit? idem Rullus. & pro Milone: Quis eos postulauit? Appius. quis produxit? Appius.

Aut adiungitur idem iteratum.

Epanalepsis dicitur hæc figura, cum idem iteratum aliqua interpositione facta adiungitur. Aliquando autem in eodem membro fit repetitio, aliquando multis uerbis interpositis. in eodem membro, ut pro lege Manilia: Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani, longè à domo bellare. multis uerbis interpositis, ut in eadem: Quæ ciuitas antea unquam fuit, non dico Atheniensium, quæ satis latè quondam mare tenuisse dicitur: non Carthaginiensium, qui permultum classe maritimisq́; rebus ualuerunt: non Rhodiorum, quorum usq́; ad nostram memoriam disciplina naualis & gloria remansit: quæ ciuitas antea unquam tam tenuis, quæ tam parua insula fuit? &c. Aquila dat hoc exemplum: Hæc non potest, iam non potest (inquam) libera ciuitas esse.

Aut idem ad extremum refertur.

Iucunda est hæc figura, cum idem uerbum, quo periodus cœpta fuit, in extrema periodi parte repetitur. dicitur à Græcis prosapodosis, Latinè redditio. ut pro M. Marcello: Vidimus tuam uictoriam præliorum exitu terminatam, gladium uagina uacuum in urbe non uidimus. Ita Virgilius:

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

Aut cōtinenter unum uerbum, non in eadem sententia ponitur.

De hac figura ita scribit Aquila: Ploce, copulatio, ea figura elocutionis, qua idem uerbum aut nomen bis cōtinuò positum, diuersa significat. ut est illud: Sed tamen ad illum diem Memmius erat Memmius. ita enim hoc bis positum est, ut superius quidem nomen tantum significet hominem, posterius uelit intelligi eundem qui semper fuerit, ac sui similem. Mihi uidetur hæc eadem esse figura, quam Cornificius traductionē uocat: cum idem uerbum modò ponitur in hac, modò in altera re. ut, Cur eam rem tam studiose curas, quæ multas tibi dabit curas? item: Amari iucundum est, si curetur ne quid insit amari. Quintilianus πλοκὴν aliter accipit. uult enim esse repetionem frequentiorem, quæ fit ex permistis figuris, ut:

Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter.

Cuius figuræ pulcherrimum exemplum est pro lege Manilia. ut, Vos qui modò ante ostium Tyberinum, classem hostium uidebatis, ij nunc nullam intra oceani ostium prædonum nauem esse audiatis,

Aut cum similiter uel cadunt uerba, uel desinunt.

Hæ duæ sunt exornationes, quarum altera dicitur ὁμοιόπτωτον, altera ὁμοιοτέλευτον. Latinè uerò, similiter cadens, & similiter desinens. Similiter cadens est, cum plura membra in eosdem casus finiunt. ut pro lege Manilia; Labor in negocijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo. Similiter desinens, cum plura membra eundem sonum in fine referunt. ut in eadem: Qui Siciliam adijt, Africam explorauit, inde in Sardiniam cum classe uenit. Hæ duæ figuræ facilimæ & frequentißimæ sunt.

Aut multis modis contrarijs relata contraria.

Maximè illustrant orationē, contraria relata contrarijs: quod fit multis modis, quoniam multa sunt contrariorū genera. sunt enim quæ dicūtur aduersa: ut sapientia, stultitia, liberalitas, auaritia. Sunt quæ priuātia latinè; græcè στερητικὰ appellantur: ut dignitas indignitas, humanitas inhumanitas. Sunt etiam quæ cum aliquo conferuntur, à Græcis πρός τι dicta: ut duplum simplū, multa pauca, longum breue, maius minus. Sunt denique ual de contraria, quæ appellantur negantia, ea ἀποφατικὰ Græci, contraria aientibus. Ab his omnibus contrarijs multa fiunt argumenta, multæq; exornationes. ut pro lege Manilia: Cuius adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperijs: nō offensionibus belli, sed uictorijs: nō stipendijs, sed triumphis est traducta. Aliquando cōtraria politißimè iunguntur cum repetitione, interrogatione, similiter cadente, similiter desinēte, cōparibus, & cæteris eius generis. ut pro Cœlio, de Catilina: Quis clarioribus uiris quodā tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis ciuis meliorū partium aliquando? quis tetrior hostis huic ciuitati? quis in uoluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effusior? hoc exornationis genus apud Ciceronem frequentißimum & suauissimum est.

Aut cum gradatim sursum uersus reditur.

Quintilianus de hac figura sic ait: Gradatio, quæ dicitur κλίμαξ, apertiorem habet artem, & magis affectatam, ideoq; esse rarior debet. Est autem ipsa quoque adiectionis. repetit enim quæ dicta sunt, & priusquam ad aliud descendat, in prioribus resistit. Huius figuræ exemplum est pro Milone: Neque uerò se populo solum, sed etiam senatui commisit: nec senatui modò, sed etiam publicis præsidijs & armis: neque his tantum, sed etiam eius potestati, cui senatus totam Remp. commisit. Egregiè autem (ut inquit Aquila) & feliciter Licinius Caluus in Vatinium hac figura usus est. quod exemplum etiam Quintilianus citat: Non ergo pecuniarum magis repetundarum quàm maiestatis, neque maiestatis magis quàm Plantiæ legis, neque Plautiæ legis magis quàm ambitus, neque ambitus magis quàm omnium legum omnia iudicia perierunt.

Aut cum demptis coniunctionibus, dissolutè plura dicuntur.

Hæc dicitur ἀσύνδετον à Græcis, & duobus modis fieri solet. uel enim singula uerba interuallis distinguūtur, cæsa oratione, & tunc articulus à Cornificio dicitur: ut Acrimonia, uoce, uultu aduersarios perterruisti. Cicero in Catilinam: Abijt, excessit, euasit, erupit. Virgilius:

Hæc eadem Aenea cœlum, mare, sidera testor.

Vel multa membra suo uerbo separatim concluduntur, & tunc disiunctio nominatur: Vt, Populus Romanus Carthaginē sustulit, Numantiam deleuit, Corinthum

Corinthum disiecit, Fregellas euertit. Cicero pro lege Man. Siciliam adijt, Africam explorauit, inde in Sardiniam cum classe uenit. Virgilius:

Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.

Aut cum aliquid prætereuntes, cur id faciamus, ostendimus.

Quidam hanc figuram præteritionem uocant, quando orator se dedita opera ostendit aliquid uelle præterire, & causam adfert cur id faciat. ut pro P. Quintio: Verùm de his rebus non necesse habeo dicere, ea quæ me P. Quintius cupit commemorare, tametsi causa postulat, tamen quia postulat, non flagitat, præteribo. & in Catilinam: Quod ego prætermitto, & facile patior sileri, ne in hac ciuitate tanti facinoris immanitas aut extitisse, aut non uindicata esse uideatur.

Aut cum corrigimus nosmetipsos quasi reprehendentes.

Correctio duplex est. uel enim unum tantum uerbum nostrum corrigimus, & aliud quod significantius sit, substituimus. ut: Ego omni officio, ac potius pietate. uel multa, quæ iam diximus, amplificationis gratia corrigimus, & grauiora subiungimus. ut pro lege Manilia: Sed quid ego longinqua commemoro? et paulo pòst: Quid ad nos, cum ab exteris nationibus uenirent, captos querar, cum legati populi Romani redempti sint? &c.

Aut si est aliqua exclamatio, uel admirationis, uel cõquestionis.

Exclamatio duabus de causis fieri solet, uel propter admirationem. ut pro Ligario: O' clementiam admirabilem, aque omni laude, prædicatione, literis monumentisq́ decorandam. uel propter conquestionem, ut pro P. Sylla: O' falsam spem, ò uolucrem fortunam, ò cæcam cupiditatem, ò præposteram gratulationem.

Aut cum eiusdem nominis casus sæpius commutantur.

Quoties oratio casibus uariaẽ, fit figura quæ à Græcis πολύπτωτον uocaẽ, cuius est hoc exemplũ apud Quintilianũ: Pater hic tuus? patrẽ hunc appellas? patris tu huius filius. Fit etiam uarietatis generibus elegantissimè. ut pro lege Man. Quam prouinciã tenuistis à prædonibus liberã per hosce annos? quod uectigal uobis tutum fuit? quẽm socium defendistis? cui præsidio classibus uestris fuistis? Hic enim nõ tantum casus, sed etiam genera mutata sunt.

Sed sententiarum ornamenta maiora sunt, quibus quia frequenter Demosthenes utitur, sunt qui putent iccirco eius eloquentiam maximè esse laudabilem.

Sicuti res præstantiores sunt uerbis, ita etiam sententiarum ac rerum ornamenta maiora sunt uerborum ornamentis. in quibus maximè Demosthenes excelluit, ita ut sententiarũ ornamẽtis eius orationes undiq; scateant. qua de causa quidam existimant, eius eloquentiam esse maximã, maximeq; laudabilem. Ex hoc intelligi potest, quàm excellentes sint figuræ sententiarũ, quæ uel solæ possint eloquẽtiam commendare, quamuis etiam alia multa ad perfectam eloquentiam requirantur.

Et uerò nullus ferè ab eo locus sine quadam conformatione sententiæ dicitur: nec aliud quicquam est dicere, nisi omnes, aut certe plerasque aliqua specie illuminare sententias. quas cum tu optimè Brute teneas, quid attinet nominibus uti, aut exemplis? tantummo do notetur locus.

Affirmat

Affirmat in Demosthene frequentissimas esse sententiarum exornationes, ut nullus ferè locus sit, quem non aliqua conformatione sententiæ poliat. Vocat autem Cicero conformationem, quem Græci σχηματισμὸν dicunt, ἀπὸ τῶ σχήματος, hoc est à figura. Itaq; conformare orationem, erit idem quod figuratè dicere. Porrò dicere, quod oratoris est proprium, nihil aliud est, quàm ita uerba facere, ut omnes, aut pleræq; sententiæ, aliqua specie seu figura illuminentur. quod qui non facit, ille non dicit, sed loquitur. Verùm Cicero hoc loco, cum ad Brutum scriberet, qui artem omnem dicendi percallebat, noluit exemplis uti, quibus sententiarum ornamenta explicaret, sed tantummodo locum notare contentus fuit.

Sic igitur dicet ille, quem expetimus, ut uerset sæpe multis modis eandem & unam rem, & hereat in eadem commoreturq; sententia.

Bonus orator sententiarum figuras diligentissimè persequetur, quarum plura sunt genera: uerùm Cicero nonullas tantum exempli gratia commemorat. Et prima quidem duplex est. uel enim unam rem pluribus uocabulis exprimemus, & tunc synonymia, uel interpretatio dicetur. ut pro Milone: Expelletur, exterminabit, ejicietur. pro Ligario: Quid cupiebas, quid optabas? uel plura membra ponemus, quæ idem omnia penè significant, & tunc dicetur commoratio, ut pro Milone: Diem mihi credo dixerat, multam irrogarat, actionem perduellionis intenderat. pro Roscio Am. Prędia mea tu possides, ego aliena misericordia uiuo: mea domus tibi patet, mihi clausa est: familia mea maxima uteris, ego seruum habeo nullum. Sed sæpe accidit, ut una res atq; eadem sententia totas paginas occupet, dum uariè uersatur. Vsus est eleganter hac figura Virgilius initio tertij Aeneidos, ubi quater idem, sed diuersis uerbis ponit:

Postquam res Asiæ, Priamiq; euertere gentem
Immeritam uisum superis, ceciditq; superbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia.

Sæpe etiam ut extenuet aliquid.

Vis oratoris præcipuè in amplificando, & in extenuãdo perspicitur. Quot autem modis amplificamus, totidem etiam extenuare atq; imminuere possumus, ut Quintilianus docet. Verùm extenuatio nonnunquam in tota oratione, ut pro Murena de iure ciuili, & de Stoicorum disciplina: nonnunquam in aliqua tantũ parte spectatur. quæ in aliqua parte spectatur, exornatio est, de qua intelligit hoc loco Cicero, quæ μείωσις græcè, latinè diminutio, uel extenuatio dici potest. ut pro Milone: Vulnus in latere, quod acu punctũ uideretur, pro ictu gladiatoris putari.

Sæpe ut irrideat.

Hæc ironia dicitur, quam Rufinianus ita definit: cùm aliud in pectore reclusum, aliud in lingua promptum habemus: & sententia enunciationis in cõtrarium à uerbis accipitur. ut totum exordium pro Ligario: Nouum crimẽ C. Cæsar, & ante hunc diem inauditũ, & quæ sequuntur. Huius species numerãtur sex: Chleuasmos, Charientismos, Astismos, Diasyrmos, Exuthenismos, Sarcasmos. Chleuasmos est, cùm aduersarios cum risu eludimus: & eas illis uirtutes concedimus, à quibus absunt quàm longissimè. ut: Verres homo sanctus ac diligens. pro Cecinna: Exemplar antiquę religionis Fidiculanius Falcula. Turnus apud Virgilium:

—meq; timoris
Argue tu Drance, tot quando stragis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit.

Charientismos

Charientismos est,festiua dictio,cũ amœnitate mordax.ut pro Roscio Com. Nónne ipsum caput,& supercilia illa penitus abrasa,olere maliciam,& clamitare calliditatem uidentur?et paulo post: Qui idcirco capite & superciliis semper est rasis,ne ullum pilum uiri boni habere dicatur. Asteismos,urbana dictio,cum urbane aliquem irridemus.ut pro Cluentio: Respicite respicite Iudices,hominum fortunas,respicite Fabricij senectutem.cum hoc Respicite ornandæ orationis causa sæpe dixisset, respexit ipse.at Fabricius à subsellijs demisso capite discesserat. tale est illud: Execrabatur sacerdotẽ,qui tam nequã Verrem reliquisset.& illud: Melius est uocem,quàm reum perdere. Diasyrmos,cum aut personam, aut rem eleuamus irridendo.ut prima actione cõtra Verrem: Est adhuc, id quod uos omnes admirari uideo,non Verres, sed Q. Mutius.et paulo pòst: Sed repente è uestigio ex homine tanquam aliquo Circeo poculo,factus est Verres.pro P.Quintio: Quid ad hęc Næuius.ridet scilicet amentiam nostram,qui in uita sua rationẽ summi officij desideremus,&c.

Exuthenismos est,contẽptio alicuius rei cũ irrisione.ut ꝓ Cecinna: Vt tantum facinus nõ in æquitate iuris,sed in una litera latuisse uideatur. Virgilius:

Egregiam uerò laudem & spolia ampla refertis,
Tuq; puerq; tuus.— & alibi:—*an tibi Mauors*
Ventosa in lingua,pedibusq; fugacibus istis, Semper erit?

Sarcasmos,irrisio est subobscœna,quæ semper aliquam fœditatem,sed occulte,denotat.ut pro Cælio: Quod facerem uehementius,nisi mihi intercederent inimicitiæ cum istius mulieris uiro:fratre uolui dicere,semper hic erro.& in eadem alibi: Qui propter nescio quam credo timiditatẽ,et nocturnos quosdam inanes metus,tecum semper pusio cum maiore sorore cubitauit.

Vt declinet à proposito,deflectatq; sententiam.

Inter sententiarũ ornamenta ponit etiam digreßionẽ,quam ἔκβασιν Græci uocant,quæ frequenter reficit & recreat animos,et ad futura præparat. qualis est illa digreßio pro Roscio Am.de accusatoribus:& pro Cælio,de Catilinæ moribus,satis longa,& egregia ex eo loco: Habuit enim ille,sicuti meminisse uos arbitror,permulta,maximarũ nõ expressa signa,sed adumbrata uirtutũ,&c. Sed plurimæ sunt in orationibus Ciceronis appositæ digreßiones.

Vt proponat quid dicturus sit.

Propositio multum illustrat orationem,& attentiores reddit auditores.ut pro lege Man. Dicendũ est enim de Cn. Pompeij singulari eximiaq; uirtute. & pro P.Quintio: Non fuit causa cur Næuius postularet à Prætore,ut Quintij bona ex edicto poßideret. Prima Act. in Ver. Dicendum necessariò est de cõtentione nostra,ut in cõstituendo accusatore quid sequi poßitis,habeatis.

Vt cum transegerit,iam aliquid definiat.

Inter sententiarum exornationes ponitur etiam definitio,quæ(ut ait Cornificius)rei alicuius proprias amplectitur potestates breuiter & absolute,hoc modo: Maiestas Reip. est,in qua continetur dignitas & amplitudo ciuitatis. Hæc(inquit Cicero)tunc adhibẽda est cum iam orator aliquid transegerit.ut pro P. Sestio,cum iam multa de administratione Reip. transegisset,definit qui nam sint populares,& qui optimates,hoc modo: Qui ea quæ faciebant,multitudini iucunda esse uolebant,populares:qui autem ita se gerebant,ut sua consilia optimo cuiq; probarentur,optimates habebantur.

Vt se ipse reuocet.

Hoc frequentißimè facit Cicero,ut se ipse reuocet. Quidam hanc exornationem ἀποδίωξιν uocant,quasi reiectionẽ dicas,ut pro Milone: Sed finis sit,

neq; enim præ lachrymis iam loqui possum. pro lege Man. Sed quid ego longinqua cōmemoro? in Verrē Act. 6. Sed quid ego tam uehementer inuehor?

Vt quod dixit, iteret.

Repetitio alia uerborum, alia rerum. De repetitione uerborum suprà dictum est. nunc admonet, ut orator res etiā quas dixit, quoties opus est, iteret: quod sæpe Cicero in orationibus. uerùm mutatis ferè semper uerbis, ut quāuis eadē dicat, nō tamē eodem modo semper dicat. Interdū etiā statim repetit, quod antè dixerat, ut Iudices melius recordari posśint. quod pro P. Quintio facit: Ostendā (inquit) primùm causam nō fuisse, cur à Prætore postulares, ut bona P. Quintij posśideres: deinde, ex edicto te posśidere nō potuisse: postremò, nō possedisse. Quæso C. Aquili, uosq; qui estis in consilio, ut quid pollicitus sim, diligenter memoriæ mandetis. Nego fuisse causam cur postularet, nego ex edicto posśidere potuisse, nego posśedisse.

Vt argumentum ratione concludat.

Conclusio ponitur inter exornationes rhetoricas etiam à Cornificio, quæ tunc præcipue pulcherrima esse solet, cum à repugnantibus ducitur. ut pro Q. Ligario: Quorum igitur impunitas Cæsar tuæ clementiæ laus est, eorum ipsorum te ad crudelitatem acuet oratio. & pro Milone: Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius uitam si putetis per uos restitui posse, nolitis? Et alibi: Non potestis hoc facinus improbū iudicare, quin simul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut uestris sententijs esse pereundum.

Vt interrogando urgeat.

Quintilianus inter sententiarum figuras interrogationem primo loco ponit, uerùm ostendit non semper esse figuratam. nam aliquando simpliciter interrogamus, ut:

Sed uos qui tandem? quibus aut uenistis ab oris?
Dic mihi Damœta, cuium pecus? an Melibœi?

Quoties autem non sciscitandi gratia assumitur, sed instandi, figurata est. ut: Quousq; tandem abutēre Catilina patientia nostra? quàm diu nos etiam iste furor tuus eludet? quem ad finem effrenata sese iactabit audacia? Valent autem plurimum ad extorquendam ueritatem interrogationes conglobatæ. ut pro Roscio Am. Quid si accedit eòdem, ut tenuis antea fueris? quid si ut auarus? quid si ut audax? quid si, ut illius qui occisus est, inimicisśimus? num quærenda causa est, quæ te ad tantum facinus adduxerit? Quin etiam ad refellendum, mirum quantum ualeant. ut in eadem: Vbi eos conuenit? qui cum locutus est? quomodo persuasit? precium dedit? cui dedit? per quem dedit? unde? aut quantum dedit? ita enim urgetur aduersarius his interrogationibus, ut quid respondeat, non habeat.

Vt rursus quasi ad interrogata sibi ipse respondeat.

Hæc pulchra est, & frequens exornatio, cum orator interrogat, & sibi ipse respondet. uocatur autem Subiectio, quod orator responsionem statim subijciat. ut pro Archia: Quæres à nobis Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur? quia suppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forēsi strepitu reficiat, et aures cōuicio defessæ conquiescāt. pro Milone: Cur igitur uictus est? quia nō semper uiator à latrone, nonnunq; etiā latro à uiatore occidit. & alibi: Heus ubi Ruscio? ubi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? Fecit: certa crux. nullas fecit: sperata libertas. In eadē oratione pulcherrima est subiectio, quæ uim argumentationis habet, hoc modo: Diuertit in uillam Pompeij: Pompeium ut uideret? sciebat in Alsiensi esse, procul inde: uillam ut perspiceret? millies in ea

in ea fuerat. quid ergo erat moræ, et tergiuerſationis? dum hic ueniret, locum relinquere noluit. Sed multæ ſunt huius generis apud Ciceronem.

Vt contrà ac dicat, accipi & ſentiri uelit.

De Ironia quæ fit irriſionis gratia, ſuperius diximus. Aliquando fit etiam ironia, ſine aduerſarij irriſione, ſed quadam tantum diſsimulatione: quo genere Socrates apud Græcos, Scipio Africanus apud Latinos frequẽter utebantur: unde etiam εἴρωνες, hoc eſt diſsimulatores dicti ſunt. Diſsimulamus etiam interdum bona, quæ ſunt in nobis, modeſtiæ gratia. ut Cicero multis in locis deprimit ingenium, & eloquentiam ſuam: & Socrates dicebat, ſe unum illud ſcire, quòd nihil ſciret. Sed hoc loco genus illud Ironiæ intelligimus, in quo licet aduerſarios non irrideamus, tamen aliter accepi & ſentiri uolumus, quàm dicamus: ut totum exordium pro Q. Ligario, ſicut exiſtimat Quintilianus. nam Trapezuntius aliter ſentit, qui non eſſe Ironiam putat. tale eſt illud Virgilij:

Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos Sollicitat.—

Vt addubitet, quid potius, aut quomodo dicat.

Dubitatio, quæ græcè ἀπορία, uel διαπόρησις dicitur, frequens eſt, & multum exornat orationem, cum oſtendit orator ſe neſcire quid dicat, aut unde potiſsimũ incipiat. ut pro Roſcio Am: Quid primùm querar? aut unde potiſſimum exordiar Iudices? aut quod, aut à quibus auxiliũ petam? pro A. Cluentio: Equidem quod ad me attinet, quò me uertã neſcio, negem illam fuiſſe infamiam iudicij corrupti? negem illam rem agitatam in concionibus? iactatã in iudicijs? commemoratam in Senatu? Contra Salluſtium: Quò me uertam P. C.? unde initium ſumam: maius enim mihi dicendi onus imponitur, quo notior eſt uterq; noſtrûm. Aliquãdo etiã orator fingit aliquid ſibi è memoria excidiſſe, quod uelit recordari. ut Act. 6. in Verrem: Canephoræ ipſæ uocabantur, ſed earũ artificem quem? nam? rectè admones, Polycletum eſſe dicebant.

Vt diuidat in partes.

Partitio, quæ græcè μερισμός dicitur, adhiberi ſæpe ſolet illuſtrandi gratia, uel exornandi. ut pro lege Man. Ego enim ſic exiſtimo, in ſummo imperatore quatuor has res ineſſe oportere: ſcientiam rei militaris, uirtutem, auctoritatem, felicitatem. Pro Cluentio ſtatim à partitione incipit: Animaduerti Iudices, omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes: quarum altera, &c. ita etiam pro P. Quintio: Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia: quarum alteram, etc. Sed partitio aliquãdo totam cauſam diſtribuit. ut pro lege Man. Primùm mihi uidetur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore ad id bellum deligendo eſſe dicendum. Aliquando fit etiam in aliqua cauſæ parte, & tunc à quibuſdam ſubdiuiſio uocatur. ut pro lege Man. Poteſt enim hoc dici belli genus eſſe ita neceſſarium, ut ſit gerendũ: non eſſe ita magnum, ut ſit pertimeſcendum.

Vt aliquid relinquat, ac negligat.

Occupatio uocatur à Cornificio, cum dicimus nos præterire, aut nõ ſcire, aut nolle dicere, id quod tunc maximè dicimus. ut pro lege Man. Multa prætereo conſultò, ſed ea uos coniectura perſpicitis. et alibi: Sinite hoc loco Quirites, ſicuti Poëtæ ſolent, qui res Romanas ſcribunt, præterire me noſtram calamitatem, quæ tanta fuit, &c. In Vatinium eſt huius exornationis exemplũ egregium: Atq; illud tenebricoſiſsimũ tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latêre: licet impunè per me parietes in adoleſcentia perfoderis, uicinos compila-

neq; enim præ lachrymis iam loqui possum. pro lege Man. Sed quid ego lon ginqua cõmemoro? in Verrē Act. 6. Sed quid ego tam uehementer inuehor?

Vt quod dixit, iteret.

Repetitio alia uerborum, alia rerum. De repetitione uerborum suprà dictum est. nunc admonet, ut orator res etiã quas dixit, quoties opus est, iteret: quod sæpe Cicero in orationibus. uerùm mutatis fere semper uerbis, ut quã uis eadē dicat, nõ tamē eodem modo semper dicat. Interdũ etiã statim repetit, quod antè dixerat, ut Iudices melius recordari possint. quod pro P. Quintio facit: Ostendã (inquit) primùm causam nõ fuisse, cur à Prætore postulares, ut bona P. Quintij possideres: deinde, ex edicto te possidere nõ potuisse: postre mò, nõ possedisse. Quæso C. Aquili, uosq; qui estis in consilio, ut quid pollici tus sim, diligenter memoriæ mandetis. Nego fuisse causam cur postularet, ne go ex edicto possidere potuisse, nego possedisse.

Vt argumentum ratione concludat.

Conclusio ponitur inter exornationes rhetoricas etiam à Cornificio, quæ tunc præcipuè pulcherrima esse solet, cum à repugnantibus ducitur. ut pro Q. Ligario: Quorum igitur impunitas Cæsar tuæ clementiæ laus est, eorum ipso rum te ad crudelitatem acuet oratio. & pro Milone: Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius uitam si putetis per uos restitui posse, nolitis? Et alibi: Non po testis hoc facinus improbũ iudicare, quin simul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut uestris sententijs esse pereundum.

Vt interrogando urgeat.

Quintilianus inter sententiarum figuras interrogationem primo loco po nit, uerùm ostendit non semper esse figuratam. nam aliquando simpliciter interrogamus, ut:

Sed uos qui tandem? quibus aut uenistis ab oris?
Dic mihi Damœta, cuium pecus? an Melibœi?

Quoties autem non sciscitandi gratia assumitur, sed instandi, figurata est. ut: Quousq; tandem abutēre Catilina patientia nostra? quàm diu nos etiam iste furor tuus eludet? quem ad finem effrenata sese iactabit audacia? Valent autem plurimum ad extorquendam ueritatem interrogationes conglobatæ. ut pro Roscio Am. Quid si accedit eòdem, ut tenuis antea fueris? quid si ut auarus? quid si ut audax? quid si, ut illius qui occisus est, inimicissimus? num quærenda causa est, quæ te ad tantum facinus adduxerit? Quin etiam ad refellendum, mirum quantum ualeant. ut in eadem: Vbi eos conue nit? qui cum locutus est? quomodo persuasit? precium dedit? cui dedit? per quem dedit? unde? aut quantum dedit? ita enim urgetur aduersarius his interrogationibus, ut quid respondeat, non habeat.

Vt rursus quasi ad interrogata sibi ipse respondeat.

Hæc pulchra est, & frequens exornatio, cum orator interrogat, & sibi ipse respondet. uocatur autem Subiectio, quod orator responsionem statim subijciat. ut pro Archia: Quæres à nobis Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur? quia suppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forēsi strepitu reficiat, et aures cõuicio defessæ conquiescāt. pro Milone: Cur igitur uictus est? quia nõ semper uiator à latrone, nonnunq; etiã latro à uiatore occidit. & alibi: Heus ubi Ruscio? ubi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? Fecit: certa crux. nullas fecit: sperata libertas. In eadē oratione pulcherrima est subiectio, quæ uim argumentationis habet, hoc modo: Diuertit in uillam Pompeij: Pompeium ut uideret? sciebat in Alsiensi esse, procul inde: uillam ut perspiceret? millies in ea

in ea fuerat. quid ergo erat moræ,et tergiuersationis? dum hic ueniret,locum relinquere noluit. Sed multæ sunt huius generis apud Ciceronem.

Vt contrà ac dicat,accipi & sentiri uelit.

De Ironia quæ fit irrisionis gratia, superius diximus. Aliquando fit etiam ironia,sine aduersarij irrisione, sed quadam tantum dissimulatione:quo genere Socrates apud Græcos,Scipio Africanus apud Latinos frequẽter utebantur: unde etiam εἴρωνες, hoc est dissimulatores dicti sunt. Dissimulamus etiam interdum bona,quæ sunt in nobis,modestiæ gratia. ut Cicero multis in locis deprimit ingenium,& eloquentiam suam: & Socrates dicebat,se unum illud scire, quòd nihil sciret. Sed hoc loco genus illud Ironiæ intelligimus,in quo licet aduersarios non irrideamus, tamen aliter accepi & sentiri uolumus, quàm dicamus: ut totum exordium pro Q. Ligario, sicut existimat Quintilianus.nam Trapezuntius aliter sentit,qui non esse Ironiam putat.tale est illud Virgilij:

Scilicet is superis labor est,ea cura quietos Sollicitat.—

Vt addubitet,quid potius,aut quomodo dicat.

Dubitatio,quæ græcè ἀπορία, uel διαπόρησις dicitur, frequens est, & multum exornat orationem,cum ostendit orator se nescire quid dicat, aut unde potissimũ incipiat. ut pro Roscio Am: Quid primùm querar? aut unde potissimum exordiar Iudices? aut quod,aut à quibus auxiliũ petam? pro A. Cluentio: Equidem quod ad me attinet,quò me uertã nescio. negem illam fuisse infamiam iudicij corrupti? negem illam rem agitatam in concionibus? iactatã in iudicijs? commemoratam in Senatu? Contra Sallustium: Quò me uertam P.C.? unde initium sumam: maius enim mihi dicendi onus imponitur, quo notior est uterq; nostrûm. Aliquãdo etiã orator fingit aliquid sibi è memoria excidisse,quod uelit recordari. ut Act. 6. in Verrem: Canephorę ipsę uocabantur,sed earũ artificem quem? nam? rectè admones,Polycletum esse dicebant.

Vt diuidat in partes.

Partitio,quæ græcè μερισμὸς dicitur,adhiberi sæpe solet illustrandi gratia, uel exornandi. ut pro lege Man. Ego enim sic existimo,in summo imperatore quatuor has res inesse oportere: scientiam rei militaris,uirtutem, auctoritatem,felicitatem. Pro Cluentio statim à partitione incipit: Animaduerti Iudices, omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes: quarum altera,&c. ita etiam pro P. Quintio: Quæ res in ciuitate duæ plurimum possunt, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia, & eloquentia: quarum alteram,etc. Sed partitio aliquãdo totam causam distribuit. ut pro lege Man. Primùm mihi uidetur de genere belli,deinde de magnitudine,tum de Imperatore ad id bellum deligendo esse dicendum. Aliquando fit etiam in aliqua causæ parte,& tunc à quibusdam subdiuisio uocatur. ut pro lege Man. Potest enim hoc dici belli genus esse ita necessarium,ut sit gerendũ: non esse ita magnum,ut sit pertimescendum.

Vt aliquid relinquat,ac negligat.

Occupatio uocatur à Cornificio,cum dicimus nos præterire,aut nõ scire, aut nolle dicere,id quod tunc maximè dicimus. ut pro lege Man. Multa prætereo consultò,sed ea uos coniectura perspicitis. et alibi: Sinite hoc loco Quirites,sicuti Poëtæ solent,qui res Romanas scribunt,præterire me nostram calamitatem, quæ tanta fuit,&c. In Vatinium est huius exornationis exemplũ egregium: Atq; illud tenebricosissimũ tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latere: licet impunè per me parietes in adolescentia perfoderis,uicinos compila-

ris, matrem uerberaris: habeat hoc præmium tua indignitas, ut adolescentiæ turpitudo, obscuritate & sordibus tuis obtegatur. Interdū fingit orator, se negligere ea quæ relinquit. ut pro Roscio Am. Erucij criminatio tota (ut arbitror) dissoluta est: nisi forte expectatis, ut illa diluam, quæ de peculatu, ac de eiusmodi rebus commentitijs, inaudita nobis ante hoc tempus ac noua obiecit.

Vt antè præmuniat.

Præmunitio duplex est: altera uerborum, altera rerum. Verborum præmunitio est, cum aliquod uerbum proferre uolumus, sed ueremur ne parum appositū sit. itaq; quibusdā remedijs (ut ait Quintilianus) præmuniēdū est: ut ita dicā, si licet dicere. Cicero ad Brutū: Eum amorē, & eum (ut hoc uerbo utar) fauorem in cōsilium aduocabo. ad Appium Pulchrum: Te hominem non solum sapientem, uerùm etiam (ut nunc loquuntur) urbanum. Præmunitio rerum est, de qua sentit hoc loco Cicero, cum aliquid mitigamus, quod nobis obesse posset, priusquam rem aggrediamur. ut prima actione in Verrem Cicero causas refert, cur cū antea defendere soleret, ad accusandū accesserit. & pro Archia Poëta, docet, qua de causa nouo dicendi genere utatur. pro Cluentio pulchra est præmunitio de Sasſia matre: Nam Sasſia mater huius Habiti (mater enim à me nominis causa, tametsi in hunc hostili odio, & crudelitate est) mater inquam appellabitur: neq; unquam illa ita de suo scelere & immanitate audiet, ut naturæ nomen amittat.

Vt in eo ipso in quo reprehendat̄, culpam in aduersariū cōferat.

Hæc dicitur Inuersio, græcè uerò ἀντικατηγορία, cum crimen in aduersarium regerimus. ut Cicero contra Sallustium: Id uos, si forte offendimini, iustius huic quàm mihi succensere debetis, qui initium introduxit. pro Roscio Am. Parricidij crimen totum in aduersarios confert, ex eo loco: causam tu nullam reperiebas in Sex. Roscio, at ego in T. Roscio reperio, &c. Quin illa pro Ligario contra Tuberonem pulchra est Inuersio: Habes igitur Tubero, quod est accusatori maximè optandum, confitentem reum: sed tamen hoc ita confitentem, se in ea parte fuisse, qua te Tubero, qua uirum omni laude dignum patrem tuum. itaq; prius de uestro delicto cōfiteamini necesse est, quàm Ligarij ullam culpam reprehendatis.

Vt sæpe cum ijs qui audiunt, nonnunquam etiam cum aduersario, quasi deliberet.

Elegans hæc exornatio est, multumq; audientes excitat, cum aut cum eis, aut cum aduersarijs quasi deliberamus. Communicatio latinè dicitur, græcè ἀνακοίνωσις, de qua meminit etiam Quintilianus, licet nullum ex Cicerone proferat exemplū, cum tamen multa sint. ut pro P. Sestio: Hæc cum uiderē, quid agerem Iudices: scio enim tum, nō mihi uestrū studiū, sed meum propè uestro defuisse. contenderē cōtra Tribunum plebis priuatus armis? uicissent improbos boni, fortes inertes, &c. Paulo pòst: Quid si in prima contentione ui tribunitia uictus in foro, cum multis bonis uiris concidissem? Senatum cōsules ex domo uocassent, quem totū de ciuitate delerant, &c. Act. prima in Ver. cum aduersario quasi deliberat: Tu Cæcili quid facies, utrū hoc tantū crimen prætermittes? an obijcies? et quæ sequuntur. paulo post: Tu ipse quemadmodum existimes uide etiam atq; etiam, & tu te collige, & qui sis, & quid facere poſsis considera. putas' ne te posse de maximis? & cætera multa. Cato: Cedo si uos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis. Sed illud frequentiſsimū est (ut ait Quintilianus) quando cum iudicibus quasi deliberamus. ut: Quid igitur suadetis? uos interrogo, quid tandem fieri oportuit?

Vt homi-

Vt hominum ſermones,moresq́ue deſcribat.

Cornificius Notationem hanc appellat,in qua ſermones & mores alicuius deſcribuntur,græci ἠθοποιΐαν.Ponit autem longum exemplū Cornificius:ſed apud Ciceronem multa ſunt egregia,quibus & mores & ſermones aliquorū improborū deſcribit: quale eſt illud in Piſonem:Meminiſti'ne cœnum, cum ad te quinta ferè hora cum C.Piſone ueniſſem,neſcio quo è gurguſtio te prodire inuoluto capite ſoleatum?& cum iſto ore fœtido teterrimam nobis popinam inhalaſſes,excuſatione te uti ualetudinis,quòd diceres,uinolentis te quibuſdam medicaminibus ſolere curari? quam nos cauſam cum accepiſſemus, quid enim facere poteramus? pauliſper ſtetimus in illo ganearum tuarum nidore atq́ue fumo,unde tu nos cùm improbiſsimè reſpondendo,tum turpiſsimè eructando eieciſti.Idem illo ferè biduo productus in concionem,ab eo cui ſic æquatum præbebas conſulatum tuum,cum eſſet interrogatus, quid ſentires de conſulatu meo,grauis auctor,Calatinus credo aliquis,aut Africanus,aut Maximus,& non Cæſonius ſemiplacentinus Caluentius, reſpondes altero ad frontem ſublato,altero ad mentum depreſſo ſupercilio,crudelitatem tibi non placere. pro P.Quintio pulchrum eſt huius exornationis exemplum: Quid ad hæc Næuius? ridet ſcilicet noſtram amentiam,qui in uita ſua rationem ſummi officij deſideremus,et inſtituta bonorū uirorū requiramus.Quid mihi(inquit)cum iſta ſumma ſanctimonia ac diligentia? uiderint(inquit)iſta officia uiri boni.de me autem ita conſiderent,non quid habeam,ſed quibus rebus inuenerim, quærant: & quemadmodum natus,& quo pacto educatus ſim. Sed(ut dixi)plurima ſunt apud Ciceronem huius generis exempla.

Vt muta quædam eloquentia inducat.

Conformatio dicitur à Cornificio,græcè προσωποποιΐα:Quintilianus fictionem perſonarum interpretatur:de qua ſuprà etiam dictum eſt.In hoc genere deducere deos, & inferos excitare cōceſſum eſt, urbes etiam, populiq́ue uoces accipiunt. Cicero in Catilinam,ipſam patriam loquentem inducit.pro Cælio Appium cæcū ab inferis excitat,qui cum Clodia ſic agat,& ſic loquatur:Mulier quid tibi cum Cælio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? cur aut tam familiaris huic fuiſti,ut aurum commodares? aut tam inimica,ut uenenum timeres,non patrem tuum uideras? &c.

Vt ab eo quod agitur,auertat animos.

Auerſio,quæ græcè dicitur ἀποστροφὴ,in orationibus frequentiſsima eſt,& utiliſsima,quia iudicum animos ab eo quod agitur,auertit,ad aduerſarios, uel ad eos quos orator alloquitur.ut pro Ligario:Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? & pro Milone : Vos enim Albani tumuli atq́ue luci,uos inquā imploro atq́ue obteſtor:uosq́ue Albanorū obrutæ aræ ſacrorū,populi Romani ſociæ & æquales, &c.Sed illa quoq́ue(ait Quintilianus) uocatur auerſio,quæ à propoſita quæſtione abducit audientem,ut in quarto Aeneidos:

Non ego cum Danais Troianam excindere gentem
Aulide iuraui.—

Cuius pulcherrimum eſt exemplum pro Cælio.cum enim mentionem ueneni feciſſet,quod dicebatur à Cælio Clodiæ præparatum, ſtatim auertit animos ad Q. Metelli mortem:Prò dij immortales, cur interdum in hominum ſceleribus maximis,aut conniuetis,aut præſentis fraudis pœnas in diem reſeruatis? Vidi enim,uidi,& illum hauſi dolorem,& cætera.

Vt ſæpe in hilaritatem,riſum'ue conuertat.

Vrbanitas & facetiæ plurimum exornant orationem: itaq; non mirum est, si à Cicerone ponuntur inter sententiarum exornationes. Sed quia secundo de Oratore Iulius Cæsar, & sexto libro Quintilianus, de risu & facetijs locuti sunt copiosè: satis erit hoc loco, unum aut alterum urbanitatis exemplum ponere. Igitur pro Murena Cicero, ius ciuile facetissimè peruellit, ex eo loco: Et quoniam mihi uideris istam scientiam iuris, tanquam filiolam osculari tuam, non patiar te in tanto errore uersari, ut istud nescio quid, quod tantopere didicisti, præclarum aliquid esse arbitrere: & quę sequuntur multa. et alibi: Itaq; si mihi, homini uehemẽter occupato, stomachum moueritis, triduò me iurisconsultum esse profitebor. In eadem oratione Stoicorum disciplinam urbaniter eludit, ex eo loco: Fuit enim quidā summo ingenio uir, Zeno, cuius inuentorum æmuli Stoici nominantur, &c.

Vt antè occupet, quod putat opponi.

Hanc quidam obiectionem, quidam præoccupationẽ uocant, Græcè προκατάληψις dicitur, cū orator quæ possunt ab aduersarijs opponi, antè occupat, & refellit: quæ exornatio frequentissima est, & acuta. ut pro Archia: Quæret quispiā, quid illi ipsi summi uiri, quorū uirtutes literis proditę sunt, ista'ne doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerūt? &c. pro Cœlio: Dicet aliquis, Hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? &c. Sexta Act. in Ver. Dicet aliquis, Noli isto modo agere cum Verre, noli eius facta ad antiquę religionis rationem exquirere. Septima in eundem: Quid dices? an bello fugitiuorum Siciliam uirtute tua liberatam? magna laus, & honesta oratio.

Vt comparet similitudines.

Similitudo, quæ etiam Collatio dicitur, & græcè ὁμοίωσις, uel etiam παραβολή, multum illustrat orationem, si commodè adhibeatur: in quo præcipuè genere felix est Quintilianus. Sed neq; Cicero hac laude uacat, qui frequenter hac exornatione utitur. ut pro P. Sestio: Sed ita est Iudices, ut si gladium paruo puero, aut si imbecillo seni, aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat: sin ad nudum uel fortissimi uiri corpus accesserit, possit acie ipsa & ferri uiribus uulnerari: ita cū hominibus eneruatis atq; exanguibus cōsulatus tanquam gladius esset datus, qui per se pungere neminẽ unquā potuisset, hi sum mi imperij nomine armati Remp. cōtrucidauerunt. pro Murena: Vt aiunt in Græcis artificibus eos auloedos esse, qui citharœdi fieri non potuerūt: sic nos uidemus, qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris studium deuenire. pro eodē: Nam ut tẽpestates sæpe certo aliquo cœli signo cōmouentur, sæpe improuiso, nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa concitantū: sic in hac comitiorū tempestate populari sæpe intelligas quo signo commota sit: sæpe ita obscura est, ut casu excitata esse uideatū. Sunt etiam quædam similitudines breues. ut pro P. Sestio: Fuerat ille annus in Reip. magno metu & multorum timore, tanquam intentus arcus in me unum. et in Clodium: Quo ex iudicio, uelut incendio, nudus effugit.

Vt utatur exemplis.

Exemplum apud oratores probationis pars est, quemadmodū apud Dialecticos inductio, ut primo Rhetoricorum docet Aristoteles. itaq; frequentissima sunt apud oratores exempla: quæ quomodo tractari debeant, Quintilianus libro quinto copiosè docet. Cicero probat exemplo, sibi licere Catilinam interficere: An uerò (inquit) uir amplissimus P. Scipio, Pontifex Max. Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem statum Reip. priuatus interfecit: Catilinā uerò, orbem terræ cæde atq; incendijs uastare cupientē, nos Consules perferemus? pro Milone, probat exēplis, licere malos ciues interficere:

Neque enim potuisset aut Hala ille Seruilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me consule Senatus, non nefarius haberi, si sceleratos ciues interimere nefas esset.

Vt aliud alij tribuens, dispertiat.

Distributio est (inquit Cornificius) cum in plures res, aut personas certas, negocia quædam dispertiuntur: græcè διανομὴ dicitur, & frequens est apud Ciceronem. ut pro P. Sestio: Etenim animus eius uultu, flagitia parietibus tegebantur. & alibi: Hic cum Senatus sollicitus, uos equites excitati, Italia cuncta permota, omnes denique omnium generum atque ordinum ciues, summæ Reipublicæ à consulibus atque à summo imperio petendum esse auxilium arbitrabantur. pro Roscio Am. Criminis confectionẽ accusator Erucius suscepit, audaciæ partes Roscij sibi poposcerunt: Chrysogonus autem is qui plurimum potest, potentia pugnat. Est distributio etiam illa:

Ante focum, si frigus erit: si messis, in umbra.

Vt interpellatorem interpellatus coërceat.

Accidebat aliquando, ut uel aduersarij, uel populus dicentem oratorẽ interpellaret, quod in oratione de Prouincijs cõsularibus ostendit Cicero, cum ita ait: Atque illam interpellationem mei familiarissimi, qua paulo antè interrupta est oratio mea, non pertimescã? Iubet igitur hoc loco Cicero, ut orator, si fuerit interpellatus, interpellatorem coërceat. Cuius rei exemplum est in oratione pro C. Rabirio: Quin continetis uocem indicem stultitię uestræ, testem paucitatis? Potest appellari hæc figura, interpellatoris correctio.

Vt aliquid reticere se dicat.

Reticentia, græcè dicitur ἀποσιώπησις, quæ præcidit orationem, & non omnia dicit quæ ad sensum pertinent. ut pro Milone: An huius ille legis, quam Clodius à se inuentam gloriatur, mentionem facere ausus esset, uiuo Milone, ne dicam Consule? De nostra enim omnium, nõ audeo totum dicere. Tale est illud Virgilij:

Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.

Vt denunciet quid caueat.

Comminatio dicitur, quoties orator aduersario denunciat, quid cauere debeat: aut etiam iudicibus. ut Act. secunda in Ver. Moneo, prædico, antè denũcio, qui aut deponere, aut recipere, aut accipere, aut polliceri, aut sequestres, aut interpretes corrumpendi iudicij solent esse: quique ad hanc rem, aut potentiam, aut impudentiã suam professi sunt, abstineãt in hoc iudicio manus, animosque ab hoc scelere nefario. & non ita multo pòst: Moneo, prædicoque, id quod intelligo, tempus opportunissimũ uobis hoc diuinitus datũ esse, ut odio, inuidia, infamia, turpitudine, totum ordinem liberetis. pro Roscio Amerino: Habeo etiam dicere, quem contra morem maiorum minorem annis sexaginta de ponte in Tyberim deiecerit: qui si prodierit, atque adeò cum prodierit, scio enim proditurum esse, audiet.

Vt liberius quid audeat.

Licentia, quæ παῤῥησία dicitur græcè, cum orator liberè loquitur, etiã quæ cõtra se, aut causam facere uidentur. ut pro Ligario: Suscepto bello Cæsar, gesto iam etiam ex parte magna, nulla ui coactus, consilio & uoluntate mea ad ea arma profectus sum, quę erant cõtra te sumpta. et alibi: Quid aũt aliud egimus Tubero, nisi ut q̃d hic potest, nos possemus? Philipica octaua liberè cõsulem Pansam reprehẽdit Cicero: Confusius hesterno die est acta res, C. Pansa,

quàm postulabat institutum consulatus tui. Parum mihi uisus est eos, quibus cedere non soles, sustinere.

Vt irascatur etiam.

Indignatio, quæ græcè dicitur ἀγανάκτησις, est, cum se iratum orator ostendit, & aliqua de re indignatur. ut in Catilinam: O' tempora, ô mores. Senatus hoc intelligit, consul uidet: hic tamen uiuit. Viuit? Imò uerò etiam in senatum uenit, fit publici consilij particeps. pro Deiotaro: Dij te perdant fugitiue, ita non modò nequam & improbus, sed & fatuus & amens est.

Vt obiurget aliquando.

Obiurgatio, quæ ἐπιτίμησις dicitur, aliquando multum prodest ad eleuandam fidem. ut pro Sex. Roscio Amerino: Quæso Eruci, ut hoc in bonam partem accipias. non enim exprobrandi causa, sed commonẽdi gratia dicam. Si tibi fortuna non dedit, ut patre certo nascerere, &c. & alibi: Quid est aliud, iudicio ac legibus ac maiestate uestra abuti ad quæstum atque libidinem, nisi hoc modo accusare, atque id obijcere, quod planum facere non modò non possis, uerùm ne coneris quidem? alibi: Cum hoc modo accusas Eruci, nónne hoc palàm dicis: Ego quid acceperim scio, quid dicam nescio? Alia est uehementior obiurgatio, cum aliquem insectamur: ut in Catilinam, in Pisonem, in Antonium.

Vt deprecetur.

Deprecatio, quę dicitur gręcè δέησις, frequẽs est, cum orator Iudices uel auditores orat, ut sibi faueant. ut pro Deiotaro: Quamobrem hoc nos primùm metu C. Cæsar, per fidem & constantiã & clementiã tuam libera, ne residere in te ullam partem iracundiæ suspicemur. per dextrã te istam oro, quam regi Deiotaro, hospes hospiti porrexisti. Hæc exoratio ferè semper in perorationibus defensionũ adhibet̃. ut pro Milone: Quid restat, nisi ut orem, obtesterq́ uos Iudices, ut eam misericordiã tribuatis fortissimo uiro, quam ipse nõ implorat? pro Cœlio: Conseruate parenti filium, patentem filio. pro Rabirio Post. Vos obsecro Iudices, ut huic optimo uiro, quo nemo melior unq̃ fuit, nomẽ equitis Rom. & usuram huius lucis, & uestrum conspectũ ne eripiatis.

Vt supplicet.

Supplicatio deis immortalibus fieri solet, deprecatio uerò propriè fit hominibus. Vnde supplicationes dicũtur publicæ preces ad deos, pro communi salute Imperatorum et Rerumpublicarũ. In orationibus aliquando supplicatio adhibetur, ut septima Act. in Ver. ad extremũ, lõga supplicatione utitur ad deos, quos Verres offenderat, ex eo loco: Nunc te Iuppiter Optime Max. cuius iste donum regale, &c. Orationem pro L. Murena, incipit à supplicatione: Quæ precatus sum à dijs immortalibus Iudices: & quæ sequuntur.

Vt medeatur.

Sicuti medicina uulneribus & morbis adhibet̃, ita orator crimina quæ negare nõ potest, ita eleuat, ut quodammodo eis mederi uideatur. Dicitur hæc exoratio θεράπευσις, latinè medela dici potest. ut pro Roscio Com. Sed hanc decisionem Roscij oratione & opinioe augere licet, re & ueritate mediocrẽ & tenuem esse inuenietis. pro Cœlio: Detur aliquid ætati, sit adolescentia liberior, non omnia uoluptatibus denegentur, non semper superet uera illa & directa ratio, uincat aliquando cupiditas uoluptasq́ rationem, &c.

Vt a proposito declinet aliquantulum.

Digressio

Digreſsio breuior multis fit modis, ut ait Quintilianus: ſed multum reficit & recreat audientium animos. ut pro Milone: Et aſpexit me illis quidem oculis, quibus tum ſolebat, cùm omnibus omnia minabatur. pro Roſcio Amerino: Næ tu Eruci accuſator eſſes ridiculus, ſi illis temporibus natus eſſes, cum ab aratro arceſſebantur, qui Conſules fierent? pro P. Quintio: Quæſo C. Aquili, uosq́ qui eſtis in conſilio, ut quid pollicitus ſim, diligenter memoriæ mandetis.

Vt optet.

Optatio eſt, cum ea deſideramus quæ non habemus, aut iam habere non poſsimus. ut pro lege Man. Vtinam Quirites, uirorum fortium atq; innocentium copiam tantam haberetis, ut hæc nobis deliberatio difficilis eſſet, quem' nam potiſsimum tantis rebus ac tanto bello præficiendum putaretis. Philippica nona: Vellem Dij immortales feciſſent P. C. ut uiuo potius Ser. Sulpitio gratias ageremus, quàm mortuo honores quæreremus.

Vt execretur.

Execratio, quæ dicitur ἀρὰ græcè, uehemens eſt in eos quos perditos uolumus. ut pro Deiotaro: Dij te perdant fugitiue. & alibi Cicero: O' ſcelus, ô portentum in ultimas terras exportandum. prima contra Catilinam, ad extremum: Aeternis ſupplicijs uiuos mortuosq́ mactabis.

Vt fiat ijs apud quos dicet familiaris.

Significatio familiaritatis in exordijs maximè fieri ſolet ad conciliandam beneuolentiam. Dicitur hæc exornatio συνοικείωσις, quale totum ferè exordium eſt Actionis ſecundæ in Verrem: Quod erat optandum maximè iudices, & quod unum ad inuidiam ueſtri ordinis, infamiamq́ iudiciorum ſedandam maximè pertinebat, id non humano conſilio, ſed propè diuinitus datũ atq; oblatum uobis ſummo Reipublicæ tempore uidetur. & paulo pòſt: Adduxi enim hominem, in quo reconciliare exiſtimationem iudiciorum amiſſam, redire in gratiam cum populo Romano: ſatisfacere cæteris nationibus poſſetis. pro Roſcio Amerino: Fide ſapientiaq́ ueſtra fretus, plus oneris ſuſtuli, quàm ferre me poſſe intelligo, &c.

Atque alias etiam dicendi quaſi uirtutes ſequatur, breuitatem ſi res petet.

Diligens orator omnes dicendi uirtutes ſcrutabitur, nihilq́ prætermittet, quod ad exornandam orationem pertinere uideatur. interdum etiam cum opus fuerit, breuitatem ſequetur: Nam inter exornationes etiam βραχυλογία numeratur, uel βραχύτης, ut eam Rutilius nominat. Huius exemplum eſt pulchrum in ſecunda oratione contra Catilinam: Quæro ab inimicis ſint' ne hæc inueſtigata, comperta, patefacta, ſublata, deleta, extincta per me. tale eſt illud Cæſaris de Pharnace: Veni, uidi, uici.

Sæpe etiam rem dicendo ſubijciet oculis.

Subiectio ſub oculos tum fieri ſolet (ut ait Quintilianus) cum res non geſta indicatur, ſed ut ſit geſta oſtenditur: hæc ὑποτύπωσις græcè dicitur. ut ſeptima in Verrem: Ipſe inflammatus ſcelere ac furore, in forum uenit, ardebãt oculi, toto ex ore crudelitas emicabat. pro Milone: Res loquitur iudices ipſa, quæ ſemper ualet plurimum. Si hæc non geſta audiretis, ſed picta uideretis, tamẽ appareret, uter eſſet inſidiator, &c. Huius exornationis pulcherrimum exemplum eſt in octauo Aeneidos, de Cyclopibus.

—alij uentoſis follibus auras

Accipiunt,

Accipiunt, redduntq́ue. alij stridentia tingunt
Aera lacu, gemit impositis incudibus antrum,
Illi inter sese multa ui brachia tollunt
In numerum, uersantq́ue tenaci forcipe ferrum.

Sæpe supra feret, quàm fieri posśit.

Superlatio dicitur, oratio quæ ueritatem excedit, quæ ὑπερβολὴ græcè dicitur, frequens etiam in uulgari sermone. ut cum aliquem dicimus uento uelociorem, aut aliquid niue candidius. sicuti Virgilius:
Qui candore niues anteirent, cursibus auras.
Cicero frequēter utitur hac exornatione, ut pro lege Man. Plura bella gesśit, quàm cæteri legerunt: plures prouincias confecit, quàm alij concupiuerunt. Secunda Philippica: Oceanus medius fidius uix uidetur tot res, tam disśipatas, tam distantibus in locis positas, tam citò absorbere potuisse.

Significatio sæpe erit maior quàm oratio.

Hæc dicitur Emphasis, quæ altiorem præbet intellectum, quàm quem uerba per se ipsa declarant, ut ait Quintilianus. ut pro Ligario: Quòd si in tanta tua fortuna, lenitas tanta non esset, quantam tu per te, per te inquam obtines, intelligo quid loquar, acerbisśimo luctu redundaret ista uictoria. Habet emphasim illud Virgilij: Demissum lapsi per funem.— sic enim altitudo demonstratur. & illud in tertio:— Iacuitq́ue per antrum Immensum.— Declarat enim prodigiosum quoddam corpus.

Sæpe hilaritas.

De risu & facetijs iam suprà dictum est. Hoc igitur loco non facetias intelligere debemus, sed quandam orationis quasi lætitiam, quæ uehementer animos etiam sine risu exhilarat. ut pro lege Man. Prò Dij immortales, tanta'ne unius hominis incredibilis ac diuina uirtus, tam breui tempore lucem afferre Reipublicæ potuit? & alibi: Est hæc diuina atque incredibilis uirtus Imperatoris: quid cæteræ, quas paulo antè commemorare cœperam, quantæ, atque quàm multæ sunt?

Sæpe uitæ naturarumq́ue imitatio.

Imago naturæ uitæq́ue collationem & imitationem repræsentat, græcè dicitur εἰκών. ut pro Milone: Atq́ue illam belluam iudicij laqueos declinantem, irretitam teneret. in Vatinium: Repentè enim te tanquam serpēs è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intulisti.

Hoc in genere (nam quasi syluam uides) omnis eluceat oportet eloquentiæ magnitudo. Sed hæc nisi collocata, & quasi structa, & nexa uerbis, ad eam laudem, quam uolumus, aspirare non possunt.

Affirmat, id quod superius proposuerat, omnem eloquentiæ magnitudinem ab hoc genere exornationum pendere, atque in eo elucere: sed tamen laudem magnam assequi non posse, nisi collocandi rationem & numerorum scientiam adiungat, de qua deinceps est dicturus. Quasi syluam.) indigestam materiam. Nihil enim explicuit, sed locos tantum notauit. Sylua uerò frequenter à Cicerone pro materia ponitur. Sed hæc nisi.) Numerorum cognitionem necessariam esse indicat, sine qua non potest orator ueram laudem adipisci.

De quo

De quo cum mihi deinceps uiderem esse dicendum, etsi mouebant etiam me illa quæ suprà dixeram, tamen ijs quæ sequũtur perturbabar magis.

Quoniam deinceps de collocatione, & quasi structura uerborũ dicturus est, quæ quodammodo uidentur infra dignitatem esse tanti oratoris: præmunitione utitur hoc loco, quia respondet aduersarijs, & sibi hoc licere & conuenire ostendit, ut iuuentutẽ erudiat. De quo cum.) In elocutione primò considerantẽ figuræ uerborum & sententiarũ, de quibus iam dictum est: deinde cõpositio uerborum, atq; numerus, de quo deinceps est dicendũ. Etsi mouebant.) Sensus est: Rei difficultas, de qua suprà multa dixi, uehementer me quidẽ mouebat: sed tamen uoces aduersariorũ me magis perturbabant. Quis enim rem difficilem aggrediatur, nisi speret aliquam ex ea laudem reportare?

Occurrebat enim, posse reperiri non inuidos solum, quibus referta sunt omnia, sed fautores etiam laudum mearum, qui non censerent eius uiri esse, de cuius meritis tanta Senatus iudicia fecisset, cõprobante populo Romano, quanta de nullo, de artificio dicendi, literis tam multa mandare.

Hæc est propositio eorum quæ contrà dici possunt, quæ ideo proponit, ut ea deinde refellat. Non tantum, inquit, inuidi, sed etiam amici me fortasse reprehendent, quòd cum tantam gloriam et dignitatem assecutus sim, nunc ita me demittam, ut tanquã ludi magister dicẽdi artem doceam. Non inuidos solum.) Nam hi perpetuò maledicũt, atq; etiam ea reprehendũt, quæ magna laude digna sunt. Inuidis autem, inquit, referta sunt omnia, quod etiã secũdo de Oratore dicit Antonius: Plerią; sunt inuidi, maximeq; est hoc commune uitium & peruagatum. ad Appium ita Cicero: Latè patet hoc uitium, et est in multis. Sed fautores etiam.) Amici nonnunquã etiam ab amicis dissentiũt, & eos ægrè ferunt aliquid infra dignitatẽ suam facere. quæ fuerint autem iudicia Senatus, de meritis Ciceronis cõprobante populo facta, declarat ipse met Cicero in Pisonem, his uerbis: Me Q. Catulus, princeps huius ordinis, & auctor publici consilij, frequentissimo Senatu parentẽ patriæ nominauit. Mihi hic uir clarissimus, qui propter te sedet, L. Gellius, his audiẽtibus ciuicam coronam deberi à Repub. dixit. Mihi togato Senatus, nõ ut multis bene gestæ, sed ut nemini, conseruatæ Reipub. singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit. De hoc etiam Iuuenalis:

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

De artificio dicendi.) Multa enim opera Rhetorica scripsit Cicero: ut Partitiones græcè & latinè, tres de Oratore libros, de Claris oratoribus, Topica, & hunc Oratorem.

Quibus si nihil aliud responderem, nisi me M. Bruto negare roganti noluisse, iusta esset excusatio, cum & amicissimo & præstantissimo uiro, & recta & honesta petenti, satisfacere uoluissem.

Prima ratio excusationis ab officio ducitur, quòd Bruto roganti satisfacere uoluerit. Ponit autem tres causas, quæ singulæ magnam habent uim officij. Prima est, quòd amicissimo uiro, summe'que roganti negare noluerit. Amicis enim, quoad possumus, & quoad patitur æquitas, gratificari debemus. imò uerò concedunt uiri sapientes, ut amicorum gratia nonnunquam paulùm etiam ab æquitate discedamus. Altera causa est, quia Brutus, qui rogat, uir est præstantissimus: cui generi hominum nemo non studet inseruire. nam sæpe fit, ut multo magis præstantia alicuius, quàm

quàm amicitia moueamur. Tertia causa omnium est grauissima, quòd Brutus recta & honesta petebat. quamuis enim aliquis amicissimus et præstantissimus sit, tamen si praua aut turpia petat, non est audiendus. Vnde rectè Themistocles, cum ab eo Simonides Chius, qui sub eo militabat, iniquum quiddam postularet: Neque tu, inquit, bonus poëta esses, si modos & numeros in canendo cõtemneres: neq; ego bonus Prætor, si gratiam cuiusquam legibus anteponerem. Cum autem à nobis recta & honesta petuntur, omnibus neruis eniti debemus, ut ea præstemus. Iusta est igit Ciceronis excusatio, q; amicissimo & præstãtissimo uiro, & recta & honesta petẽti, satisfacere uoluerit.

Sed si profitear, quod utinam possem, me studiosis dicendi præcepta & quasi uias, quæ ad eloquentiam ferrent, traditurum, quis tandem id iustus rerum æstimator reprehenderet?

Alia ratio, ab officio communi. Nam pro se quisq; niti debet, ut labore atque industria sua quàm plurimis prodesse possit. Nihil enim est præstantius, quàm de humano genere bene mereri. Vnde Aristoteles dixit, nos inuentoribus artium & disciplinarũ plurimum debere, quòd primi animos nostros excolere cœperint. ita, inquit Cicero, si quis iustè rem æstimare uoluerit, nullo modo me reprehendendũ censebit, quòd dicendi studiosis, quasi aditum ad eloquentiam patefacere contendam. Quod utinam possem.) Honesta precatio, qua & animum suum ostendit, & modestè de se loquitur, & causæ plurimum seruit, fiduciam eius ostendens.

Nam quis unquam dubitauit, quin in Republica nostra primas eloquentia tenuerit semper urbanis, pacatisq; rebus: secundas, iuris scientia.

A' comparatione probare contendit, honestius esse præcepta dicendi tradere, quàm ius ciuile docere. Ac primò scientias ipsas inter se comparat, et docet eloquentiam iurisprudentiæ longè antecellere. nam hæ duæ artes urbanis pacatisq; rebus Romæ præcipuè colebant, eloquentia, & ciuilis scientia. Sed eloquentia præstantior habebatur, quod in oratione pro Murena, quadã pulchra similitudine sic ostendit Cicero: Vt aiunt in Græcis artificibus eos aulœdos esse, qui citharœdi fieri non potuerint: sic nonnullos uidemus, qui oratores euadere non potuerũt, eos ad iuris studium deuenire. Pacatisq; rebus.) Hoc dicit, quoniam belli tempore neq; orator, neq; iurisconsultus in ciuitate locum habet: quoniam ut ait Ennius, eo tempore

Tollitur è medio sapientia, ui geritur res,
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Non ex iure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt.—

Contrà uerò Demetrius Phalereus dixit, eloquentiam in pace tantum posse, quantum in bello gladius potest.

Cum in altera gratiæ, gloriæ, præsidij plurimũ esset: in altera persecutionum, cautionumq; præceptio, quæ quidem ipsa auxilium ab eloquentia sæpe peteret: ea uerò repugnante, uix suas regiones, finesq; defenderet.

Ab effectu probat, eloquentiam excellentiorem esse iurisprudẽtia. nam in eloquentia plurimum est gratiæ, gloriç, præsidij. Comparant enim plurimos sibi amicos, & multorum gratiam conciliant oratores, in magnoq; sunt honore ac precio, quòd facultate sua reos defendere, seq; ac suos omnes tueri possint.

sint. Iurisconsulti uerò tantum præcipiunt, quomodo ius tuum persequare, & quomodo caueas ne ab aduersarijs decipiaris. Huc accedit, quòd iurisprudentia per se infirma est & debilis, ut nisi ab eloquentia auxilium petat, persæpe fines suos defendere non posit. Idem pro Murena contra Ser. Sulpitium dicit: Etenim (inquit) à uobis salubritas quædam, ab ijs qui dicunt salus ipsa petitur. deinde uestra responsa atque decreta & euertuntur sæpe dicendo, & sine defensione oratoris firma esse non possunt. Suas regiones.) Metaphora sumpta à ciuitate, uel Principe, non multis copijs instructa, qui sine externis auxilijs fines suos defendere non potest.

Cur igitur ius ciuile docere semper pulchrum fuit? hominumque clarissimorum discipulis domus floruerunt? ad dicendum siquis acuat, aut adiuuet in eo iuuentutem, uituperetur?

Contentio, qua probat, ineptè uituperari eum qui præcepta dat eloquentiæ. Vis argumenti hæc est: Eloquentia iuri ciuili præstat: Sed ius ciuile docere semper pulchrum fuit: ergo pulchrius est eloquentiam docere. Apud Romanos clarissimi homines iuri ciuili operam dabant, & in eo iuuentutem erudiebant. itaque pulchrum & honestum habebatur, plurimos in iure ciuili discipulos habere, quod in primo de Oratore Crassus his uerbis ostendit: Est enim sine dubio domus iurisconsulti totius oraculum ciuitatis. Testis est huiusce Q. Mutij ianua & uestibulum, quod in eius infirmissima ualetudine, affectaque iam ætate, maxima quotidie frequentia ciuium ac summorum hominum splendore celebratur. Tertio de Oratore dicit Crassus, Sex. Aelium, M. Manlium, P. Crassum ueterem, T. Coruncanum, solitos fuisse transuersò foro ambulare: quod erat insigne, eum qui id faceret, facere ciuibus omnibus consilij sui copiam. Hoc est quod hoc loco quasi indignatur Cicero, quòd iurisconsulti laudentur, si ius ciuile doceant: oratores autem uituperentur, si eloquentiæ præcepta tradant.

Nam si uitiosum est dicere ornatè, pellatur omnino è ciuitate eloquentia: sin ea non modò eos ornat, penes quos est, sed etiam uniuersam Rempublicam, cur aut discere turpe est, quod scire honestum est? aut quod nosse pulcherrimũ est, id nõ gloriosum docere?

Argumentatur ab adiunctis, & ab ijs quæ cadunt sub eandem rationem, ut probet esse gloriosum eloquentiam docere. Si ornatè dicere (inquit) uitiosum est, eloquentia debet omnino è ciuitate pelli: quod Lacedæmonij fecerunt, qui orationis breuitate delectabantur, atque omnem eloquentiam tanquam rem uitiosam contemnebant. Sed Athenienses & Romani longè aliter senserunt, qui non tantum oratores ipsos, sed etiam uniuersam Rempublicam ornari eloquentia putabant. Ergo (inquit Cicero) si eloquentia maximo est ornamento, & ijs penes quos est, & uniuersæ Reipub. non potest cuiquam turpe uideri, eam rem discere, quam scire honestum est: neque quisquam uerè iudicare potest, non esse gloriosum id docere, quod pulcherrimum est nouisse.

At alterum factitatum est, alterum nouum: fateor, sed utriusque rei causa est. Alteros enim respondentes audire sat erat, ut ij qui docerent, nullum sibi ad eam rem tempus ipsi seponerent: sed eodem tempore & discentibus satisfacerent, & consulentibus.

Refutat ea, quæ ab aduersarijs dici possunt. neque enim (aiunt aduersarij) noui mores, aut nouæ consuetudines in ciuitatem inducendæ sunt: sed ut iuris-

consulti docerent, id iam ab antiquis temporibus factitatum est: ut uerò oratores præcepta traderent eloquentiæ, nouum est, & inusitatum. Huic obiectioni ita respondet Cicero, ut ostendat non hoc accidisse, quia res esset indigna, si quis eloquentiam doceret: sed quia uehementer occupati essent oratores, ut docere non possent, & quia docendi rationem & uiam non tenerent. Possum, inquit, utriusque rei causam ostendere: hoc est, cur iurisconsulti docuerint, oratores autem non docuerint. nam Iurisconsulti in docendo non occupabantur: sed aderant discipuli, qui eos audirent, quo tempore consulentibus de iure responderent, & diligenter consulta notarent: ita fiebat, ut eodem tempore & ijs qui discere uolebant, et ijs qui consulebant, satisfacerēt. Nullum igitur sibi tempus à reliquis occupationibus uacuum seponebāt iurisconsulti, in quo iuuenes in iure ciuili exercerent: sed dum cōsulerent, astare eos iubebant, et diligenter audire, atq; obseruare quæ responderentur, idq; satis ad doctrinam esse putabant.

Alteri, cum domesticum tempus in cognoscendis componendisq; causis, forense in agendis, reliquum in seipsis reficiendis, omne consumerent, quem habebant instituendi aut docendi locum?

Docet, oratores adeò fuisse occupatos, ut docere iuuenes non potuerint. nam primò domi oportebat eos audire clientum causas, easq; cognoscere & componere, deinde in foro eas agere: quod autem reliquum erat temporis, in eo consumebant, ut se ipsi reficerent. itaq; nullum docendi tempus supererat. Cum domesticum tempus.) Distributione docet, oratoribus nullum fuisse instituendi, aut docendi locum. Tempus autem in accidentia diuidit, cum aliud domesticum, aliud forense uocat. Oratores igitur, inquit, aut domi, aut in foro, aut alibi uersabantur. domi causas audiebant & componebant, in foro agebant, alibi erant reficiendi sui causa: ergo nullum tempus habebant, in quo docere possent.

Atq; haud scio, an pleriq; nostrorum oratorum ingenio plus ualuerint, quàm doctrina. itaq; illi dicere melius, quàm præcipere: nos contrà fortasse possumus.

Affert aliam rationem, cur oratores non docuerint. nam plerique, inquit, Romanorum oratorum, plus ingenio quàm doctrina ualuerunt: itaque propter excellens ingenium forensibus causis satisfacere poterant, sed propter artis imperitiam docere non poterant. Nos autem, inquit, melius fortasse præcipere, quàm dicere possumus. Hoc autem modestiæ gratia de se dicit, cum apertissimum sit, eum & melius dixisse, & eruditius præcepisse, quàm quemquam antea.

At dignitatem docere non habet: certè, si quasi in ludo. sed si monendo, si cohortando, si percunctando, si communicando, si interdum etiam unà legendo, audiendo, nescio cur nō docendo etiam aliquid aliquando, si possis meliores facere, cur nolis.

Secunda aduersariorum obiectio hæc est: Docere non habet dignitatem. quam uidetur concedere Cicero. Sed duo docendi genera facit: alterum in ludo, cum quis mercede docet: alterum sine ludo ac mercede, cum quis admonet, cohortatur, interrogat, studia sua communicat, unà legit, audit, aliquid docet. Hoc secundum genus maxima dignitate præditum esse uult, illud autem primum omni carere dignitate. Sed aduertendum est, Ciceronem hoc loco

de ho-

de homine Romano, summisque honoribus & magistratibus functo, uerba facere: nō autem generaliter de omni homine. neque enim dignitatem habuisset doctrina Ciceronis, si post consulatum, & res egregiè gestas ludum aperuisset, & quasi ludi magister aliquis Rhetoricam artē docere cœpisset. Idem dicendum de Hortensio, Crasso, Antonio, reliquisque Romanis oratoribus, qui maximos honores in Repub. gesserant. Verùm in alijs hominibus maximam dignitatē habet ratio docendi, in qua summam laudem adepti sunt plurimi: ut Isocrates, Aristoteles, Theophrastus, alijque penè innumerabiles. Docere igitur in ludo, non habet dignitatem, in homine consulari, & in ciuitatis principe: sed in alijs hominibus maximam habet dignitatem, si quis peritè doceat.

An quibus uerbis sacrorum alienatio fiat, docere honestum est: quibus ipsa sacra retineri defendique possint, non honestum est?

Argumentum à pugnantibus, quo probat, honestius esse Rhetoricam docere, quàm ius ciuile. quoniam ius ciuile nónnunquam docet, qua ratione contra leges aliquid aliquando fiat, ut quibus uerbis priuata sacra possint alienari: rhetorica uerò leges tueri ac defendere docet, ut sacra non esse alienanda, sed retinenda. Verùm hic locus habet magnam difficultatem, nisi quis explicet quæ sint illa sacra, de quibus loquitur hoc loco Cicero. Sciendum igitur, apud antiquos aliqua sacra fuisse publica, quibus uniuersa ciuitas incumbebat: aliqua uerò priuata, quæ uel ad unam aliquam familiam pertinebant, ut ad Fabios, ad Cornelios: uel quæ paterfamiliâs aliquis sibi constituerat. Quæ alicuius gentis uel familiæ sacra erant, ea gentilia uocabantur. ut Liuius libro quinto: Sacrificium erat statutum Fabiæ genti in colle Quirinali: ad id faciendum C. Fabius Dorsuo, Gabino cinctu sacra manibus gerens, de Capitolio descendit. hæc sacra, siue gentilitia essent, siue à patrefamiliâs constituta, lege duodecim tabularum iubebantur esse perpetua. Verba legis hæc sunt apud Ciceronem secundo de Legibus: Sacra priuata perpetua manento. Alciatus noster libro Prætermissorum primo ait, Lege duodecim tabularum, iurisconsultorumque interpretatione caueri solitum, ut pater filiusque hæres eadem sacra colerent: & omnis ad quem patris familiæ pecunia perueniret, is teneretur sacra illa celebrare. Cicero 2. de Legibus, refert Scæuolæ Pontificis interpretationem, qua traditum est, quinque modis astringi sacris hæreditatem. Hinc Plinius in Panegyrico ad Traianum: Non laturi (inquit) erant homines, abradi aliquid bonis, quæ sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent. Qui locus carmen quoque Plauti declarat in Captiuis, ubi parasitus: Sine sacris, inquit, hæreditatem adeptus sum offertissimam. quem locum Erasmus non intellexerat, nisi Alciatus noster illi exposuisset. Illud etiam sciendum, quod cum filius de potestate patris exibat, aut cum in alienam familiam adoptabatur, tunc à paternis sacris liberari dicebatur. Vnde Cicero pro Domo sua, contra Clodium, qui plebeio homini se adoptandum tradiderat, ait: Quid? sacra Clodiæ gentis cur intereunt, quod in te est? Quamuis igitur ex lege duodecim tabularum sacra priuata, perpetua manere debebant, tamen iurisconsulti quasdam uerborum formulas excogitarant, quibus sacrorum alienatio fieret, & à paternis sacris aliquis liberari posset, quod tamen aliquo modo contra religionem uidebatur. Hoc est quod ait Cicero: Si iurisconsulto honestum est docere, quibus uerbis sacrorum alienatio fiat: certè oratori multo honestius esse debet, docere quomodo sacra defendi, retinerique possint.

At ius profitentur etiam qui nesciunt: eloquentia autem illi ipsi

qui consecuti sunt, tamen se ualere dissimulant: propterea quòd prudentia hominibus grata est, lingua suspecta.

Tertia aduersariorum obiectio, quæ concludere uidetur, non esse uulganda præcepta artis rhetoricæ. eam autem ducunt ab effectis, hoc modo: Iurisconsulti etiam imperiti, scientiam iuris profitentur, quia sciunt prudentiam hominibus esse gratam: oratores autem, quamuis excellentes, artem dissimulant, quia sciunt linguam hominibus esse suspectam: ergo nemo debet id docere, quod pluribus suspectum est. Etiam qui nesciunt.) Quales etiam nostro tempore plurimi sunt, qui cum ignorantissimi legum sint, tamen audent de iure respondere. Talis fuit L. Valerius quidam tempore Ciceronis, quem Cicero ad Appium Pulchrum scribens ita notat: L. Valerium iureconsultum ualde tibi commendo, sed ita, etiam si non est iureconsultus. melius enim ei cauere uolo, quàm ipse alijs solet. Quin etiam primo libro Epistolarum, hunc eundem Valerium irridet. cum enim epistolæ hanc inscriptionem proposuisset, M. Cicero S. D. L. Valerio iurisconsulto. deinde sic epistolam incœpit: Cur enim tibi hoc non gratificer, nescio, præsertim cum his temporibus audacia pro sapiētia uti liceat. Se ualere dissimulant.) Quod L. Crassus & M. Antonius faciebant, qui quamuis essent eruditissimi & eloquētissimi, tamē artem se scire negabāt, de quib. Cicero 2. de Oratore sic ait: Sed fuit hoc in utroq; eorum, ut Crassus non tam existimari uellet non didicisse, quàm illa despicere, & nostrorum hominum in omni genere prudentiam Græcis anteferre. Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam, si omnino didicisse nunquam putaretur. atque ita se uterque grauiorem fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Græcos uideretur.

Lingua suspecta.) Frequenter enim accidit, ut opinio magnæ eloquentiæ dicenti noceat. unde Cicero pro P. Quintio, Hortensij aduersarij eloquentiam extollit, suam extenuat, ut illi fidem adimat, sibi conciliet. ita Turnus apud Virgilium, Dranci fidem eleuat, quòd eloquentiæ confideret, cum ait:

Proinde tona eloquio solitum tibi.—

& apud Ouidium, Aiax Vlyssis eloquentiam suspectam reddit:

Tutius est igitur fictis contendere uerbis,
Quàm pugnare manu sed nec mihi dicere promptum,
Nec facere est isti: quantumq; ego Marte feroci,
Inq; acie ualeo, tantum ualet iste loquendo.

Quare Vlysses initio suæ orationis, inuidiā eloquētiæ deprecatur his uerbis:

Ne'ue mihi noceat, quod uobis semper Achiui
Profuit ingenium: meaq; hæc facundia, si qua est,
Quæ nunc pro domino, pro uobis sæpe locuta est,
Inuidia careat, bona nec sua quisq; recuset.

Multi igitur artem in dicendo conantur occultare.

Num igitur aut latère eloquentia potest, aut id quod dissimulat, effugit? aut est periculum, ne quis putet in magna arte & gloriosa, turpe esse docere alios, id quod ipsi fuerit honestissimum discere?

Tribus rationibus respondet huic obiectioni. Primò, quòd eloquentia latère nullo modo potest. necesse est enim sese efferat, & copiose sapienterq; loquatur, alioquin non erit eloquentia. Secundò, quòd licet aliqui uelint artem dissimulare, tamen homines non effugiunt: quoniam intelligunt omnes, magnam eloquentiam sine arte constare nō posse. melius est igitur, & magis ingenuum,

ingenuũ,id fateri,et præ ſe ferre,quod licet aliquis diſsimulet,tamen apparet, & intelligi. Tertiò,quòd cum cõſtet artem rhetoricæ magnam & glorioſam eſſe,nemo turpe eſſe exiſtimabit,alios id docere,quod diſcere fuerit honeſtiſſimum. Primæ duæ rationes ab effectu ductæ ſunt,tertia ab iis quæ cadũt ſub eandem rationem. Docere enim & diſcere inter ſe conferuntur,et quæ ratio eſt unius, eadem etiam alterius eſt: ut ſi pulchrum eſt diſcere, etiam docere pulchrum eſt.

Ac fortaſſe cæteri tectiores,ego ſemper me didiciſſe præ me tuli.

A perſona ſua argumentatur, non poſſe ſe artem diſsimulare, cum ſemper eam ſe didiciſſe confeſſus fuerit. alij fortaſsis (inquit) tectiores & occultiores in diſcendo fuerunt, ut ne artem ſcire uiderentur: ego nunquam hac ſuperſtitione ductus, ſemper ingenuè confeſſus ſum me didiciſſe, cum aliter facere non poſſem.

Quid enim poſſem? cum abfuiſſem adoleſcens, & horum ſtudiorum cauſa mare tranſiſſem, & doctiſsimis hominibus domus referta eſſet, & aliquæ fortaſſe ineſſent in ſermone noſtro doctrinarum notæ: cumq; uulgo ſcripta noſtra legerentur, diſsimularem' ne me didiciſſe?

Quatuor cauſas adducit, quibus probet, ſe artem ſuam diſsimulare non potuiſſe. Prima eſt, quòd ab adoleſcentia ſemper his ſtudijs deditus fuerit, & eorum cauſa mare tranſierit. hoc etiam in Bruto de ſe fatetur, ubi ait, ſe in adoleſcentia multis quidem & uarijs artibus deditum, ſed ita tamen rhetoricæ incubuiſſe, ut ab exercitationibus oratorijs nullus dies uacuus eſſet. nam cum M. Piſone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie ſe declamando exercebat, & ſæpius græcè quàm latinè. deinde Apollonio Moloni dedit operam, qui dictatore Sylla Legatus ad Senatum de Rhodiorum præmijs uenerat. poſtea cum biennium iam uerſatus eſſet in cauſis, Roma profectus, Athenas uenit, & Antiochum philoſophum ſex menſes audiuit: quo tempore etiam apud Demetrium Syrum, dicendi magiſtrum, ſtudioſe ſe exercuit. deinde in Aſiam profectus, Menippum Stratonicenſem diſertiſsimum Rhetorem audiuit, & apud eum ſe exercuit, cum tamen ſecum haberet aſsiduiſsimè Dionyſium Magnem, & Aeſchylum Gnidium, et Xenoclem Adramitenum. qui bus non contentus, Rhodum uenit, & ſe ad eundem quem Romæ audiuerat, Molonem applicauit. hæc igitur prima cauſa eſt, cur artem occultare non poſſet, cum omnes ſcirent eum multis Rhetoribus operam dediſſe. Altera eſt, quòd doctiſsimis hominibus domus ſua ſemper referta fuerit, inter quos fuit Diodorus Stoicus, qui ad mortem uſque cum ipſo Cicerone uixit: à quo Cicero cùm in alijs rebus, tum ſtudioſiſsimè in Dialectica exercebatur, quæ quaſi contracta & aſtricta eloquentia putanda eſt. Tertia cauſa eſt, quòd in ſermone ſuo ſemper apparerent aliquæ doctrinarum notæ, quæ illum multa didiciſſe oſtenderent. refertæ ſunt enim Ciceronis orationes Philoſophorum ſententijs. Quarta eſt, quòd multa ſcripſerat quæ uulgo legebantur, ut ineptum eſſet id diſsimulare, quod omnes intelligere uel ex ſcriptis poterant.

Quid erat, cur probarem? niſi quòd parum fortaſſe profeceram?

Concludit, ex prædictis nemini ſe probaturum fuiſſe, ſe artem non didiciſſe, cum ei tantum operæ dediſſet: niſi fortaſſe probare uoluiſſet, ſe parum

profeciſſe, quod non ſatis honeſtum fuiſſet. nam id quidem tardi atque hebetis ingenij eſt.

Quod cum ita ſit, tamen ea quæ ſuprà dicta ſunt, plus in diſputando, quàm ea de quibus dicendum eſt, dignitatis habuerunt.

Hactenus probauit eſſe honeſtum, docere quæ ad artem rhetoricam pertinent. nunc præmunitione utitur, ad ea quæ dicturus eſt: quæ primò fatetur minus habere dignitatis, quàm ea quæ iam ſuprà dicta ſunt: deinde oſtendit eſſe oratori neceſſaria. Dixit enim hactenus de materia oratoris, & de genere dicendi, quæ certè magnifica fuerunt: deinceps dicturus eſt de compoſitione, & de numeris, quæ in docendo minuta eſſe uidentur, licet in dicendo multum ſplendeant.

De uerbis enim componendis, & de ſyllabis propemodum dinumerandis, & dimetiendis, loquemur: quæ etiamſi ſunt, ſicuti mihi uidentur, neceſſaria, tamen fiunt magnificentius, quàm docentur.

Hæc eſt propoſitio futuræ diſputationis. uult enim ea docere, quæ ad uerborum compoſitionem, & numerum orationis pertinent. Vt enim in ædificijs lapides non temerè proiecti, ſed certo atque ſuo loco diſpoſiti, firmos & ſpecioſos parietes reddunt: ita uerba in oratione bene collocata, & ad uim dicendi, & ad ſplendorem plurimũ ualent. Huc accedunt ſyllabæ & longæ & breues, quibus quaſi pedes efficiuntur, ad orationis modulationem mirè congruentes. Quare oportet, ut orator propè dinumeret & dimetiatur ſyllabas, ut nequid imminutum aut redundans in oratione ponat, ſed certis numeris aures impleat. Hæc (ait Cicero) ſunt quidem neceſſaria, uerùm tamen non ſatis magnificè doceri poſſunt. Res enim perexigua eſſe uidetur, de ſyllabis longis & breuibus, & de pedibus uerba facere: ſed ſi quis eis aptè utatur, admirabilem efficit orationem.

Eſt id omnino uerum: ſed propriè in hoc dicitur. nam omnium magnarum artium, ſicut arborum, altitudo nos delectat, radices ſtirpesque non item: ſed eſſe illa ſine his non poteſt.

Senſus eſt: Id quod diximus, generaliter omnibus in rebus uerum eſt: nam omnia magnificentius fiunt, quàm docentur. ſed tamen in hoc propriè dicitur, quoniam in oratore nihil magnificentius eſſe uidetur, quàm rotundè ac numeroſè dicere: cum tamen ſyllabas & pedes orationis docere, res humillima eſſe uideatur. Quod autem effectus magnificentior ſit quàm doctrina, probatur hac ſimilitudine: In arboribus nemo ferè ſpectat radices, aut ſtirpes, ſed omnes altitudinem, ramos, & fructus conſiderant: ita in magnis artibus, non rudimenta atque initia doctrinæ, ſed excellentia & effectus ſpectatur. Sed tamen ſine principijs ſuis eſſe nihil poteſt. Vnde clamabat Iſocrates, uirtutum omnium radices amaras eſſe, fructus uerò dulciſsimos: & Homerus, herbam illam quam Moly uocant ſuperi, nigram quidem habere radicẽ ſcribit, ſed flores candidos. Nam in omnibus rebus egregijs principia quodammodo latent, & obſcura ſunt, effectus autem & fines clariſsimi. ſed niſi fideliter iacta fuerint fundamenta, quicquid ſuperſtruitur, corruit.
Sed eſſe illa.) Nullo modo fieri poteſt, ut in arboribus ſint rami & fructus, niſi prius radices fuerint: ita etiam in artibus, niſi præcepta tradantur, effectus artis extare non poteſt.

Me autem ſiue peruagatiſsimus ille uerſus, qui uetat, Artem pudere proloqui quam factites, diſsimulare non ſinit, quin delecter: ſiue tuum

ue tuum ſtudium, hocà me uolumen expreſsit: tamen eis quos aliquid reprehenſuros ſuſpicabar, reſpondendum fuit.

Duas addit cauſas, quibus inductus artem ſuam diſsimulare non uult. Primam à peruagatiſsimo prouerbio ducit, in quo ita præcipitur: Ne pudeat artem proloqui quàm factites. Alteram à Bruti ſtudio, quo motus librum hunc conſcripſit. Senarius autem ille taxat eos, quos artis ſuæ pudet, propter arrogantiam: quorum è numero hodie multi reperiuntur. cum tamen nulla ſit ars utilis, uituperatione digna. Idem Cicero primo Tuſcul. ſenariū alterum citat, cum hoc mirè conuenientem: Bene, inquit, illo prouerbio Græcorum præcipitur, Quam quiſq; norit artem, in hac ſe exerceat. quod Horatius in Epiſtolis ſumpſit, ad uillicum ſuum ſcribens:

Quam ſcit uterq;, lubens cenſebo, exerceat artem.

Nemo igitur debet artem ſuam diſsimulare, ſed alijs relictis, in ea ſe exercere: quod ſe facere uelle oſtendit hoc loco Cicero. Quin delecter.) Apud A. Gellium Plato ex Euripide citat huiuſmodi ſententiam: Qua in re clarus quiſque eſt, ad eam properat, & diei partem illi plurimam impertit, in qua ipſe ſe exuperet: contra, in qua ſtupidior ac nihili ſit, inde effugit, eamq; contemnit. & certè ita eſt: Vnuſquiſq; ſuo ſtudio delectatur, alia contemnit.

Quod ſi ea quæ dixi, non ita eſſent, quis tamen ſe tam durum agreſtemq; præberet, qui hanc mihi non daret ueniam, ut cum meæ forenſes artes, & actiones publicę concidiſſent, non me aut deſidię, quod facere non poſſum, aut mœſtitiæ, cui reſiſto, potius quàm literis dederem: quæ quidem me antea in iudicia atque in curiam deducebant, nunc oblectant domi.

Cum ad omnia reſpondiſſet, quæ poterant aduerſarij reprehendere: nunc etiam à tempore argumentatur, ut oſtendat ſe nihil honeſtius facere poſſe. nam quo tempore ſcripſit hoc opus Cicero, iam Cæſar Rempublicam occuparat, & ita iudicia omnia, atque actiones publicæ conciderant, ut neque in foro, neque in Senatu amplius eloquentiæ locus eſſet. Nihil igitur aliud Ciceroni ſupererat, ſi ad ſcribendum non ſe dediſſet, niſi ut uel deſidiæ, uel mœſtitiæ ſe traderet: quod utrunque alienum eſt ab homine ſapientiæ ſtudioſo. Hoc eſt quod ait: Etiam ſi quæ ſuprà dixi, uera non eſſent, tamen eſſet durus & agreſtis ille, qui mihi non concederet ut literis potius operam darem, quàm aut uoluptatibus, aut triſtitiæ: cum iam non poſsim eas artes exercere, quibus eram deditus, ut aut cauſas forenſes agerem, aut in Senatu ſententiam dicerem. Quæ quidem.) Literæ, inquit, antea me deducebant in iudicia, & in curiam: hoc eſt, in forum, & in Senatum. in quibus longo tempore floruit, & quaſi dominatus eſt Cicero: unde à quibuſdam rex iudiciorum dicebatur. Oblectant domi.) Habent enim hoc literæ, quemadmodum pro Archia dicit Cicero, ut adoleſcentiam alant, ſenectutem oblectent, ſecundas res ornent, aduerſis perfugium ac ſolatium præbeant, delectent domi, non impediant foris, pernoctent nobiſcum, peregrinentur, ruſticentur.

Nec uerò talibus modò rebus, quales hic liber continet, ſed multo etiam grauioribus & maioribus: quæ ſi erunt perfectæ, profectò forenſibus noſtris rebus, & domeſticæ literæ reſpondebunt.

Non tantum rhetoricis ſtudijs, ſed etiam philoſophicis ſe deditum oſtendit. Mirum eſt enim quàm breui tempore multa cōſcripſit, poſtquā occupata

Republica à foro atque à Senatu recessit. tum enim Tusculanas quæstiones, tum libros de Officijs, de Finibus bonorum et malorum, de Natura deorum, de Fato, de Diuinatione, de Legibus, multaq; alia composuit. hæc sunt quæ grauiora & maiora uocat, quàm ea quæ hoc libro continentur. De hac re glo riatur etiam in procemio librorum de Officijs, quòd solus secutus fuerit & fo rense dicendi genus, & philosophicum. Quæ si erunt perfecta.) Si potue ro, inquit, ea perficere quæ de philosophia institui, non minus domesticis ex literis, quàm ex forensibus, gloriæ consequar.

Sed ad institutam disputationem reuertamur.

Iam refutatis omnibus quæ contrà dici potuerant, reuocatione utitur, ut propositam disputationem tandem aliquando expediat.

Collocabūtur igitur uerba, aut ut inter se quàm aptissimè cohæ reant, extrema cum primis, eaq; sint quàm suauissimis uocibus: aut ut forma ipsa concinnitasq; uerborum conficiat orbem suum, aut ut comprehensio numerose & aptè cadat.

De uerborum collocatione tractaturus, primò diuidit eam in tres partes, & quo ordine diuidit, ita singulas exequitur. Tribus igitur in rebus uerborū collocatio spectatur: in iunctura, sono, & numero. Iunctura efficit, ut quàm aptissimè cohæreant extrema cum primis, et ne uocales aut consonantes asperè concurrant. Sonus quandam formam & concinnitatem uerborum obseruat, atq; etiam ordinē, ut conficiat orbem suum. Numerus deniq; efficit, u tota periodus & comprehensio uerborū numerose & aptè cadat. primò igitur de iunctura, deinde de sono, tum de numero dicendum est.

Atque illud primùm uideamus, quale sit, quod uel maximè desiderat diligentiam: ut fiat quasi structura quædam, nec tamen fiat operose. nam esset cùm infinitus, tum puerilis labor.

Iunctura uerborum maximam desiderat diligentiam, ut quo quidq; loco quadrat & conuenit, uerbum collocetur: ita tamen, ut absit omnis affectatio, quæ semper est odiosa. neq; operose id fiat: quoniam infinito labore opus esset, qui puerilis iudicaretur. Exemplum est hęc sententia pro lege Manilia, diligenter iuncta. Non enim possunt una in ciuitate multi rem atq; fortunas amittere, ut non plures secum in eandem calamitatē trahant. Solue eandē sententiam ijsdem uerbis, & senties quantū iunctura ualeat. Non enim multi pos sunt amittere rem atq; fortunas in una ciuitate, ut non trahant secum plures in eandem calamitatē. Certè soluta iunctura, omnis elegantia perit. Iunge nunc operosius, & affectatius, hoc modo: Non enim una rem atq; fortunas in ciuitate multi amittere possunt, ut non calamitatem in eandem secum plures trahant. erit obscura & penè puerilis locutio. Diligenter igitur uidendum est, ut neq; liberior, neq; operosior quàm res postulet, iunctura uerborum fiat.

Quod apud Lucilium scitè exagitat in Albutio Scæuola:
Quàm lepidè lexis compositæ, ut tesserulæ omnes
Arte, pauimento, atque emblemate uermiculato.

Hoc, inquit, quod nimis operose uerba strueret Albutius, apud Lucilium poetam, Scæuola ridet et exagitat, his duobus uersibus: Quàm lepidè, &c. C. Lucilius poeta, natus est eo tempore, quo primùm Carthago Romanis deditionē fecit, in Arūca ciuitate, quę nō procul erat à Pontina palude. primus apud Romanos Satyrā cōscripsit. unde Plinius dicit, eum primū cōdidisse stili

nasum:

nasum: & Iuuenalis de Satyra loquens, ostendit Lucilium primùm scripsisse,

Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus.

Fuit Magni Pompeij maior auunculus. nam auia Pompeij, fuit Lucilij soror. In bello Numantino, sub Aemiliano Scipione eques militauit. mox ad scribendum conuersus, magna libertate principes ciuitatis nominatim insectari cœpit. unde lex lata est, ne cuiquam poetæ liceret quenquam nominatim carpere. Præcipuè Mutium Scæuolam, & Vectium Albutium Lupum perstrinxit. unde Persius ait:

—Secuit Lucilius urbem,

Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.

Quintilianus ait, in Lucilio miram fuisse eruditionem & libertatem, atque etiam acerbitatem. Sed Cicero mediocrem huic poetæ doctrinam, urbanitatem uerò summam tribuit. Adrianus Imperator cæteris omnibus poetis Lucilium præferebat. Neapoli mortuus est, cum annum sextum & quadragesimum ageret, & publico funere elatus est. Igitur apud Lucilium Scæuola in quadam Satyra ridet Albutium, quòd structuræ uerborum nimium esset studiosus, his duobus carminibus, quæ tertio etiam de Oratore libro à Crasso citantur. Habent autem pulchram similitudinem. Ita, inquit, lexis, hoc est dictiones & uoces (Græcum est enim uocabulum) lepidè sunt inter se compositæ, ut omnes tesserulæ quædam uideantur: hoc est, lapides quadrati artificio architecti, ut pauimento, hoc est ædium solo inserantur, tanquam emblemata, fiatq́ue opus uermiculatum & uarium. Apud antiquos fiebant pauimenta, atque etiam parietes quibusdam lapillis quadratis, et minutè sectis, qui uarias imagines repræsentabant, quales etiam hodie uisuntur multis in locis. quin etiam cathedras & scrinia uidimus eodem opere, sed ligneo, confecta. itaque lapilli quadrati illi dicuntur tesserulæ, quoniam tessera idem est quod cubus: hoc est, figura solida & quadrata. Emblema uerò dicitur, quicquid inseritur ornamenti gratia, non tantum pauimento & parietibus, sed etiam reliquis rebus: ut pateris, uasis, & uestimentis etiam: quales sunt claui, aut imagines argenteæ, aureæ, margaritæ, gemmæ, cæteraq́ue eius generis. unde Alciatus Emblemata uocauit, quædam carmina sua, quibus imagines quasdam uariè atque eleganter explicat. Opera uerò minutè secta, multisq́ue tesserulis insita, uermiculata dicuntur, quasi uermiculos imitantia.

Nolo tam minuta hæc constructio appareat. sed tamen stylus exercitatus efficiet facile hanc uiam componendi.

Non debet, inquit, orator tam esse solicitus in uerbis componendis, ut appareat structura tam minuta, quæ meritò exagitari posit. uerùm qui multum scribendo se exercuerit, is uiam componendi facilem efficiet. Hoc est quod primo de Oratore Crassus ait: Caput autem est, quod (ut uerè dicam) minimè facimus. est enim magni laboris, quem plerique fugimus, quàm plurimum scribere. Stylus optimus & præstantissimus dicendi effector, & magister. & quæ sequuntur multa, de scribendi utilitate. Nam in tota eloquentia nihil est quod maiorem uim habeat, quàm exercitatio. Quod cum præclarè Demosthenes intellexisset, exclamare non dubitauit, ἡ μελέτη πάντα δύναται, Exercitatio omnia potest.

Nam ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet quid sequatur, ne extremorum uerborũ, cum insequentibus primis concursus, aut hiulcas uoces efficiat, aut asperas.

Hoc præceptum ualet ad subitas dictiones, & à comparatione ducitur. Quemad-

Quemadmodum accidit, ut cum legimus, oculus noster prospicit sequentes literas, & statim coniungit, ut integras dictiones faciat: ita cum dicimus, animus prospicere debet quid sequatur, ne aut concursione multarum uocalium hiulcam orationem efficiat, aut consonantium collisione exasperet. Vt igitur compositio suauis sit, aduertere debet orator, primò ne multæ uocales concurrant, quæ res hiulcam efficit orationem. ut si quis diceret: Ego omnia habeo aperta amicis. talia sunt illa Catulli poetæ, quæ meritò uituperantur: *Quàm modò qui me unum, atq; unicum amicum habuit.* & illud: *Nec desistere amare omnia si facias.* Deinde, ne asperæ consonantes inter se concurrant: ut si quis diceret, Rex Xerxes strauit montes. quod poetæ nonnunquã faciunt ut Virgilius:

Sola mihi tales casus Cassandra canebat.

Asperitatem ergo referimus ad cõsonantes, hiatum ad uocalium concursum.

Quamuis enim suaues grauesq; sententiæ, tamen si incõditis uerbis efferunt, offendent aures, quarum est iudicium superbissimũ.

Probat, necessariam esse diligentem obseruationem in uerborum compositione. Nihil enim prodest, inquit, etiam si quis graues & suaues sententias proferat, si inconditis uerbis prolatæ fuerint. nam aures statim offenduntur, quæ fastidiose iudicare solent. ut si quis diceret: Studio omnes trahimur laudis, & quisq; optimus ducitur gloria: certè statim offenderentur aures, quamuis sententia grauis & suauis sit, quia uerbis inconditis, & hiulcè atque asperè concurrentibus est prolata. Sed si uerba componas, nihil suauius erit, hoc modo: Trahimur omnes studio laudis, & optimus quisque gloria ducitur.

Aurium autem iudicium uocat superbissimum, quoniam statim respuunt aures, & auersantur, quod est inconditum. ita Cornificius ad Herennium libro quarto, sensum aurium fastidiosissimum appellat: quia citò satietate afficitur. Vnde rectè præcipere uidentur ij, qui iubent, ut in componendo nostras ipsorum aures consulamus, & orationem quodammodo modulantes aduertamus, quid respuant, & quid probent.

Quod quidem latina lingua sic obseruat, nemo ut tam rusticus sit, qui uocales nolit coniungere.

In latina lingua solent, inquit, omnes, non tantum urbani, sed etiam rustici, concursum uocalium fugere, ne hiulca sit oratio. ideo frequentes potius dictiones coniungunt, ut exemplis postea declarabitur, quàm hiare uelint. Quod quidem.) Iudicium aurium latina lingua diligenter obseruare solet, adeò ut etiam quisque rusticus hiatum orationis fugiat. Strebæus legit, Quin uocales nolit coniungere. Sed Ciceronis sententiam nõ intelligit. nam Cicero ait: Omnes latini, etiam rustici, uocales potius coniungere uolunt, & aliquos elidere, quàm hiantem orationem efficere. quod exemplis postea declarat.

In quo quidam etiam Theopompum reprehendunt, quòd eas literas tantopere fugerit: etsi id magister eius Isocrates fecerat, at non Thucydides.

Nonnunquam etiam nimia diligentia reprehenditur. ut in Theopompo historico quidam reprehendunt, quòd uocalium concursum nimis anxie fugerit: quamuis eius præceptor Isocrates idem antea fecisset, uerùm in orationibus, in quibus maior datur concinnitati uenia. Thucydides autem honoratus scriptor, ea diligentia non usus est: siquidem apud eum frequenter uocales concurrunt. Fuit autem Theopompus Chius genere, ut

Suidas tradit, Isocratis discipulus, primò orator, deinde se ad historiam scribendam contulit, & ea scripsit quæ post bellum Peloponnesiacum à Thucydide scriptum acciderunt. scripsit etiam alia multa.

Ne ille quidem haud paulò maior scriptor, Plato: nec solum in his sermonibus qui Dialogi dicuntur, ubi etiam de industria id faciendum fuit: sed in populari oratione, qua mos est Athenis laudari in concione eos qui sint in prælijs interfecti: quæ sic probata est, ut eam quotannis (ut scis) illo die recitari necesse sit.

Plato, inquit, qui longè maior scriptor fuit, quàm aut Theopompus, aut Isocrates, uocalium concursionem in scriptis suis non fugit. & hoc non solum in Dialogis fecit, qui quoniam sermone quotidiano & familiari utunt, id etiam de industria habere debent, ut appareat quædam non ingrata negligentia: sed etiam in oratione illa funebri & populari, in qua laudauit eos qui pugnantes pro patria interfecti fuerant. quæ quidem oratio cum primùm Athenis recitata fuit, ita omnium suffragio comprobata est, ut deinceps eam quotannis eodem die iusserint Athenienses recitari. Hæc autem oratio, de qua meminit hoc loco Cicero, adhuc extat, & Epitaphium inscribitur. Morem autem & consuetudinem Atheniensium, laudandi eos qui pro patria interierãt, ponit etiam Thucydides libro secundo: & adiungit, orationem pulcherrimã à Pericle habitam.

In ea est crebra ista uocum concursio, quam magna ex parte, ut uitiosam, fugit Demosthenes.

In oratione illa Platonis frequenter uocales concurrũt, quæ hiantem illam quodammodo reddant. Verùm Demosthenes oratorum princeps, in hac re diligentissimus fuit, quia putabat esse uitiosum in oratione committere, ut uocales crebrò concurrerent. Dicebantur autem Demosthenis orationes lucernam olere, quoniam essent diligentissimè conscriptæ.

Sed Græci uiderint. nobis, ne si cupiamus quidem, distrahere uoces conceditur.

Græci propter uerborum copiam & uarietatem, poterant arbitrio suo uel uitare, uel admittere uocalium concursum: Latini propter egestatem linguæ non possunt eo modo uoces distrahere, ne uocales concurrant. nam (ut ait Quintilianus) sermo latinus non recipere uidetur illam solum Atticis concessam Venerem. Cicero probat hoc, exemplo Catonis & poetarũ, apud quos frequenter uocales eliduntur.

Indicant orationes illæ ipsæ horridulæ Catonis, indicant omnes poetæ.

Cato senior plurimas conscripsit orationes: nam Cicero in Bruto fatetur, à se inuentas & lectas centum quinquaginta, in quibus omnes oratoriæ uirtutes reperirentur. Fatetur tamen antiquiorem sermonem in eis fuisse, & quædam horridiora uerba: sicut etiam hoc loco horridulas uocat. tantum tamen eloquentia præstitit, ut Demosthenes Romanus diceretur, sicuti Plutarchus auctor est. Cicero certè de eo sic ait in Bruto: Quis illo grauior in laudando? acerbior in uituperando? in sententijs argutior? in docendo edisserendoq; subtilior? Hoc loco tamen ait eum uoces non distraxisse, sed uocalium concursum admisisse: sicuti etiam poetæ solent.

Præter

Præter eos qui,ut uerſum facerent,ſæpe hiabant.ut Næuius:

Vos qui accolitis Hiſtrum fluuium,atque Algidam.

& ibidem:Qua nunquam nobis Graij,atque barbari.

At Ennius ſemel: Scipio inuicte,& quidem nos:Hoc motu radiantis Eteſiæ in uada Ponti.

Poetæ, inquit, ſolent coniungere & elidere uocales, niſi quod aliquando uerſus cauſa hiant: hoc eſt,uocales non elidunt, ſed omnes pronunciant, & in metiendo carmine uim ſuam omnes habere ſinunt. quod duobus ſenarijs Næuij tragici poetæ probat, in quibus nulla fit colliſio. Primus enim ita metiri debet, ut primus pes ſit ſpondæus, ſecundus dactylus,tertius iambus, quartus dactylus, quintus ſpondæus,ſextus iambus, hoc modo:

Vos qui - - accoli - v v tis Hi v - ſtrum fluui - v v atq' Al - - gidam v -

Secundus hoc modo:

Quam nun - - quam no - - bis gra - - i at v - que bar v - bari v -.

Ergo & in primo,& in ſecundo uerſu eſt hiantia. quod Ennius non ſemel fecit,ut in illo: Scipio inuicte.ubi Scipio dactylus eſt. Quin exemplum ex ſuis carminibus Cicero profert,ubi colliſionem non fecit. eſt autem carmen Arati, quem poetam Cicero Latinum fecit.in quarto pede dactylus eſt, ſine colliſione:*Hoc motu radiantis Eteſiæ.* Quin etiam Virgilius ſæpe in carminibus ſuis hiat.ut in illo:

Tu'ne ille Aeneas,quem Dardanio Anchiſæ.

rurſus in Bucolicis:

Et ſuccus pecori,& lac ſuducitur agnis.

Aliquando bis in eodem carmine hiare ſolet.ut in Georgicis:

Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam.

& in Bucolicis:

Stant & iuniperi,& caſtaneæ hirſutæ.

Sed in hac re,ſicut etiam in reliquis plurimis,Homerum imitari uoluit, apud quem frequentiſſima ſunt huiuſmodi carmina hiantia.

Hoc idē ſæpius noſtri nō tuliſſent, quod Græci laudare etiā ſolēt.

Apud Latinos rarò fit,ut hient carmina,& uocales non elidantur, propterea quòd uitiū eſſe putatur:uerùm apud Græcos alia ratio eſt. nam illi carminis hiatum laudare ſolent, atque ideo frequentiſſimè admittunt. quod apud Homerum uidere facile eſt.

Sed quid ego? uocales ſine uocalibus ſæpe breuitatis cauſa contrahebant, ut ita dicerent:Multi'modis, uaſ' argenteis,palm' & crinibus,tecti' fractis.

Non tantum,inquit,Latini ueteres elidebant uocales, uerùm etiam ſæpe ſine uocalibus,breuitatis cauſa uocales cōtrahebant: hoc eſt,quamuis dictio non finiret in uocalem,ſed in conſonantem, tamen conſonantem obijciebāt, & uocalem contrahebant. quod quatuor exemplis probat. Dicebant enim multimodis,pro multis modis:quod etiā Lucretius uſurpauit in eo carmine,

Multimodis agitatur,& omnes accipit in ſe
Lætitiæ motus.—

Dicebant uaſ' argenteis,pro uaſis argenteis:palm' & crinibus, pro palmis & crinibus:tecti' fractis,pro tectis fractis. Hoc autem cum facerent, ſi in prima dictione, remota conſonante, uocalis remanebat, ea uocalis contrahebatur. quod ex uerſu illo Ennij intelligitur,

Spernitur

Spernitur orator bonus, horridu' miles amatur.
quod etiam Catullus, & quidem liberius fecit, in eo uersu:
Affixus nostris tu dabi' supplicium.
Eodem modo etiam Propertius, quamuis sequens dictio à uocali inciperet, abiecta con sonante, uocalem contraxit, cum ait:
Me soror, & cum qua dormi' amica simul.
dixit enim Dormi' pro dormis, abiecta s. Sed huiusmodi collisiones & consonantium & syllabarum, frequentissimæ sunt in nostra lingua uulgari, & Hetrusca.

Quid uerò licentius, quàm quod hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora? nam ut duellum bellum, & duis bis: sic Duellium eum qui Pœnos classe deuicit, Bellium nominauerũt, cum superiores appellati essent semper Duellij.

In contrahendis nominibus, inquit, Latini magna semper usi sunt licentia, ita ut non tantum cætera, sed etiam hominum nomina contraherent, ut aptiora & suauiora uiderentur. Probat autem hoc uno exemplo: quemadmodum ex duello bellum fecerunt, & ex duis bis, ita ex Duellio Bellium. Quintilianus primo libro, capite quarto: Nec nõ eadem, inquit, fecit ex duello bellum, unde Duellios quidam dicere Bellios ausi. Ex hoc loco quiuis intelligere potest, quàm imperitè Seruius existimet bellum dici per contrarium, quòd minime sit bonum aut bellum. Duellius uerò hic, de quo loquitur Cicero, primo Punico bello consul fuit, & aduersus classem Pœnorum prosperè pugnauit: primusq; omnium Romanorum ducum, naualis uictoriæ triumphum duxit: ob quam causam ei perpetuus honos habitus est, ut reuertenti à cœna tibicines canerent, & funale præferretur. Hunc postea Bellium (inquit Cicero) nominarunt, cum superiores eiusdem familiæ semper Duellij dicti fuissent.

Quin etiam uerba sæpe contrahuntur, nõ usus causa, sed aurium. quomodo enim uester Axilla Ala factus est, nisi fuga literæ uastioris? quam literam etiam è maxillis, & taxillis, & uexillo, & paxillo, consuetudo elegans Latini sermonis euellit.

Sunt quædam uerba (inquit) quæ contrahuntur, non usus atq; consuetudinis gratia, sed quia melius sonare uideantur, & gratiora sunt auribus. & hoc exemplo probat: quia Seruilius Ala, prius Axilla dicebatur: Ergo nomen eius contractum est, ut litera illa uastior x, quæ uim duarum consonantium habet, & sonum quendam agrestem, fugeretur. Sed qua de causa dixit Cicero uester Axilla? quia M. Brutus, ad quem scribit, paternum quidem genus à Iunio Bruto, qui Tarquinium Superbum eiecit, & patriam dominatu regio liberauit: maternum autem ducebat ab illo Seruilio Ala, qui cum esset magister equitum, Spurium Melium regnum affectantem interemit. quod secunda Philippica Cicero innuit, cum ait: Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur, illis auctoribus Brutos ego impellerem, quorum uterq; Iunij Bruti imaginem quotidie uideret, alter etiam Alæ? Ergo cum prius diceretur Axilla, per contractionem factus est Ala. Quod in quatuor etiam alijs dictionibus propter elegantiam latini sermonis effectum est. cum enim hęc essent integra uocabula, maxilla, taxillus, uexillũ, paxillus, omnia sunt eleganter cõtracta. nam maxilla dicitur mala, taxillus talus, uexillum uelũ, paxillus palus. hæc est Ciceronis sentẽtia: ex qua facile potest intelligi, quantũ ineptiant omnes ferè Grãmatici, qui cẽsent maxillã, taxillũ, uexillũ, paxillũ, esse nomina diminutiua, à mala, talo, uelo, palo: cum potius sint natiua, et integra.

Libenter etiam copulando uerba iungebant: ut sodes, pro si audes: sis, pro si uis. Iam in uno capsis, tria uerba sunt. ain' pro ais'ne, nequire pro non quire, malle pro magis uelle, nolle pro non uelle. dein etiam sæpe, & exin, pro deinde, & pro exinde dicimus.

Nonnulla etiam uerba per copulationem & compositionem contrahuntur: ut sodes, pro si audes. Cicero ad Atticum libro septimo: Iube sodes nummos curare. Horatius:

Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum Nænia?

Sis, pro si uis, ut pro Ros. Am. Age nunc, refer animum sis ad ueritatē. Plaut. in Amph. Iam sequere sis, herum qui ludificas. Capsis ex tribus uerbis componitur, hoc est, cape si uis. quamuis Quintilianus contrà sentire uideatur, qui dicat, Ex tribus corporibus uerba coalescere, nostræ linguæ non esse concessum. Iam quæ sequuntur, frequentissima sunt: ain' pro ais'ne, nequeo pro non queo, malo pro magis uolo, nolo pro non uolo. Duo uerò quæ sequuntur, per abscisionem ultimæ syllabæ proferuntur, dein & exin, pro deinde & exinde: quam figuram Grammatici Apocopen uocant.

Quid illud, non olet unde sit? quòd dicitur Cum illis, cum autem nobis non dicitur, sed nobiscum? quia si ita diceretur, obscœnius cōcurrerent literæ: ut etiā modò, nisi autē interposuissem, cōcurrissent.

In omni oratione uitanda est obscœnitas, non tantum aperta, sed etiam occulta. Nihil enim oratoriæ grauitati tam est contrarium, quàm obscœnitatis significatio. Vnde cauendum est, ne ita etiam literæ concurrant, ut sonum aliquem obscœnum in pronunciādo efficiant. Atque ideo Latini, qui uitandæ obscœnitatis erant studiosissimi, potius naturā præpositionis, in aliquibus eam postponendo, mutare uoluerunt, quàm pati ut obscœnius literæ concurrerent. Quocirca licet dicerent Cum illis, noluerunt tamen dicere Cum nobis: quia si ita dixissent, pudendum muliebre nominare uisi fuissent. Ex hoc loco possumus intelligere, aliam fuisse pronunciationem apud antiquos, quàm qua nunc Itali passim utuntur. alioquin esset eadem obscœnitas in his uerbis, connubium, connecto, conniueo: quibus passim utitur Cicero. sed ita tunc pronunciabant, ut u, uocalis suum sonum haberet: & si dictio sequens ab n inciperet, tunc m, propositionis uerteretur in n, atque ita fieret obscœna pronunciatio: ut si ita scriptum esset, cunnobis. Cunnus enim, muliebre pudendum est.

Ex eo est mecum, & tecum, non cum me, & cum te: ut esset simile illis, uobiscum, atque nobiscum.

Præsumptio est. poterat enim aliquis dicere, cur non dicimus, cum me, & cum te, quoniam in his literæ non concurrunt obscœnius? Hoc (inquit) propter similitudinem facimus, ut idem in omnibus liceat. quod etiam Crassus tertio de Oratore ita confirmat: Noluimus cum me, & cum te dicere, ne eidē computationi adiungendum esset cum nobis: sed potius mecum, & tecum, et secum, & nobiscum diximus, cum præpositione, quæ facit obscœnum, assiduè postposita.

Atque etiam à quibusdā serò iam emendatur antiquitas, qui hæc reprehendunt: nam pro deum atque hominum fidem, deorum aiunt.

Syncope, siue concisio uerborum, fit sæpe metri causa. ut Virgilius, *Troiugenæ interpres diuûm*, & alibi, *Cum genere extinxem*: pro extinxissem. & in primo:

—penitusque

—penitusq; sonantes Accestis scopulos: pro accessistis. Sed aliquando etiam elegantiæ gratia fit concisio, ut in ea exclamatione, Prò deûm atq; hominum fidem: qua multis in locis utit Cicero, nominatim pro Roscio Comœdo: Prò deûm hominumq; fidem, hoc Roscius unquam à Cluuio petiuisset? Verùm aliqui Ciceronis tempore hoc reprehendebant, et quamuis in carmine fieri posse cõcederent, tamen in oratione soluta, non deûm, sed deorũ esse dicendum contendebant. quorum opinionem irridet Cicero.

Ita, credo, hoc illi nesciebant, an dabat hanc consuetudo licentiam? itaque idem poeta, qui inusitatius contraxerat, Patris mei meûm factûm pudet, pro meorum factorum: &, Texitur exitiûm examen rapit, pro exitiorum: non dicit liberûm, ut plerique loquimur, cum cupidos liberûm, aut in liberûm loco dicimus: sed ut isti uolunt, Neq; tuum unquam in gremium extollas liberorũ ex te genus. & idem: Namq; Aesculapij liberorum.

Non est, inquit, antiquitas emendanda. quia licet intelligeret quæ uerba essent integra, quæ imminuta, tamen interdum suauitatis gratia pro integris imminuta ponebat: sicuti poetæ suo arbitrio, modò integris, modò imminutis utuntur. Hoc autem nonnullis exemplis probat Cicero, quæ sumpsit à poetis sui temporis, quorum nulla extant opera. ita neq; cuius poetæ sint hæc exempla, certò scire possumus: sed Accij esse arbitror, qui cum contra aliorum consuetudinem dixisset, meûm factûm, pro meorum factorum: & exitiûm, pro exitiorum: non tamen dixit liberûm, pro liberorum, ut cæteri ferè consueuerant. ita enim uulgo loquebantur: Est cupidus liberûm, habet eos loco liberûm, pro liberorum. Sed poeta consuetudine neglecta, protulit integrum, ut isti uolunt qui antiquitatem emendant. Citat autem octonarium integrum ex Accio, & partem alterius uersus, ad id probandum quod dixerat.

At ille alter in Chryse, non solum, Ciues antiqui amici maiorum meûm, quod erat usitatum: sed durius etiam, consiliûm socij, auguriûm, atq; extûm interpres. idemq; pergit:

Postquam prodigiûm horriferûm portentûm pauor.

Pergit ostendere poetarum licentiam, contra receptam consuetudinem. Ille alter, inquit, poeta in Chryse tragœdia, quam composuit, huiusmodi concisione uerborum sæpius usus est. Pacuuium poetam intelligit, de quo suprà diximus. is enim Tragœdiam fecit Chrysen appellatam, à Chryse Apollinis sacerdote, de quo Homerus primo Iliados multa. cum enim huius sacerdotis filiam Agamemnon captiuam haberet, neque eam patri uellet reddere, Apollo indignatus, pestem in Græcorum exercitum immisit, unde plurimi mortales fœdè absumpti sunt, donec de concilij sententia coactus Agamemnon filiam patri reddidit. Ex ea tragœdia tres senarios iambicos citat hoc loco Cicero, quibus in omnibus sunt concisiones. In primo dixit, maiorum meûm, pro meorum: quod usitatum esse ait Cicero. in altero longè durius dixit, consiliûm, auguriûm, extûm: pro consiliorum, auguriorum, extorum. in tertio dixit, prodigiûm, horriferûm, portentûm: pro prodigiorum, horriferorum, portentorum.

Quæ non sanè sunt in omnibus neutris usitata. nec enim dixerim tam libenter, armûm iudicium, etsi est apud eundem: Nihil'ne ad te de iudicio armûm accidit? quàm centuriam (ut censoriæ Ta-

bulæ loquuntur) fabrûm, & procûm audeo dicere, non fabrorum, & procorum.

Hanc consuetudinem concidendorum uerborum, magis in masculinis nominibus, quàm in neutris esse, ostendit. itaq; poetas contra cõsuetudinem facere, quoties aut neutra concidunt, aut masculina integra ponunt. Sed tamen poetas sequi licet, nisi cum dura concisio uidetur. neq; enim in omnibus neutris uti concisione licet: ut si quis diceret, armûm pro armorum. quamuis idem Pacuuius hanc concisionem usurparit, in eo senario: Nihil'ne ad te de iudicio armûm accidit? non tamen esset probandus. Itaq; ait Cicero: Non tam libenter dixerim, iudicium armûm, quàm centuriam fabrûm & procûm: quoniam hoc usitatum est, illud durum. Censoriæ uerò tabulæ, in quibus se legisse centuriam fabrûm & procûm ostendit hoc loco Cicero, duplices erant. Alteræ censũs, in quibus ciuium Romanorum nomina scribebantur, quoties census fieret, quæ publicæ etiam tabulæ dicebantur. ut pro Archia: Imò uerò his tabulis professus est, quæ solæ ex illa professione collegioq; Prætorum obtinẽt publicarum tabularum auctoritatem. Alteræ uerò ignominię, in quibus eorum nomina notabantur, qui aliquid deliquissent, et pœna digni uiderentur, cuius rei plurima extant exempla. In eis igitur tabulis legitur, centuria fabrûm & procûm. unde ait Cicero, se non audere dicere fabrorũ & procorum, quod multis in locis uidere licet. nam pro Cor. Balbo dixit præfectum fabrûm: & ad Atticum sæpius, nunquam autem fabrorum.

Planeq; duorum uirorum iudicium, aut trium uirorum capitaliũ, aut decem uirorum litibus iudicandis, dico nunquam.

Omnino sequendam esse loquendi consuetudinem docet, licet aliter ratio postulare uideatur, ut in his nominibus ratio poscit, ut dicatur, duorum uirorum, & trium uirorum, & decem uirorum. Sed quia consuetudo aliter obtinuit, nunquam (ait Cicero) ita dico, sed per concisionem semper hoc modo: duûm uirûm, trium uirûm, decem uirûm. Duûm uiri primò fuerunt à Tarquinio Prisco instituti, qui sacris faciendis præessent, & quoties opus esset Sibyllinos libros inspicerẽt: qui deinde decẽ uiri facti sunt, ut ex patribus quinque, & ex plebe totidem crearentur. qui numerus ad Syllam usq; mansit, quo dictatore quinq; sunt additi, ut essent quindecim uiri sacrorum antistites. Fuerunt etiam Duûmuiri capitales, qui perduellionis diem ad populum dicerent, & mortis pœna reos agerent, de quibus libro primo Liuius meminit. Erant pręterea duumuiri nauales, qui reficiendis classibus præerant. de quibus Liuius ita libro nono scribit: Alterum, ut duûmuiros nauales classis ordinandæ reficiendæq; causa idem populus iuberet. Triumuiri capitales Romæ cõstituti sunt, quo tempore Curius Dentatus de Samnitibus triumphauit: qui facinorosos comprehenderent, & obseruarent ne qui cœtus nocturni fierent, et carceris custodiam haberent. Erant alij triumuiri, qui auro, argento, æri flando feriundo præerant, quos quidam monetarios triumuiros uocant: Liuius mensarios appellat. Erant præterea triumuiri nocturni, qui de nocte perambulabant urbẽ, ne qua incẽdia fierẽt. Decemuiri primò cõstituti sunt, ut leges cõponerent, qui duodecim tabulas cõfecerunt. deinde decemuiri fuere, qui litibus iudicandis præessent, si quando Prætores ad bella proficiscerent: de quibus intelligit hic Cicero. uerũ hæc longè copiosius tractat Alexander in Genialibus, libro tertio, capite 16.

Atqui dixit Accius, Video sepulchra duo duorum corporũm. idemq;, Mulier una duûm uirum. Quid uerum sit intelligo. sed aliàs ita loquor ut cõcessum est, ut hoc, uel prò deûm dico, uel prò deorum:

rum: aliàs ut necesse est, cum trium uirûm, non uirorum, cum sester tiûm numûm, non numorum, quòd in his consuetudo uaria nõ est.

Plurimum refert bonorum auctorum consuetudinem nosse, ut eam sequamur, & ne latum quidem, ut aiunt, unguẽ ab ea discedamus. sunt enim quædam, quæ utroq; modo dici possunt, ut duorum & duûm, quod exemplis Accij probatur, & deorũ & deûm. quædã aũt uno tantũ modo, ut triũ uirûm, nõ uirorũ, sestertiũ numûm, nõ numorũ: quia boni scriptores hęc nomina semper imminuta, nunquam integra protulerunt. Videndum igitur quid concessum sit, & quid sit necesse. Nam concessum est, ut etiam nos ea uariemus, in quibus consuetudo uaria est: necesse autem est, ijs sese legibus astringere, quas boni semper auctores obseruarunt.

Quid quòd sic loqui, nosse, iudicasse, uetant: nouisse iubent, & iudicauisse? quasi uerò nesciamus, in hoc genere & plenũ uerbũ rectè dici, & imminutum usitatè. itaq; utrunq; Terentius: Eho tu cognatum tuũm non noras? pòst idem: Stilphonem inquam noueras?

Reprehendit eos qui concisionẽ in uerbis repudiãt, et integra semper proferri uolunt. quia nõ aduertunt utrunq; rectè dici, plenũ inquã, & imminutũ. quod exemplo Terentij probatur, qui in eadẽ pagina dixit, noras, et noueras. Hos etiã Quintilianus libro primo, capite sexto reprehendit, qui cum docuisset analogiam nõ ratione niti, sed exemplo, neq; legẽ esse loquẽdi, sed obseruationẽ, ut ipsam analogiam nulla res alia fecerit, quàm consuetudo. deinde sic ait: Inhærent tamen quidã molestißima diligentiæ peruersitate, ut audaciter potius dicant, quàm audacter, licet omnes oratores aliud sequantur: et emicauit, non emicuit: & conire, non coire. His permittamus & audiuisse, & sciuisse, & tribunale, & faciliter dicere: & quæ sequuntur. ubi locum etiam hunc Ciceronis citat.

Sic et plenum est, sit imminutum. licet utare utroq;. Ergo ibidem:
Quàm chara sint, q; pòst carendo intelligunt,
Quamq; attinendi magni dominatus sient.

A uerbo sum, antiqui faciebant siem in subiunctiuo, quod hoc loco Cicero plenum esse ait, deinde per syncopam factum est sim. licet tamẽ uti utroq;. integrũ usurpauit Plautus in Amphitryone: Quasi nesciam uos uelle, qui diuos siem. & Terentius in Phormione: Sin patefit, in probro siem. imminutũ ubiq; ferè reperitur. Cicero duos senarios ex aliquo ueteri poeta citat, quorũ in primo imminutum est, sint: in altero plenum, sient.

Nec uerò reprehenderim: scripsere alij rem, & scripserunt esse uerius sentio. Sed cõsuetudini, auribus indulgenti, libenter obsequor. Idem cãpus habet, inquit Ennius. et in templis isdem — probauit, at eisdem erat uerius. nec tamẽ eisdem Opimius, malè sonabat ijsdem.

Verba omnia in o desinentia duplicem habẽt tertiam præteriti personam: Scripserunt, uel scripsêre, dixerunt, uel dixête: neutra (inquit Cicero) earum est reprehendenda: sed tamen intelligo rationem poscere, ut potius scripserũt dicamus, quàm scripsêre. uerùm cõsuetudo loquendi, conatur auribus indulgere, & id sequitur quod suauius esse uidetur. cui (inquit) libenter obsequor: nam consuetudo rationem uincit. fuerunt quidam qui putarent, etiam apud Latinos, sicut apud Græcos, dualem numerum inueniri, et dicerent, scripsere,

dixêre, cæteraq; eiusdem generis, ad duas tantum personas referri, scripserunt uerò & dixerunt ad plures. quorum opinionem Quintilianus libro primo capite quinto multis exemplis refellit. & ad extremum ita concludit: Sed quem potius ego quàm M. Tullium sequar? qui in Oratore, Non reprehendo (inquit) scripsere, scripserũt esse uerius sentio. Idem campus habet.) Ex Ennio sumit exemplum, quo probet abijci literas suauitatis gratia. nam idem dicitur in nominatiuo singulari, cum esset dicendũ isdē: quia componitur ab is & demũ, ut Priscianus sentit. neq; tamē Ennius dixit idem in nominatiuo singulari, propterea quòd isdē dici non posset: sed quia suauius illud erat. nam in ablatiuo plurali dixit, isdem in templis, cum esset dicendum eisdem. At dicet aliquis, eisdem esse opimius & pinguius: quod certè non ita est. Sed poeta suo arbitrio usus est. ijsdem uerò dicere noluit, quia malè sonabat. Eadem ratione Virgilius in secundo dixit isdem:

Abnegat, inceptoq; & sedibus hæret in isdem.

Iuuenalis autem integrum protulit, eo carmine:

Implet, & ad mœchos dat eisdem ferre cinædis.

Priscianus libro tertiodecimo, scribit licere nobis dicere, idem uir, & idem uiri: quòd aliquando nulla sit inter singularē et pluralem nominatiuũ differentia. Nostrum autem erit, diligenter aures consulere, & uidere utrum suauiorē efficiat orationem: quoniam hæc uariatio suauitatis gratia fit.

Impetratum est igitur à consuetudine, ut peccare suauitatis causa liceret. Et pomeridianas quadrigas, quàm postmeridianas, libentius dixerim: & mehercule, quàm mehercules.

Consuetudo sæpissimè etiam peccata excusat, & omnem uincit rationem. itaq; multa sunt in latina lingua, quæ uitiosa uideantur, & quorum nulla ratio reddi possit, quæ tamen propter consuetudinem excusantur: quoniam suauitatis causa peccare sæpe homines consueuerunt. Hoc autem exemplis intelligi potest. nam ratio poscit, ut postmeridianus dicatur: tamen suauius est duas consonantes abijcere, et pomeridianus dicere, quod ubiq; Cicero facit. Quod autem pomeridianas quadrigas uocat, intelligit quadrigas quibus utebantur in ludis Circensibus, quibus post meridiem currebãt: eo modo, quo apud Pisam in Olympicis ludis, ut auctor est Alexander. Similiter dicendum esset, mehercules: quia subintelligitur, seruet, aut iuuet, aut aliquid eiusmodi: ut sit integrum, Hercules seruet me: tamen ultima litera proijcitur, & mehercule dicitur.

Non scire quidem barbarum iam uidetur, nescire dulcius: ipsum meridiem, cur non medidiem? credo quòd erat insuauius.

Ratio uult, ut dicatur Non scio: sed iam is loquendi modus barbarus uidetur, neq; unquam huic uerbo, scio, adiungitur non, nisi aliquid interponatur: ut, non certò scio, nō benè scio. Sed nemo dicit Non scio, quia nescio dulcius est. Eodem modo, cum meridies à duobus nominibus, medius et dies cōponatur, dicendũ esset, medidies: quod ideo non dicitur, quia est insuaue.

Vna præpositio est abs, eaq; nunc tantum in accepti tabulis manet, ne his quidem omnium: in reliquo sermone mutata est. Nam amouit dicimus, & abegit, & abstulit, ut iam nescias, ab'ne uerũ sit, an abs. Quid si etiam absfugit turpe uisum est? & absfer noluerunt, aufer maluerunt? quæ præpositio præter hæc duo uerba, nullo alio in uerbo sic mutata reperitur.

Apud

Apud priscos illos Latinos, inquit, erat una præpositio abs, quæ deinde remotis literis triplex facta est, abs, ab, à: sicuti nihilum, nihil, nil. illa uerò integra abs, rarissima est, adeò ut tantum in accepti tabulis maneat, neque tamen in omnibus. Tabulæ accepti & expensi erant, in quibus procuratores & mercatores & cæteri notabant, quid accepissent ab alijs, aut à uectigalibus suis, & quid expendissent, ut deinde scirent quæ reliqui summa fieret: quę passim fiunt etiam nostro tempore. Dicuntur etiam aduersaria, quoniam in una parte notatur acceptum: ut, Abs Titio decem millia sestertiûm accepi, in aduersa uerò parte notatur expensum. In his tabulis tantum (inquit Cicero) præpositio abs manet, quamuis non in omnibus, in reliquo uerò sermone mutata est. Hæc quidem Cicero de consuetudine sui temporis. Verùm apud Terentiũ inuenitur, Abs quiuis homine, & Abs te. Grammatici autem dicunt, posse nos hac uti præpositione in dictionibus quæ incipiunt à Q, et à T. ut abs Quintiliano, abs Tiberio: quod an uerum sit, ipsi uiderint. Nos potius Ciceronem sequamur, & hanc præpositionem rejciamus, nisi cum auctoritate niti possumus. Tria uerò exempla ponit Cicero, quæ triplicem habent huius præpositionis uarietatem: ut amouit, abegit, abstulit: in primo, à, in altero ab, in tertio abs. sed nõ est facile scire, quod nam sit ucrius, ab'ne, an abs. Præterea notat duo uerba, in quibus hæc præpositio abs, uertitur in au: ut aufugio, & aufero. quod in nullis penitus alijs fieri potest, aut solet.

Noti erant, & naui, & nari: quibus cum in præponi oporteret, dulcius uisum est, ignoti, ignaui, ignari dicere, quàm ut ueritas postulabat.

Sicuti literæ detrahuntur suauitatis gratia, ita etiam aliquando adiunguntur, aut immutantur: ut in his nominibus, notus, nauus, & narus. quæ si componantur cum præpositione in, assumunt g literam, ut fiat ignotus, ignauus, ignarus: quia dulcius ita sonant, quàm si diceret, innotus, innauus, innarus, quemadmodũ ueritas postulabat. Hac de causa factum est, ut etiam simplicibus aliquando g præponatur. ut Horatius,

Gnauus mane forum, & uespertinus pete tectum.

Liuius, Gnauiter pugnatũ. Columella, Armorum ac militiæ gnaros. Plinius, Gnara temporis multitudo. ita etiam poetæ gnatum pro nato sæpe dicunt: hanc Grammatici dicunt esse figuram dictionis, & prothesin appellant.

Ex usu dicunt, & è Republica: quod in altero uocalis excipiebat, in altero esset asperitas, nisi x literam sustulisses: ut exegit, edixit, effecit, extulit, edidit. Adiuncti uerbi primam literam præpositio commutauit: ut suffugit, summutauit, sustulit.

Ex præpositio plena est, quæ integra semper conseruatur, quoties uocalis sequitur: ut ex usu, ex opere, ex ingenio, ex abdito. sed quoties consonans sequitur, plerunque abijcitur: ut è Republica, è regione, è domo, è balneo. Hoc autem fit propter asperitatem. quoniam x duplicis consonantis uim habet. Quod si eam consonans sequitur, tunc trium consonantium concursus fit, qui ferè solet asper esse. Hoc idem seruatur in compositis: ut exigo, edico, edo. Nonnunquam conseruatur, ut extulit. Sæpe immutatur, ut effecit. Quod fit etiam in alijs præpositionibus, ut una sæpe litera in compositione commmutetur. ut in hac præpositione Sub, b litera modò in f mutatur, ut suffugio: modò in m, ut summuto: modò in s, ut sustuli. Hic autem non uideo, quomodo cum uerbis Ciceronis exempla conuenire possint, nisi quis ita legat: Adiuncti uerbi prima

litera præpositionem commutauit. sic enim exempla conuenient.

Quid in uerbis iunctis? quàm scitè insipientem, nō insapientem? iniquum, non inæquum? tricipitem, non tricapitem? concisum, nō concæsum? ex quo quidam pertisum etiam uolunt: quod eadem consuetudo non probauit.

Non tantum præpositionum literæ mutantur, sed etiam iunctorū uerborum. ut hæc uerba simpliciter ita proferuntur, sapiens, æquus, caput, cæsus: uerùm si componant, ita mutantur, insipiens, iniquus, triceps, cōcisus. nam insuaue esset, si quis insapientē, inæquū, tricapitem, concæsum diceret. Vnde fuerūt quidam, qui analogiæ ratione ducti, sicuti dicimus cæsum cōcisum, ita tæsum pertisum dicendum esse censerent: quod à cōsuetudine repudiatū est.

Quid uerò hoc elegantius? quod non fit natura, sed quodam instituto: inclytus dicimus breui prima litera, insanus producta, inhumanus breui, infelix longa. & ne multis, quibus in uerbis eæ primæ literæ sunt, quæ in sapiente atque felice, productæ dicuntur, in cæteris omnibus breuiter. itemq; composuit, consueuit, cōcrepuit, confecit. Consule ueritatem, reprehendet: refer ad aures, probabunt. Quære, cur? ita se dicent iuuari. Voluptatem autem aurium morigerari debet oratio.

Locus hic difficillimus est, non alia de causa, nisi quia tota pronunciandi ratio mutata est. Verè enim dixit Alciatus noster, si reiurgeret Cicero, et orationem haberet, fore ut à nemine intelligeretur, propter diuersam pronūciationem. Quod igitur dicit hoc loco Cicero, totum ad pronunciationē referendū est. A. Gellius libro secundo, capite 17. sic ait: Obseruatè curioseq; M. Tullius in & con, præpositiones uerbis aut uocabulis præpositas, tunc produci atq; protendi animaduertit, cum literæ sequerent, quæ primæ sunt in sapiente, atque felice: in alijs autem omnibus correptè pronunciari. Quem locum à Melanchthonio miror, nō modò non intellectū, sed etiam perperàm interpretatum. ait enim Gellium dicere, in his quæ Cicero scribit breuia esse facta, n literam exemptā esse in pronūciando, ut sit iclytus pro inclytus, copôsuit pro cōposuit: quod neq; Gellius dicit, neq; omnino uerū est. Cicero enim ait hoc nō natura fieri, quoniā naturaliter talia propter positionē consonantiū longam habent primam: sed quodam instituto pronūciationis, ut quoties in componitur cum uerbis quæ incipiūt ab s & f literis, tunc productē pronuncieт: ut insanus, infelix, insipiēs, infandus. quod accidit etiam in præpositione con: ut consuesco, cōficio. at in cæteris omnibus breuiter pronuncieт, ut inclytus, inhumanus, incolumis: cōpono, concrepo, cōiungo. hoc autem suauitatis tantum gratia fit. nam si ueritatē consulas, reprehendet hoc, quia fit cōtra naturā syllabæ, quæ tam lōga est in uerbo inclytus, quàm in uerbo insanus. Sed si aures consulas, probabunt, quia molliori illa pronunciatione delectantur. Nostra autem omnis oratio uoluptati aurium morigerari debet.

Quin ego ipse cum scirem ita maiores locutos esse, ut nusquam nisi in uocali aspiratione uterent, loquebar sic, ut pulcros, & Cetegos, triumpos, Cartaginem dicerem. aliquando, idq; serò, conuicio aurium cum mihi extorta ueritas esset, usum loquendi populo cōcessi, scientiam mihi reseruaui.

Hic

Hic docet Cicero, sequendam esse consuetudinem, etiam si rationi repugnet: quod se fecisse ostendit. Sciebam, inquit, hanc fuisse cõsuetudinem antiquorum Latinorum, ut aspirationẽ tantum uocalibus adiungerent, nunquã autem consonantibus: ut homo, habeo, traho. atq; ideo sine aspiratione dicebam, Pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem. sed tandem cum aliter alios loqui intelligerem, & aures quasi flagitarent, ut aliorum consuetudinẽ sequerer, ita feci, populariterq; loqui cœpi, mihi tamẽ ueritatem & scientiã seruaui. Hic obseruandũ est, apud priscos Latinos raram fuisse aspirationẽ, & tantum in uocalibus, quod etiam Hetrusci scriptores nostro tempore seruant. postea uerò nimius usus (ut ait Quintilianus) erupit, ut choronæ, chenturiones, præchones dicerentur. Qua de Catulli nobile epigramma est, quod Politianus in Miscellaneis suis annotauit. id est eiusmodi:

Chommoda dicebat, si quando commoda uellet
Dicere, & hinsidias Arrius insidias,
Et tum mirificè sperabat se esse locutum,
Cum quantum poterat, dixerat hinsidias.
Credo sic mater, sic liber auunculus eius,
Sic maternus auus dixerat, atq; auia.
Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem hæc leniter & leuiter.
Nec sibi post illa metuebant talia uerba,
Cum subitò affertur nuncius horribilis:
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Iam non Ionios esse, sed Hionios.

Nimius igitur usus aspirationis irridebatur. itaq; quoties aures cõcedunt, est prætermittenda. quod his uerbis subiectis ostendit Cicero:

Orcinios tamen, & Matones, Otones, Cœpiones, sepulcra, coronas, lacrymas dicimus, quia per aurium iudicium semper licet.

Neque enim his aspirandum est, ut quidam existimant, sed leniter proferenda sunt, ex Ciceronis sententia. omnino autem non Oratios legendum, sed Orcinios, quæ familia Romæ fuit. ut pro Cluentio: Nuper apud C. Orcinium collegam meum. quia solemus Horatios cum aspiratione dicere. Nunc autem Cicero loquitur de ijs, quibus post consonantem adiungebant aspirationem: ut si dicerent Orchinios, Mathones, Othones, &c. quæ ait Cicero, sine aspiratione per aurium iudicium dici posse.

Purrum semper Ennius, nunquam Pyrrhum: Vi patefecerũt Fruges, non Phryges, ipsius antiqui declarant libri. nec enim Græcam literam adhibebant: nunc autem etiam duas. & cum Phrygũ, & cum Phrygibus dicendum esset, absurdum erat, aut tantum barbaris casibus Græcam literam adhibere, aut recto casu solum græcè loqui. tamen & Phryges, & Pyrrhum, aurium causa dicimus.

Ennius poeta rationem potius, quàm consuetudinem secutus, dicebat Purrum, non Pyrrhum, & fruges, non Phryges. quod ex libris eius antiquis declaratur. Ratio est, quia Græcam illam literam quę dicitur ypsilon, adhibere nolebat. quamuis postea duæ sint admissæ, hoc est, ph, & y, quæ respondent illis Græcis φ & υ. ita enim dicimus Phryges, ut Græci φρύγες. Considerabant igitur illi antiqui, non decere, Latinos casus Græcis literis scribere. Cum autem esset dicendum, Phrygum & Phrygibus, qui casus sunt

tantum barbari, hoc est, tantum Latini, non Græci, uidebatur absurdum Græcam literam adhibere casibus non Græcis, sed tantum barbaris: aut in nominatiuo solùm Græcè loqui, & Phryges dicere. Itaque statuerunt dicere, fruges, frugum, frugibus. Vocat autem Latinos casus, barbaros, Græcorum more: quia Græci statuebant, omnes qui Græci non essent, barbaros esse nominandos. Ennius igitur, & reliqui ueteres rationem sequebantur: tamen aurium causa, spreta est ratio, & Phryges, & Pyrrhum dixerunt posteri.

Quin etiam, quod iam subrusticum uidetur, olim autem politius, eorum uerborum, quorum eædem erant postremæ duæ literæ quæ sunt in optumus, postremam literam detrahebant, nisi uocalis insequebatur. ita non erat ea offensio in uersibus, quam nunc fugiunt poetæ noui. ita enim loquebamur: Qui est omnibu' princeps, non omnibus princeps: & uita illa dignu' locoque, non dignus.

Aurium iudicium etiam pro temporibus uariatur. nam quod olim elegans & politum existimabatur, id iam habetur subrusticum. hoc autem exemplo probatur. Nam in uerbis quæ finiebant in us, ut optimus, quoties uocalis non insequeretur, solebant ultimam literam detrahere, & ita dicere, optimu' princeps. itaque nulla erat offensio in uersibus, ut Ennius:

Spernitur orator bonus, horridu' miles amatur.

quod etiam aliquando Lucretius facit: ut,

Nam fierent iuuenes subitò ex infantibu' paruis.

Poetæ uerò noui fugiunt hanc offensionem, adeò ut nusquam utantur hac licentia. Verùm antiqui ita loquebantur, ut diceret, omnibu' princeps, non autem omnibus princeps: & uita illa dignu' locoque. libro 2. Tuscul. citat hoc carmen ex Lucilio:

Samnis, spurcus homo, uita illa dignu' locoque.

Quod si indocta consuetudo tam est artifex suauitatis, quid ab ipsa tandem arte & doctrina postulari putamus?

Argumentum à comparatione minorum, quo probat, magnopere quærendam esse suauitatem in loquendo. nam si indocti & imperiti homines consuetudine quadam, loquendi suauitatem quærunt: quanto id studiosius & diligentius ij facere debent, qui arte & doctrina præstant? Hæc est igitur huius loci conclusio, ut in coniungendis uerbis maximè diligentes esse uelimus, & potius aurium iudicium & suauitatem, quàm rationem sequamur.

Hæc dixi breuius, quàm si hac de re una disputarem. est enim hic locus latè patens, de natura usuque uerborum: longius autem, quàm instituta ratio postulabat.

Admonitio quædam hæc est, qua docet non se omnia dixisse, quæ ad naturam & usum uerborum pertinent, quoniam non de hac una re disputat: et tamen institutæ disputationi se cumulate satisfecisse. Quod autem dicit, locum de natura usuque uerborum esse latè patentem, id exemplo M. Varronis, & C. Cæsaris probari potest, qui multos libros de Analogia scripserunt: quin Messala (ut Quintilianus scribit) quosdam totos libellos, non de uerbis modò singulis, sed etiam literis edidit. ex quo licet intelligere, quantum essent emendatè loquendi studiosi, qui minima quæque diligentissimè persequebantur.

Sed quia rerum uerborumque iudicium prudentiæ est, uocum autem & numerorum aures sunt iudices: & quòd illa ad intelligentiam referuntur,

referuntur, hæc ad uoluptatem: in illis ratio inuenit, in his sensus artem. aut enim negligenda nobis fuit uoluptas eorum quibus probari uolebamus, aut ars eius conciliandæ reperienda.

Quatuor sunt res, ex quibus uniuersa constat eloquentia: res, uerba, sonus, numerus. ex quibus duæ primæ ad intelligentiã prudentiamq; pertinent: oportet enim res et uerba rectè intelligere, & prudẽter inuenire, atq; disponere. duæ uerò postremæ ad sensum aurium accommodantur: sonus enim & numerus quæritur, qui maximè aures demulcere atq; oblectare possit. Ergo duæ propter intelligentiam quæruntur, hoc est, res & uerba: duæ uerò propter uoluptatem, hoc est, sonus & numerus. Cum autem omnis nostra cognitio à duobus principijs oriatur, ut philosophi censent, hoc est, à ratione & à sensu (neque enim quicquam omnino percipere possumus, nisi nos aut ratio aut sensus adiuuet) rerum & uerborum artem ratio inuenit, soni autem et numeri sensus aurium similiter artem reperit. Hæc autem ars quam aurium sensus reperit, est oratori necessaria, nisi uelit auditorum uoluptatem negligere, quibus maximè probari desiderat: quod nemo facere debet. itaq; sonorum & numerorum cognitionem percipere debet orator.

Duæ sunt igitur res quæ permulceant aures, sonus & numerus, de numero mox, nunc de sono quærimus.

Cum probasset, oratori necessariam esse artem cõciliandę uoluptatis: nunc incipit eam tradere, ac primò utitur partitione. Duabus, inquit, rebus aures permulceri solent, sono et numero. prius de sono dicendũ est, postea etiam de numero. Sed hæ duæ res ita colligatæ sunt, ut altera nihil, aut parum admodũ sine altera delectare possit. sonus enim sine numero, atq; inordinatus, nõ modò nõ permulcet aures, sed eas etiam offendit: ut sonus tonitrui, quẽ Pythagorici dicebant à Deo constitutũ esse, ut impiorũ animæ quæ torquentur apud inferos, perterrefierẽt, ut auctor est Themistius in Posteriorib. Talis est uox dissona multorũ clamantium & obstrepentiũ. Dion in Pompeij rebus tradit, populi clamore superuolantẽ coruũ decidisse, quasi attonitũ. Val. Max. scribit, quo tempore T. Quintius Flamminius, debellato Philippo, per præconẽ iussit pronunciari, Græciæ ciuitates omnes liberas & immunes esse, tanta cœlum clamoris alacritate completũ, ut aues quæ superuolabãt, attonitę pauentesq; deciderint. Quin hoc licet quotidie experiri, sonum inordinatũ ac sine numero uehemẽter aures offendere. ut etiam Musici, nisi numerum seruent, concentũ efficere nõ possint. contrà etiam numerus sine sono nõ potest ad aures accedere, quoniã nihil præter sonũ auriũ sensu percipitũ. Dion in Seueri rebus scribit, se Byzantij turres septẽ uidisse, quas si quis præter numerũ atq; ordinẽ percussisset, nullus omnino sonus edebatũ: si uerò quis ad primam accedens, eam impulisset, statim illa sonũ acceptũ alijs reddebat, atq; ita simul omnes suauem quendam sonum emittebant. Opus est igitur numero, alioqui sonus oblectare non potest. Vnde Virgilius in Bucolicis, cum Silenum cantantem induxisset, numeri mentionem fecit: *Lib. 4. capite 8.*

Tum uerò in numerum Faunosq; ferasq; uideres
Ludere. & in sexto Aeneidos, de cantu Orphei:
Obloquitur numeris septem discrimina uocum. Thucydides autor est, Lacedæmonios cum numeris & tibijs in præliũ proficisci solitos, ut ea delectatio numerorum et sonorũ eos alacriores in pugnãdo redderet. Sed cum diuersa sint sonorum genera, uidendũ est de quo sono sentiat hoc loco Cicero. Sunt enim soni musicorũ instrumentorũ, ut citharæ, tibiæ, fistulæ. sunt soni uocum, ut in Musica quæ uoce humana conficitũ. Sunt deniq; soni uerborũ, ut aliud uerbũ

sit alio

sit alio consonantius & plenius. de quo sono loquitur hic Cicero. Itaq; sic ait:

Verba (ut suprà diximus) legenda sunt potissimū bene sonantia.

Bene sonantia uerba grauiorem & magnificētiorem efficiunt orationem. quare debet orator uidere diligenter, quæ sint ea quæ melius sonēt. ut, exempli gratia, scelestus & consceleratus idem significant, sed consceleratus multo cōsonantius est: ita pater & parens idem est, sed parens melius sonat: ita occido et trucido idem, sed trucido sonantius. Iunge nunc hæc omnia hoc modo, Scelestus filius patrē occidit: hæc certè latina locutio est, et elegans. sed quanto grauior erit, si quis ita dicat, Consceleratus filius parentem trucidauit? Atque ut ex Cicerone sumamus exemplum, poterat ita Cicero dicere: Me Q. Catulus frequenti senatu patrem patriæ uocauit. sed ut oratio grauior esset, ita dixit: Me Q. Catulus frequentissimo senatu parentem patriæ nominauit. Quomodo uerò cognosci uerba possint bene sonantia, copiose docuimus in Partitionibus.

In Pisonem.

Sed ea, non ut poetæ, exquisita ad sonum, sed sumpta de medio.

Debet, inquit, orator uerba quidem bene sonantia eligere, non tamen eo modo quo poetæ, qui exquisita ad sonum inuestigant, etiam si non tam propria sint. ut Virgilius:

— nanq; ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenq; iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

Sunt enim hæc ad sonum exquisita uerba, sed non oratoria. Nam orator de medio sumere uerba sua debet, neque à consuetudine loquendi discedere. ut pro Cœlio: Vicinū adolescentulū aspexisti. candor huius te, et proceritas, uultus, oculiq; perpulerūt. Sed Cicero exemplis poetarū sui temporis utitur.

Qua pontus Helles, — superat modum. At, Auratus aries Colchorum: splendidis nominibus illuminatus est uersus. Sed proximus inquinatus insuauissima litera, infinitus,

Ex poeta nescio quo tria citat exempla, quorum primum improbat, quòd nimis sit exquisitum, & modum superat: alterum laudat: tertium uerò penitus contemnit. primum est: Qua pontus Helles. hæc carmina erant eo tempore notissima: itaque Cicero citat ea mutilata, quod sæpenumero facit, atq; etiam in Græcis, ut Erasmus annotauit. Videtur autē improbare Cicero transpositionem uerbi, quòd Poeta dixerit, Pontus Helles: cum esset dicendum, Hellespontus. itaq; ait hanc affectationem superare modum. Alterum exemplum est, Auratus aries Colchorum: quod laudat Cicero, quia sit splendidis nominibus illuminatus uersus. Tertium est,

Frugifera & ferta arua Asiæ tenet.

Quod penitus cōtemnit, quòd sit inquinatus litera insuauissima, & quòd sit infinitus. Duo sunt igitur quæ uituperat in hoc uersu. primum, literam illam a, qua tria prima uerba finiunt, quam insuauissimam uocat, quoniam nisi diductis labris & ore aperto pronūciari non potest: & odiosum etiam quēdam sonum, si frequentetur, edit in fine. ut Virgilius:

Pascitur in magna sylua formosa iuuenca. & Ouidius:
Dum canit Ausonia carmina culta lyra.

Alterum est quod reprehendit, quia uersus sit infinitus: hoc est, quòd omnia uerba concursione uocalium implicentur, & nulla finem suum habeant, quæ res maximè hiulcum eum uersum facit,

Quare bonitate potius nostrorum uerborũ utamur, quàm splendore Græcorum.

Poetę latini quo splendidiorẽ et sonantiorẽ efficiant orationẽ, uocabulis et figuris græcis frequẽter utuntur, uel Græcorum more formatis. ut Virgilius:

In foribus lætum Androgeo, tum pendere pœnas
Cecropidæ iussi. —

nam Androgeo, et Cecropidę, gręca sunt uerba. Sed huiusmodi plurima sunt apud poetas, quibus oratoribus uti non licet. debet enim orator bona latina quærere, non Græca splendida. Dicet enim potius orator, si Carthaginienses alloquatur, hoc modo: Non in hanc regionem uenimus, ut urbes uestras diripiamus: quàm quomodo Virgilius Græcorum more locutus est,

Non nos aut ferro Libycos populare penates
Venimus, aut raptas ad littora uertere prædas.

Nisi fortasse sic loqui pœnitet: Qua tempestate Paris Helenam. & quæ sequuntur.

Exemplum sumit ex historijs Antipatri Cælij, quod etiam tertio de Oratore posuit, sed paulo diuersum. sic enim ibi: Sed tamen non rarò habet etiam in oratione poeticum aliquod uerbum dignitatem. neque enim illud fugerim dicere, ut Cælius: Qua tempestate Pœnus in Italiam uenit. Sic forte Cælius duos libros incepit, uel eodem modo legendum utrobique. Hoc igitur exemplo docet, non debere nos pœnitere sic interdum loqui, ut aliqua poetica uerba, quæ dignitatem habeant, usurpemus, ut tempestatem pro tempore. atque ideo subiungit:

Imò uerò ista sequamur, asperitatemq; fugiamus: Habeo istam ego perterricrepam. idemq; — uersutiloquas malicias.

Omnino sequi ea debemus, quæ suauia sint, & bene sonantia: quæ uerò sunt aspera, fugere, & poetis relinquere. qualia sunt illa: perterricrepa mulier, minax & garrula, quæ perterret crepando & obstrependo: & uersutiloqua malicia, quæ uersutè loquitur. Tale est illud apud Catullum: Multiuola mulier. & apud Virgilium, Veliuolum mare. plurimaq; eius generis, quæ in carmine tolerantur, in oratione soluta propter asperitatem & licentiam repudiantur.

Nec solum componentur uerba ratione, sed etiam finientur: quoniam id iudicium esse aurium alterum diximus. sed finiuntur aut compositione ipsa, & quasi sua sponte: aut quodam genere uerborum, in quibus ipsis concinnitas inest, quæ siue casus habent in exitu similes, siue paribus paria redduntur, siue opponuntur contraria, suapte natura numerosa sunt, etiam si nihil est factum de industria.

Iam transit ad numerosum sonum, quem aures in fine maximè desiderant. Debet, inquit, orator non tantum ratione quadam uerba componere atq; cõiungere inter se, uerùm etiam finire: quoniam hoc secundum est aurium iudicium. Duobus autem modis finiuntur: aut compositione, aut concinnitate. Compositio, est artificiosa uerborũ collocatio, quæ quasi sua sponte naturaq; conficit orbem suum: hæc autem syllabis longis et breuibus constat, è quibus pedes conficiuntur, & aptè cadens ambitus uerborum, de qua posterius dicet. Concinnitas uerò fit quodam genere uerborum, quæ tribus potissimum modis uariantur. aut enim casus habent in exitu similes, ut in Pisonem: An op

pidorum turpis amissio? an sociorum direptio, an agrorum depopulatio? pro Coelio: Non modo nihil ignoscendum, sed etiam acriter est resistendum. Cui adiungitur etiam similiter desinens exornatio, ut pro P. Sestio: Senatum obsideret? ciues indemnatos expelleret? bona diriperet? aedes incenderet? tecta disturbaret? templa Deorum immortalium inflammaret? Aut paribus paria redduntur. ut pro P. Sestio: Qui auctoritate, qui fide, qui constantia, qui magnitudine animi, cōsilijs audacium restiterunt, ij graues, ij principes, ij duces, ij auctores huius dignitatis atq; imperij semper habiti sunt. Aut opponuntur contraria, ut pro P. Sestio: Sed mihi omnis ratio est cum uirtute, non cum desidia: cum dignitate, non cum uoluptate: cum ijs qui se patriae, qui suis ciuibus, qui laudi, qui gloriae, non qui somno & cōuiuijs & delectationi natos arbitrantur. Haec quoties adhibentur in oratione, suapte natura numerosa fit, etiam si quis industriam non adhibeat.

In huius concinnitatis consectatione Gorgiam fuisse principem accepimus. quo de genere illa nostra sunt in Miloniana: Est enim Iudices, haec non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, uerùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus. Haec enim talia sunt, ut quia referuntur ad ea quae debent referri, intelligamus non quaesitum esse numerum, sed secutum.

Concinnitatem hanc quae cōstat certo genere uerborum, princeps tractasse dicitur Gorgias Leontinus: qui primus etiam ex omnibus ausus est in conuentu poscere, qua de re quisq; uellet audire, quemadmodū in Menone Plato scribit. Huic tantus honos habitus est à Graecia, sicuti tertio de Oratore Crassus ait, soli ut ex omnibus, Delphis non inaurata statua, sed aurea statueretur. Huius aūt cōcinnitatis exemplū ex oratione illa nobilissima, quā habuit pro Milone, Cicero sumit. ubi de lege naturae loquitur, qua uim ui licet repellere. Quo in exemplo licet intueri, et casus in exitu similes, ut Docti, facti, instituti, imbuti: et paria paribus relata, ut, Quam non didicimus, accepimus, legimus, uerùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: &, opposita contraria, ut, Non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti. Quoties igitur ita accidit, ut uerba referantur hoc modo ad ea quae referri debent, semper numerus apparet non quaesitus, sed secutus. Est huius concinnitatis pulchrum exemplum initio statim orationis pro A. Cecinna, ubi paribus paria redduntur: Si quantum in agro locisq; desertis audacia potest, tantum in foro atq; in iudicijs impudentia ualeret, nō minus in causa cederet A. Cecinna, Sex. Ebutij impudentiae, quàm tum in ui facienda cessit audaciae.

Quod fit item in contrarijs referendis: ut illa sunt, quibus non modò numerosa oratio, sed etiam uersus efficitur:

Eam quam nihil accusas, damnas.

Condemnas dixisset, qui uersum effugere uoluisset.

Bene quam meritam esse autumas, dicis malè mereri.

Id quod scis, prodest: nihil id quod nescis, obest.

Versum efficit ipsa relatio contrariorum. id esset in oratione numerosum: Quod scis, nihil prodest: quod nescis, multum obest.

Quoties (inquit) contraria contrarijs referimus, fit numerosa oratio. Vocat

autem Cicero contraria, quæcunque aliquo modo sunt opposita. ut nihil accusare & damnare, quæ repugnantia sunt: ex quibus etiam sæpe uersus conficiuntur. Tres autem uersus hoc loco ponit Cicero, quos etiam in Topicis citauit, ubi de Enthymemate à contrarijs ducto uerba facit. Nihil autem aliud his uersibus probatur, nisi ex contrarijs non modò numerosam orationem, sed etiam uersum fieri. Magnam autem uim habent contraria, quoniam opposita inter se magis elucescunt. unde Rhetores Enthymemata sola uocant ea, quæ à contrarijs dicuntur. Primus igitur uersus est dimeter, sed claudicans, quia in quarta sede pro iambo spondæum habet. Hos Græci scazontas uocant. Ita uerò dimetiēdus est, ut prima dictio, Eam, pro una syllaba ponatur, elisa prima litera, quod frequēter fit: ut primus pes spondæus sit, alter anapæstus, deinde duo spondæi, hoc modo:

Eam quam — — nihil ac ∪ ∪ — cusas — — damnat — —.

quod siquis diceret Condemnas, huius generis uersum effugeret. Alter uersus est trimeter, sed scazon: quia in sexta sede spondæus est, ubi iambus esse debuerat. Quin in uerbo Autumas fit syncopa, & abijcitur u, in demetiendo, ut sit spondæus in tertia sede. nam primi duo sunt anapæsti, duo sequentes spondei, quintus tribrachus, sextus spondæus, hoc modo:

Bene quam ∪ ∪ meritam es ∪ ∪ — s' aut mas — — dicis — —. male me ∪ ∪ ∪ reri — —.

Tertius est trimeter iambicus, ita dimetiendus, ut primi duo sint spondæi, tertius dactylus: duo sequentes spondæi, ultimus iambus, hoc modo:

Id quod — — scis pro — — dest nihil — ∪ ∪ id quod — — nescis — — obest ∪ —.

Ergo (inquit Cicero) relatio contrariorum uersum efficit. Quòd siquis uelit hanc sententiā immutare, numerū etiam oratoriū in carmine efficiet, hoc modo: Quod scis, nihil prodest: quod nescis, multum obest. Quamuis enim sit trimeter iambicus, habet tamē illam triplicem concinnitatē, quæ suapte natura numerū efficit. nam & cōtraria opponuntur, ut, scis nescis, nihil multum, prodest obest: & exitus habent in fine similes, prodest obest. et paria paribus redduntur: nam primum membrum sex syllabis cōstituitur, & totidem etiam secundum, ut compar efficiatur, quod ἰσόκωλον Græci uocant.

Semper hæc quæ Græci ἀντίθετα nominant, cum contrarijs opponuntur contraria, numerum oratorium necessitate ipsa efficiūt, & eum sine industria.

Præceptum pulcherrimū, ad oratorium numerum efficiendum, ut contraria contrarijs opponamus. hæc enim semper numerosè cadunt, etiam sine industria nostra. ut in Pisonem: Homini ille honorem, non generi: moribus, nō maioribus meis: uirtuti perspectæ, non auditæ nobilitati deferebat. Idem efficiunt etiam contentiones. ut in eadem oratione: Voluit ille senatum interficere, uos sustulistis: leges incendere, uos abrogastis: interire patriam, uos adiuuistis. Hæc mirum dictu quantopere orationem exornent, & quàm auditu suauia sint. itaque frequenter eis utitur Cicero.

Hoc genere antiqui iam ante Isocratem delectabanī, & maximè Gorgias, cuius in oratione plerunque efficit numerū ipsa cōcinnitas. Nos etiam in hoc genere frequētes, ut illa sunt in quarto accusationis: Conferte hanc pacem cum illo bello, huius Prætoris aduentū cum illius imperatoris uictoria, huius cohortem impurā cū illius exercitu inuicto, huius libidines cum illius continentia: ab illo qui cepit, conditas: ab hoc qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas. Ergo & hi numeri sunt cogniti etiam à Latinis.

Græci antiqui,ut Isocrates,Gorgias,Thrasymachus,hac concinnitate uerborum maximè delectabantur:quod facile uidere licet,in scriptis eorum,quæ nostro tempore supersunt.Isocrates quidem tam frequens est in hoc genere, ut nulla sit apud eum pagina,quæ non concinnitate aliqua suauiter exornetur.Quin etiam ipse Cicero,qui iucūditatem Isocratis,ut ait Quintilianus,exprimere latinè conatus est,sæpisime utitur hoc concinnitatis genere,ut in exemplo,quod ex quarta Actione contra Verrem ipsemet hoc loco adfert:ubi Marcelli uictoriam, quam secūdo bello Punico deuictis Siculis adeptus est, & Syracusarum expugnationem,cum aduentu C.Verris Prætoris in eam urbem cōparat: ut ostendat, multo mitiorem Siculis Marcellum hostem fuisse, quàm Verrem socium atq; amicum. Nam Marcellus Siculis hostibus multa ornamenta reliquit,quæ Verres iam socijs atq; amicis factis abstulit.sic igitur Cicero Iudices alloquitur:Conferte hanc pacem cum illo bello,etc.Quo in loco sunt contraria opposita,ut hanc pacem cum illo bello,huius libidines cum illius continentia.Sunt casus in exitu similes, ut conditas, captas, Syracusas. Sunt paria paribus relata:nam paci refert bellum:aduentui Prætoris,imperatoris uictoriam:cohorti impurę,exercitum inuictum:libidini, continentiam.

Quoties autem huiusmodi cōtentiones & relationes fiunt,semper numerosa fit oratio.ut pro lege Man. Illi libertatē ciuium Rom.imminutā non tulerunt,uos uitam ereptam negligetis? ius legationis uerbo uiolatum illi persecuti sunt,uos legatum pop.Rom.omni supplicio interfectum,inultum relinquetis:uidete ne ut illis pulcherrimū fuit,tantam uobis imperij gloriam relinquere:sic uobis turpisimum sit,quod accepistis,tueri et cōseruare non posse. non tantum igitur Gręci,sed etiam Latini,numeros eos qui efficiūtur ex concinnitate uerborum,cognitos habent.

Genus illud tertium explicetur,quale sit,numerosæ & aptæ orationis. quod qui non sentiunt, quas aures habeant, aut quid in his hominis simile sit,nescio. meæ quidem & perfecto completoque uerborum ambitu gaudent, & curta sentiunt, nec amant redundantia.Quid dico meas? conciones sæpe exclamare uidi,cum aptè uerba cecidissent.id enim expectant aures, ut uerbis colligetur sententia.

Tribus in rebus uerborum collocationem esse dixeramus,iunctura,sono, & numero.De duabus iam dictum est,de iunctura,& de sono,seu concinnitate:restat ut de numerosa & apta oratione dicatur.quod antequam faciat Cicero,numerum magnopere commendat,& eos refellit,qui non esse adhibendū numerum in oratione censent,ostenditq; maximè esse utilem. Siqui sunt(inquit)qui non sentiant quantam uenustatem & dignitatem numerus afferat orationi,ij nihil simile hominis habere uidentur.nam homo naturaliter rhythmo & numero delectatur, quemadmodum in Poetica tradit Aristoteles. Nec aliam ob causam Poetæ finxerunt Midam Phrygum regem aures asininas habuisse,nisi quia de rhythmo & numero iudicare nesciret: Marsyam enim Satyrum in canendo Apollini prætulit.qua de causa Apollo indignatus, illi asini aures affixit: de quo sic eleganter Ouidius:—*nec Delius aures* (u. Metam.)

Humanam stolidas patitur retinere figuram,
Sed trahit in spacium,uillisq; albentibus implet,
Instabilesq; illas facit,& dat posse moueri:
Cætera sunt hominis,partem damnatur in unam,
Induiturq; aures lentè gradientis aselli.

Non igitur aures hominis habent,qui completum in oratione numerum non sentiunt. At Cicero hanc ignominiam subterfugere conatur,ait enim aure

res suas delectari perfecto complexoque uerborum ambitu, et curta sentire, nec amare redundantia. Est autem perfectus uerborum ambitus, cum nihil aut curtum est, aut redundans. ut pro Milone: Est quodam incredibili robore animi septus: exilium ibi esse putat, ubi uirtuti non sit locus: mortem naturæ finē esse, non pœnam. Curtum erit, si aliquid adimas: ut illud extremum, Non pœnam redundans erit, si aliquid adiungas: ut si dixeris in fine, Non pœnam aut supplicium. Quid dico meas?) Correctio est, qua docet, non tantum eruditorum aures, sed etiam imperitorū plerunque apte cadentibus uerbis affici, adeò ut aliquando conciones exclament, & applaudant oratoribus numerosè dicentibus. Volunt enim aures, sententiam uerbis benè colligari: atque offenduntur, quoties aliquid est aut imminutum, aut redundans.

Non erat hoc apud antiquos, et quidem nihil aliud ferè non erat. nam & uerba eligebant, & sententias graues, et suaues reperiebāt: sed eas aut non uinciebant, aut non explebant.

Antiquis Romanis hoc solum defuisse ostendit, quòd orationis numerum non intellexerint. nam omnia ferè cætera habebant. Cum enim omnis oratio uerbis & sententijs constet, Romani ueteres & uerborū delectum habebant: & eas sententias inueniebant, quæ essent graues & suaues. in hoc uno deficiebant, quòd eas uincire numeris, & explere nesciebant.

Parum hoc meipsum delectat, inquiūt. Quid si antiquissima illa pictura paucorū colorum, magis quàm hæc iam perfecta delectet? illa nobis sit credo repetenda, hæc scilicet repudianda.

Iam ad refutationem eorum transit, qui numerum in oratione non probant. & primò utitur argumento à simili, ut ostendat artium incrementa esse laudanda. Nihil enim simul inuentum est, & perfectum, ut ait alibi Cicero. Pictura enim apud antiquissimos paucissimis è coloribus constabat: deinde paulatim ita aucta est, ut cum ipsa natura certare uideret, et penè uiuas imagines repræsentaret. Gyges Lydius primus finisse dicit, qui picturā inuenerit, ut ait Plinius. Quidam ab umbra hominis, lineis circūducta, reper tam aiunt. Claruerūt in ea deinde plurimi, sed præter cæteros Zeusis, Parrhasius, Protogenes, & Apelles: quorum Apelles omnium celeberrimus fuit, adeò ut Alexander ille Magnus ab hoc uno pingi uoluerit. nam, ut ait Horatius, *in Bruto.*

Edicto uetuit, ne quis se præter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra.

Ait igitur Cicero: Quemadmodum pictura paruis initijs profecta, adeò creuit, ut iam perfecta sit: ita etiam eloquētia. Quod si quis iudicio tam deprauato sit, ut magis illa rudi & antiqua pictura, quàm hac perfecta & noua delectetur, num ideo debemus illam antiquā repetere, et hanc nouam repudiare? Non opinor. Ita etiam, si quis magis eloquentia illa ueteri, numeris soluta capiatur, non ideo noua dicendi ratio longè perfectior repudiari debet.

Nominibus ueterum gloriantur. Habet autem ut in ætatibus auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas.

Hac una ratione se defendunt ij qui numerum orationis improbant, quòd ueteres oratores eo non usi sint: quorum magna esse debet auctoritas. quemadmodum enim senum maior est auctoritas quàm iuuenum: quoniam temeritas est florentis ætatis, prudentia senectutis: ita etiam antiqua exempla nos magis quàm recentia mouere debent, quoniam antiqui longè sapientiores fuerunt quàm recentiores. Hęc est aduersariorū sententia, quam facilè refellit Cicero. Sunt enim quidā adeò peruerso iudicio, ut nihil probēt, nisi quod ab antiquis scriptū fuerit: quicquid aūt nouū est, etiā si elegantissimū fuerit, con-

temnant: adeò sanctũ est uetus omne poema, ut ait Horatius. Qua de re indignatur idem Horatius, his uerbis:

Indignor quicquam reprehendi, non quia crassè
Compositum, illepidè ue putetur, sed quia nuper:
Nec ueniam antiquis, sed honorem & præmia posci.

Ad quam sententiam allusit Iuuenalis, cum, quendã poetam irridens, inquit:

— atq; uni cedit Homero *Propter mille annos. —*

Cicero autem auctoritatem antiquorũ seruat, & tamen aduersarios refellit. sic enim subiungit.

Quæ quidem apud meipsum ualet plurimum. nec ego id quod deest antiquitati flagito, potius quàm laudo quod est: pręsertim cũ ea maiora iudicem quæ sunt, quàm illa quæ desunt. plus est enim in uerbis et in sententijs boni, quibus illi excellunt, quàm in cõclusione sententiarum, quam non habent.

Antiquorũ auctoritas (inquit) apud me plurimũ ualet, sicuti ualere debet. Itaq; quicquid boni habuerunt, laudo, neq; ab eis flagito quod nõ habuerũt. Nondum enim Catonis Censorij tempore numerus orationis Romæ cognitus erat: itaq; nec Cato, nec cæteri eius ætatis oratores, eo uti potuerunt, sed alias summas uirtutes oratorias habuerũt, quæ maximè sunt laudandæ: propterea quòd longè maiores sunt, quàm numerus oratorius, qui illis defuit. abundarunt enim uerbis & sententijs plurimis & pulcherrimis, in quibus multo plus boni est, quàm in certa quadam sententiarum conclusione, & uerborũ colligatione, quæ in scriptis eorum non reperitur.

Sed habet nomẽ inuidiã, cum in oratione iudiciali & forensi numerus làtinè, gręcè ῥυθμὸς inesse dicitur. nimis enim insidiarũ ad capiendas aures adhiberi uidetur, si etiam in dicendo numeri ab oratore quæruntur.

Altera hæc est eorum ratio, qui numerum oratorium damnant. odiosum enim aiunt esse, cum iudiciales & forenses causas agimus, numerũ adhibere: quoniã iudices & auditores nimis insidiarũ sibi tendi & fieri arbitrabuntur, si nõ tantũ rationes & argumenta, uerùm etiam numeri in dicendo ab oratore quęsiti fuerint. quæ ratio tantũ in forensibus causis numerũ improbat, non in alijs dictionibus. Ergo in Demonstratiuo genere, atq; etiã in Deliberatiuo, per aduersarios numeris uti licebit. Quin in laudando maximè debent apparere, ut grandior & iucundior sit oratio. Quod aũt græcũ uocabulũ adiunxerit Cicero hoc loco, nõ sine causa fecit, sed ut nominis ambiguitatẽ fugeret. numerus enim apud Latinos aliquando carmen, uel species carminis significat. ut in eo Virgilij: *Numeros memini, si uerba tenerem*: & tunc græcè μέτρον dicitur. aliquando uerò pro apta sententiarũ & periodorũ cõclusione, seu clausula capitur, ut hoc in loco: & tunc ῥυθμὸς à Græcis dicitur. Voluit igitur Cicero declarare, quo de numero sentiat.

Hoc freti isti, & ipsi infracta & amputata loquuntur, & eos uituperant qui apta & finita pronunciant. si inanibus leuibusq; sententijs, iure: sin probæ res, lecta uerba, quid est cur claudicare, aut insistere orationem malint, quàm cum sententia pariter excurrere?

His rationibus adducti quidam, omnem numerum in oratione repudiant: & non tantum ipsi mutila quædam & incomposita loquuntur, sed eos etiam uituperant, qui aptè numeroseq; finire sententias elaborant. Infracta & amputata,

amputata, intelligimus interrupta & mutilata. ut si quis ita diceret: Iudices quęso attendite diligẽter, dum uobis expono breuiter rem gestã. Verba quidem sunt lecta, sed quia sentẽtia interrupta est, & mutilata, nullũ habere splendorẽ possunt. Itaq; si quis in sententijs inanibus et leuibus numerorum studio sus esse uellet, iure optimo posset irrideri: sed cum res probæ sunt, & lecta uerba, quæ causa est ut aliquis malit orationem suam esse claudam & insistentẽ, quàm cum sententia pariter excurrentem? In hoc uitio frequentissimus est Seneca, cuius omnis ferè oratio claudicat & insistit.

Hic enim inuidiosus numerus nihil affert aliud, nisi ut sit aptè uerbis comprehensa sententia: quod fit etiam ab antiquis, sed plerunq; casu, sæpe natura: & quæ ualdè laudantur apud illos, ea ferè quia sunt conclusa, laudantur.

Duas aduersariorum rationes breuiter refellit. Dicebant enim illi, repudiandum ideo numerum esse, primò quia ueteres eo non usi fuissent: deinde, quia in oratione forensi inuidiosus esse uideatur. Quibus ita respõdet Cicero, ut primò dicat, in hoc numero nullũ odium aut inuidiã esse posse: quoniã nihil aliud efficit in oratione, nisi ut aptè uerbis sententia comprehendat. Deinde ueteres etiam numero usos fuisse, quamuis eius artem non haberent. plerũque enim casus & natura solent artem imitari: imò uerò ars ipsa ex obseruatione nata est, quemadmodũ Aristoteles initio Rhetoricorum docet, & 2. de Orat. M. Antonius. Nam Plato in Gorgia scribit, ab experiẽtia natam esse artem: quod Aristoteles in exordio librorum de Prima Philosophia confirmat. Non est igitur mirũ, si homines artis expertes, aliquid artificiosum aliquando faciant. habet enim ars à natura semina quædam, quæ experientia & obseruatione adiuta coalescunt. Veteres igitur Latini oratores plerunq; casu, sæpe natura, bene sententias claudebant: et quicquid eorum laudatur, hac una ferè de causa laudatur, quòd sit aptè conclusum.

Et apud Græcos quidem iam anni propè quadringenti sunt, cũ hoc probatur: nos nuper agnouimus. Ergo Ennio licuit, uetera cõtemnenti, dicere:

Versibu' quos olim Fauni uatesq; canebant.

Mihi de antiquis eodem modo non licebit? præsertim cum dicturus non sim, Ante hunc, — ut ille, nec quæ sequuntur,

Nos ausi reserare.

Numerum orationis non esse nouum ostendit, quamuis paulo antè Romam sit inuectus. Nam apud Græcos, inquit, iam propè quadringẽti anni fluxerunt, ex quo probari & laudari cœpit. nos autem Romani homines non ita multo antè agnoscere cœpimus. Quòd autem sibi gloriari liceat hoc nomine, quia numerum orationis perfecerit, probat Ennij poetę ueteris exemplo: qui gloriabatur ante se nullum fuisse poetam Latinum egregium, se uerò primum fuisse qui Musarum Heliconem patefecerit, & uiam ad eum muniuerit. dicebat enim Ennius, Homeri animam in suum corpus transmigrasse, atq; ideo factum esse poetam. dicebat etiam, se triplex cor habere, eo quòd Græcè, Latinè & Oscè loqueretur. Qui uerò præcesserunt Ennium, impoliti et obscuri erant, & carmina fundebant, qualia solebant olim uates & Fauni canere: hoc est, obscura, atq; oraculorum similia, quòd non essent elegantiæ studiosi. Locus autem hic illustratur ex eo qui est in Bruto, ubi sic ait Cicero: Quid nostri ueteres uersus ubi sunt?

— *Quos olim Fauni, uatesq; canebant,*

Cum neq; Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat.

Ante hūc.) Ait ipse de se, nec mentitꝰ in gloriādo. Loquebatur ergo de se in tertia persona Ennius, et dicebat, ante se neminē scopulos Musarū superasse, nec dicti studiosum fuisse. q̄d etiā Lucretius fatetur 1. libro, ubi ita de Ennio canit:

Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam
Per gentes Italas hominum quæ clara clueret.

Quin ipse Lucretius multum de se gloriatur, quòd primus carmine res philosophicas complexus sit. ita enim quartum librum exorditur:

Auia Pieridum peragro loca, nullius antè
Trita solo: iuuat integros accedere fontes,
Atq; haurire: iuuatq; nouos decerpere flores,
Insignemq; meo capiti petere inde coronam,
Vnde prius nulli uelarint tempora Musæ.

Lib. 3. Virgilius etiam in Georgicis ita de se canit:

Primus ego in patriam mecum, modò uita supersit,
Aonio rediens deducam uertice Musas,
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas.

Ergo (inquit Cicero) quemadmodum Ennius uetera cōtemnit, & de se gloriatur, ita possum etiam ego gloriari: cum præsertim neq; ueteres cōtemnam, neq; eam mihi laudem arrogem, quòd primus numerum inuenerim.

Legi enim, audiuiq́ nonnullos, quorum propemodum absolutè concluderetur oratio: quod qui non possunt, non est eis satis nō contemni, laudari etiam uolunt.

Ratio cur non possit gloriari, se primùm apud Romanos numerum oratorium inuenisse. Quia nonnullos, inquit, legi & audiui, qui pene perfectè, & absolutè sententias concluderent, ita ut aptè numeroseq́ caderent. at isti qui uirtutem eam assequi non possunt, non contenti sunt, quòd non contemnantur: sed in hoc ipso quòd aptè non loquuntur, uolunt etiam laudari, quasi ea contemnentes quæ nullius momenti sint.

Ego autem illos ipsos laudo, idq́ meritò, quorum isti se imitatores esse dicunt, etsi in his aliquid desidero: hos uerò minimè, qui nihil illorum, nisi uitium sequuntur, cum à bonis absint longissimè.

Pulchra distinctione utitur, qua probet istos minimè esse laudandos, sed potius uituperandos, qui numerum contemnunt. aiunt enim se ueteres imitari, ut Catonem, Gracchum, et alios. Sed ego, inquit, eos quidem laudo, quorum se isti imitatores profitentur: quia licet in aliqua re defecerint, tamē multas extulerunt uirtutes oratorias. Hos uerò nullo modo laudare possum, qui ueterum uitia tantum imitantur, uirtutes autem imitari non possunt. neque enim graues sententias eorum, neq; lecta uerba satis exprimunt, infracta uerò tantum, et amputata quædam loquuntur. Hoc genus hominū ueteres prauè imitantium, eleganter irridet Horatius, his uerbis:

Epist. penult. lib. 1.

Quid? si quis uultu toruo ferus, & pede nudo,
Exiguæq; togæ simul & textore Catonem,
Virtutem'ne repræsentet, moresq; Catonis? & paulo pòst:
Decipit exemplar uitijs imitabile. quòd si
Pallerem casu, biberent exangue cuminum.
O imitatores, seruum pecus: ut mihi sæpe
Bilem, sæpe iocum uestri mouere tumultus.

Fit enim certè frequēter, ut aliorū potius uitia quàm uirtutes imitator sequatur.

Quod

Quod si aures tam inhumanas, tamq́ agrestes habent, ne doctissimorum quidem uirorum eos mouebit auctoritas?

Rationibus hactenus cum aduersarijs pugnauit: nunc etiã auctoritatibus doctissimorũ hominũ contendit. Sed prius eos qui numeros oratorios aspernantur, inhumanas & agrestes aures habere dicit, qui orationis dulcedine nõ moueant, cum præsertim rhythmus (ut auctor est Aristoteles) naturaliter homines delectare soleat. Si, inquit, ipsi non sentiunt, quæ numeri suauitas sit, nonne saltẽ doctis uiris fidem habebũt? Nam in primo gradu sapiẽtię locant ij, qui per se quæ recta sunt, intelligũt: in secundo uerò, qui sapiẽtibus credũt. Sed qui neq; per se sciũt, neq; scientibus fidẽ adhibẽt, ij nec sibi nec alij utiles habent: queadmodũ Hesiodus rectissimè cecinit, & Aristoteles approbauit.

Omitto Isocratem, discipulosq́ eius Ephorum & Naucratem, quanquã orationis faciendæ & ornandæ auctores locuplitissimi, summi ipsi oratores esse debeãt. Sed quis omniũ doctior? quis acutior? quis in rebus uel inueniẽdis uel iudicandis acrior Aristotele fuit? quis porrò Isocrati est aduersatus infensius? Is igitur uersum in oratione uetat esse, numerum iubet.

Aristotelis, Theodectis, & Theophrasti maximè auctoritate probat, orationi numerum conuenire. Possem, inquit, Isocratem præceptorem, & Ephorum & Naucratem eius discipulos, in medium adducere: qui cum summi oratores ipsi fuerint, graues haberi debent orationis faciendæ & ornandæ auctores. sed eos omitto, ne uidear oratorum testimonijs uti, quæ fortasse possunt esse suspecta. Videamus quid sentiat Aristoteles, summus philosophus, quo nemo doctior fuit, nemo acutior in inueniendo, nemo acrior in iudicando. qui adeò cõtrarius Isocrati fuit, ut nemo illi sit aduersatus infensius: qui certè numeros orationis reprehendisset, nisi eos maximè laudabiles esse cognouisset. Is igitur Aristoteles hoc præceptum tradit, ut uersum quidem in oratione fugiamus, sed tamen numerum sequamur. Hoc autem tertio libro Rhetoricorum docet.

Eius auditor Theodectes in primis (ut Aristoteles sæpe significat) politus scriptor, atque artifex, hoc idem & sentit & præcipit. Theophrastus uerò, eisdem de rebus etiam accuratius. Quis ergo istos ferat, qui hos auctores non probant? nisi omnino hæc esse ab his præcepta nesciunt.

Theodectes, Theodectis Cilicis filius, Aristotelis auditor fuit, & politus scriptor, atq; etiam Rhetor insignis. nam (ut Suidas tradit) septem libros artis Rhetoricæ scripsit, in quibus orationis numerum maximè commendat. Hunc Theodectem Aristoteles plurimum dilexit. itaq; libros artis oratoriæ, quos nomine suo ederet, ei donauerat. Postea uerò molestè ferens titulũ eorum discipulo Theodecti cessisse, proprio uolumine quibusdã rebus insistẽs, planius sibi de ijs, in Theodectis libris dictũ esse, adiecit, ut eos iterum sibi libros uindicaret. auctor est Val. Maximus. Theophrastus, Aristotelis auditor, de quo suprà dictum est, accuratè multa de Rhetorica scripsit: ubi etiam diligentissimè docuit, qui numeri sint in oratione obseruandi. Ergo (inquit Cicero) isti qui numerum improbant, uel hos auctores uituperant, uel ignorant hæc ab eis esse præcepta. Si tales auctores uituperãt, quis eorũ contumaciam ferre poterit? Si autem ignorant hæc ab eis esse præcepta, apertè fatentur im- Lib. 8. cap. 15.

tur im-

tur imperitiam & ignorantiam suam. quare sunt omnino contemnendi.

Quòd si ita est, nec uerò aliter existimo, quòd ipsi suis sensibus non mouentur, nihil'ne eis inane uidetur, nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil redundans?

Credo, inquit, ab ignorantia proficisci, quòd isti nesciant, à grauissimis auctoribus de numero oratorio praecepta fuisse tradita. Sed fieri'ne potest, ut ipsi suis sensibus non moueantur? ut non sentiant si quid inane sit in oratione, si quid incõditum, si quid curtum, si quid claudicans, si quid redundans? Quinque uitia tangit, quae in ea oratione solent esse, quae numeris careat. Primum est, ut non plena sit, sed inanis: numerus enim implet orationem. Secundum est, ut non sit bene structa, sed incondita: est enim in numero quaedam elegans uerborum structura. Tertium est, ut sit curta, non perfecta & rotunda: nam quae numerosa est oratio, plenum habet orbem suum. Quartum est, ut sit claudicans & interrupta, nõ certo ordine continuata: facit etiam hoc numerus, ut aptissimè uerba continuentur, nulla uerò claudicent. Quintum & ultimum est, ut sit redundans, non ambitu suo contenta: sic enim seruato numero finitur oratio, nihil ut superuacaneum adijciatur. Haec uitia qui non sentit, nihil hominis habere uidetur.

In uersu quidem theatra tota exclamant, si fuit una syllaba aut breuior, aut longior. nec uerò multitudo pedes nouit, nec ullos numeros tenet, nec illud quod offendit, aut cur, aut in quo offendat, intelligit: & tamen omnium longitudinum & breuitatum in sonis, sicut acutarum grauiumcꝫ uocum iudicium, ipsa natura in auribus nostris collocauit.

Probat, numerum orationis homini naturalem quodam modo esse. Quoties, inquit, accidit, ut aliquis histrio uersum aliquem una syllaba breuiorẽ aut longiorem pronunciet, omnes qui sunt in theatris spectandi & audiendi gratia, saepe solent exclamare, atcꝫ histrionem eum explodere, & exibilare. quod certè non fit, quia imperita multitudo pedes noscat, aut quia sciat qua in re sit erratum: sed quia natura ipsa iudicium longitudinis & breuitatis, sicuti etiam uocum grauium & acutarum, in auribus nostris collocauit. Ergo etiam imperiti de numero uerè iudicare possunt, quamuis eius artem nõ teneant. Crassus tertio de Oratore, tradit, Musicos qui erant quondam ijdem etiam poetę, duas res machinatos fuisse ad uoluptatẽ, hoc est uersum & cantum: ut & uerborum numerò, & uocum modo, delectatione uincerẽt aurium satietatẽ. Postea uerò oratores, haec duo: hoc est uocis moderationẽ, & uerborum conclusionem, quoad orationis seueritas pati posset, à poetica ad eloquentiã traducenda duxisse. Itacꝫ adiungit, nullam esse rem quae magis oratorem ab imperito dicendi, ab ignarocꝫ distinguat, quàm numerorum obseruationem. quam non tantum utilem, sed propè necessariam esse concludit, cum praesertim eam magna quaedam suauitas & lepos consequatur.

Vis'ne igitur Brute, totum hunc locũ accuratius etiam explicemus, quàm illi ipsi qui & haec & alia uobis tradiderũt? An hic contenti esse, quę ab illis dicta sunt, possumus? Sed quid quero, uelis'ne? cũ literis tuis eruditissimè scriptis, te id uel maximè uelle perspexerim?

Iam ad propositum redit, Brutumcꝫ interrogat, an uelit hanc tractationem de numeris accuratius explicari, quàm à Graecis ipsis qui auctores fuerunt ex-

runt, explicata fuerit: an illis cōtentus esse, quę iam ab illis præcepta sunt. Deinde correctione utitur, qua se iam Bruti uoluntatē cognouisse prædicat. Tacitè igitur ostendit, se melius hanc rem tractasse, quàm ulli Græci fecerint: quod omnino uerū est. Est autē res maximè iucunda, uel augere, uel perficere quæ iam ab alijs inuenta fuere: quod Aristoteles primo Rhetoricorum ait.

Primùm ergo origo, deinde causa, pòst natura, tum ad extremū usus ipse explicetur orationis aptæ atque numerosæ.

Totam hanc tractationem in quatuor partes diuidit. primò enim se tractare uelle ostendit, à quibus originem oratorius numerus habuerit: deinde, quę causa fuerit ut inueniretur: tertiò, quæ sit eius numeri natura: postremò, quinam sit usus eius in oratione. Cum hæc quatuor explicata fuerint, tunc etiam hoc opus erit absolutum. Primò igitur de origine huius oratorij numeri tractat, & eos refellit, qui ab Isocrate inuentum tradunt, cum ante illum Thrasymachus & Gorgias eo sint usi. nam Thrasymachus primus pedes in clausulis obseruauit: Gorgias autem ea concinnitate uerborum delectatus est, quę sponte sua numerum facit, de qua iam dictum est. Hoc est quod ait Cicero:

Nam qui Isocratem maximè mirantur, hoc in eius summis laudibus ferunt, quod uerbis solutis numeros primus adiūxerit. Cum enim uideret oratores cum seueritate audiri, poetas autem cum uoluptate, tum dicitur numeros secutus, quibus etiam in oratione uteremur, cùm iucunditatis causa, tum ut uarietas occurreret satietati. quod ab his uerè quadam ex parte, non totum dicitur.

Exponit primò aliorum opinionem de numeri origine, deinde suam adiungit. Sunt quidam, inquit, qui maximè Isocratem propter eius eloquentiam admirantur. hi præter cæteras laudes, hanc etiam illi tribuunt, quòd primus orationi numeros adiunxerit. Vehementer autem ij laudandi sunt, qui rem aliquam egregiam primi excogitarint: ut in Elenchis ait Aristoteles. Hoc autem eum fecisse dicunt, ut iucundiorem efficeret orationem, quæ nullam auditoribus satietatem adferret. nam anteà non tam oratores auidè, quàm poetæ, audiri consueuerant: quoniam maior hominum pars uoluptatem sequitur. Sed postquam etiam orationi iuncti numeri fuerunt, tam oratores quàm poetæ delectare cœperunt. Hoc autem, ait Cicero, quod de Isocrate dicitur, partim quidem uerum est, partim etiam falsum.

Nam neminem in eo genere scientius uersatum Isocrate, confitendum est. Sed princeps inueniendi fuit Thrasymachus, cuius omnia nimis etiam extant scripta numerose.

Distinctione utitur, qua docet quid Isocrati tribuendum sit, & quid adimendum. Scientiam igitur & artem numerosæ orationis, Isocrates optimè tenuit, ut in eo genere nullus unquam scientius eo uersatus fuerit: sed tamen nō ipse princeps inueniēdi numeri fuit. nam ante illum Thrasymachus Chalcedonius, de quo suprà dictū est, numero usus est in oratione, adeò ut etiam in ea re modum excessisse uideatur.

Nam, ut paulo antè dixi, paria paribus adiuncta, & similiter finita, itemq; contrarijs relata contraria, quę sua sponte etiam si id non agas, cadunt plerunque numerose, Gorgias primus inuenit: sed his

est

est usus intemperantius. id autem est genus, ut antè dictum est, ex tribus partibus collocationis alterum.

Ante Isocratem inuenta fuisse omnia quæ ad collocationem pertinent, ostendit. nam Thrasymachus numerũ inuenit: Gorgias autẽ Leontinus eam uerborum concinnitatem, quæ ex comparibus, ex similiter finientibus, & ex contrarijs constat, excogitauit: quæ ferè numerose cadere solet, etiam si quis id dedita opera non faciat. Quin etiam in eo Gorgiam reprehendit, quòd inuentis suis nimis intemperatè usus fuerit. Dicit autem hoc inuentum Gorgię secundum esse collocationis genus, nam initiò totam collocationẽ tribus partibus constare dixerat, iunctura uerborum, concinnitate uel sono, et numero.

Horum uterque Isocratem ætate præcurrit, ut eos ille moderatione, nõ inuentione uicerit. est enim ut in faciẽdis transferendisq; uerbis tranquillior, sic in ipsis numeris sedatior.

Non potest Isocrates numerorũ inuentor haberi, cum illum ætate præcessetint Thrasymachus & Gorgias, qui numeris usi sunt. at illos Isocrates quidẽ uicit, nõ quia inuentor fuerit, sed quia moderatius & scientius numeros usurpauit. neque enim tam audax est in translationibus & fictionibus nominum, quàm illi fuerunt, & numerorum ordinem longè sedatiorem sequitur.

Gorgias autem auidior est generis eius, & his festiuitatibus (sic enim ipse censet) insolentius abutitur: quas Isocrates, cum tamen audiuisset in Thessalia adolescens senem iam Gorgiam, moderatius temperauit.

Docet quæ differẽtia sit inter Gorgię scripta, & Isocratis. Gorgias, inquit, existimabat uerborum illas concinnitates maximè festiuas esse, itaq; illis frequentißimis usus est. at uerò Isocrates, quamuis eius discipulus fuerit, quippe qui eum, in Thessalia cum esset, adolescens iam senem audiuerit: tamen usum eius concinnitatis longè moderatius temperauit. Quòd autem longo tempore in Thessalia Gorgias docuerit, ostendit etiam Socrates in eo Dialogo qui Gorgias inscribit: & Philostratus in Critia, cum de Thessalis meminisset, addidit illud, γοργιάζειν: id est, Gorgiam complectebantur.

Quin etiam se ipse tantum, quantum ætate procedebat (propè enim centum confecit annos) relaxarat à nimia necesßitate numerorum: quod declarat in eo libro, quem ad Philippũ Macedonem scripsit, cum iam admodum esset senex: in quo dicit, sese iam minus seruire numeris, quàm solitus esset. ita non modò superiores, sed etiam se ipse correxit.

De Isocrate loquitur, quem ait aliter in iuuẽtute, aliter in senectute scripsisse. Cum enim esset iuuenis, quadam numerorũ licentia exultabat. postea paulatim ætate procedẽs, cœpit illam numerosæ orationis curã remittere. quod ipsemet affirmat in oratione quã ad Philippũ Alexandri Magni patrem scripsit, cum annũ quartũ et nonagesimũ ageret. postea uixit etiam annos quinq;, *Lib. 8. cap. 7.* ut Val. Max. auctor est. Itaq; nonum & nonagesimum expleuit annum. hoc est quod ait Cicero, eum propè centum annos confecisse.

Quoniam igitur habemus aptæ orationis eos principes, auctoresq;, quos diximus, & origo inuenta est: causa quæratur, quæ sic

aperta

aperta est,ut mirer ueteres non esse commotos,præsertim cum (ut fit) fortuitò sæpe aliquid concluse aptéque dicerent.

Hæc est transitio.cum enim quatuor res explicandas proposuerit,& iam de prima dixerit,nunc ad secundam transit.Dixi (inquit) de numeri oratorij origine,quem Thrasymachus & Gorgias inuenerunt,Isocrates autem perfecit.Sequitur, ut etiam causam quæramus, quæ magnos illos uiros impulerit, ut hanc artem excogitarent: quæ quidem causa multo apertissima est, adeò ut mihi ueniat in mentem, mirari cur ueteres Latini,prudentissimi uiri, non commoti fuerint, ad huius rei cognitionem, cum præsertim in dicendo solerent aliquid,non quidem artificiose,sed fortuitò numerose dicere. In hominis enim natura sunt artiũ omnium quasi semina quædam, quæ in singulis actionibus notata & obseruata, paulatim artem efficiunt.nascitur enim ars ab experientia,sicuti Plato atque Aristoteles docent:ille in Gorgia,hic in exordio librorum de Prima philosophia.& nihil aliud est ars,quàm recta ratio rerum faciendarum,ut ex Ethicorum sexto percipitur apud Aristotelem.quæ ratio à natura quidem originẽ habet, sed ex singulis actionibus colligitur. actiones enim sunt rerum singularum,ars uerò generalis est,et naturam quantum potest imitatur.

Quòd cum animos hominũ,auresque pepulisset, ut intelligi posset id quod casus effudisset,cecidisse iucundè, notandum certè genus,atque ipsi sibi imitandi fuerunt.

Docet quomodo Latini potuissent artem numerorum percipere, nempe si diligenter obseruassent,quæ iucundè caderent,& quæ insuauiter. nã quod aptè concluditur,etiam si casu effundatur, tamen aures atque animum iucunditate quadam mouet,ut eis non admodum difficile fuerit illud notare,& seipsos imitari,cum nondum Græcos noscerent.

Aures enim,uel animus aurium nuncio,naturalem quandam in se continet uocum omnium mensionem . itaque & longiora,& breuiora iudicat,& perfecta ac moderata semper expectat.mutila sentit quædam,& quasi decurtata,quibus tanquam debito fraudetur: productiora alia,& quasi immoderatius excurrentia, quæ magis etiam aspernantur aures. quod cùm in plerisque,tum in hoc genere, nimium quod est offendit uehementius, quàm id quod uidetur parum.

Hoc,inquit,à natura habemus,ut omnium uocum mensionem intelligamus,& iudicemus quæ longiora & quæ breuiora sint,quæ perfecta,quæ mutila,& quæ productiora.quin ipsæ aures naturaliter magis etiam aspernari solent id quod est nimium,quàm quod est parum:quod cùm in alijs ferè omnibus rebus fiat,ut nimium quàm parum magis offendat,tum in hoc præcipuè genere. Aures enim uel animus.) Vtitur correctione,quoniam aures ipsæ per se nihil iudicare possunt,sed animus aurium nuncio iudicat.neque enim ullus est sensus in corpore,sed omnes in animo sunt.unde rectè dicitur:mens uidet,mens audit. oculi autem atque aures sensuum instrumẽta sunt, à quibus ad animum ipsum,quasi fenestræ quædam sunt perforatæ:ut in Tusculanis docet Cicero.Non ergo proprium est oculorum, aut aurium, rerum quæ aspectu atque auditu percipiuntur,iudicium,sed ipsius animi: qui oculis atque aurib. quasi satellitibus & ministris utitur,ad uidendum,& audiendum. animus uerò ipse continet in se uocum omnium mensionẽ.Ideo dixit Aristoxenus Mu-

ficus,eum harmoniã quandam esse. quod licet Plato non concedat,ait tamẽ harmonia quadam temperatum & conditum fuisse:atq; ideo nihil magis in teneras puerorum mentes,quàm uarios canendi modos influere. Iudicat igitur animus quę perfecta ac moderata sint,et ea semper expectat. iudicat etiã, quę aut longiora quàm cōueniat,aut breuiora proferantur.itemq; si qua sunt mutila & amputata,quæ aures nō impleant:aut siqua immoderatè excurrũt, & ultra septa (quod aiunt) quodammodo transiliunt,quæ maximè solent aures offendere. Quod autem ait Cicero, magis offendere nimium quàm parum:adeò uerum est,ut ne in rebus quidem honestis exuperãtia laudet. nam ut ait Horatius,

Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Vltra quàm satis est uirtutem si petat ipsam.

Vt igitur poetica & uersus inuentus est terminatione aurium, obseruatione prudentium: sic in oratione animaduersum est multo quidem illud serius,sed eadem natura admonente,esse quosdam certos cursus,conclusionesq; uerborum.

Similitudine carminum ait inuentum esse numerum orationis. Quemadmodum (inquit) ars poetica, & carminum ratio non alia de causa inuenta est, nisi aurium terminatione,& prudentium hominum obseruatione: ita etiam in oratione numerus,nisi quòd poetica multo antè reperta fuit,postea uerò natura eadem docuit etiam in oratione, posse quosdam numeros & clausulas uerborum fieri. Fuit autem ars poetica omnium ferè antiquissima,adeò ut cũ ipso mundo nata esse uideatur. Plinius tamen existimat,carmen hexametrũ ab Apollinis oraculo profectum. Eusebius,antiquissimos Hebræorum egregios fuisse poetas scribit. quidam tradunt,ab Orpheo primo fuisse poeticam illustratam. Sed utcunq; sit, concedunt omnes, longè antè poeticam artem, quàm oratoriam,fuisse. nam qui primus solutam orationem scripserit, Pherecides Syrus,Pythagoræ præceptor fuisse dicitur: cum antea præclarissimi omnium poetæ Homerus & Hesiodus fuissent. Hoc est quod ait Cicero, serius numerum orationis,quàm poeticum,obseruatum fuisse. Fuit igitur hæc causa quæ Thrasymachum & Gorgiam mouit,ad excogitandum numerum orationis,ut aptè iucundæq; uerba concluderentur.

Lib. 7. — *Lib. 11. de Prep.*

Quoniam igitur causam quoq; ostendimus,naturam nunc (id enim erat tertium) si placet,explicemus: quæ disputatio non huius instituti sermonis est,sed artis intimæ.

De origine,& de causa numeri iam dictum est,sequitur ut natura etiam eius explicetur: quoniam hoc est tertium eorum quæ proposita fuerant. Sed hæc disputatio de natura numeri, non propriè pertinet ad hunc institutum sermonem,in quo non præcepta traduntur,sed oratoris perfecti forma declaratur: uerùm potius ad artem intimam oratoriæ præceptionis, de qua multa Aristoteles tertio Rhetoricorum. Attamen hoc etiam loco Cicero diligenter hanc rem persequitur,quoniam esse in oratore præcipuam existimat.

Quæri enim potest,qui sit orationis numerus,& ubi sit positus, & natus ex quo: & is unus'ne sit,an duo,an plures: quaq; ratione componatur,& ad quam rem,& quando,& quo loco,& quemadmodum adhibitus,aliquid uoluptatis adferat.

Multa posse quæri de numeri natura ostendit, quæ non omnia sunt hoc loco persequẽda. Natura enim cuiusq; rei genere, proprietate, atq; euentis explicatur,

plicatur. Genus autem unum quidem est, proprietates uerò sæpe multæ, sed euenta ferè semper infinita. nam uni naturæ possunt infinita euenire. Quare natura genere proprietateq; declaratur, quoniam hæc duo certa sunt. Sed interdum etiam euenta ad naturæ cognitionem plurimum conducunt, ut primo de Anima censet Aristoteles. Sed ad rem nostram. Primò (inquit Cicero) quæri potest, qui sit numerus orationis: hoc est, in quo genere collocatus. Et Quintilianus quidem in quantitate numerum orationis collocat, quoniam temporum spacio constat, & tempus est Quantitas. Nam decipiuntur, qui pedem esse numeri genus putant, cum pes sit numerus quidam. Secundò quæri potest, ubi sit positus numerus? & respondetur, in collocatione uerborum, atq; in ipsis pedibus: sicuti genera posita sunt in suis formis, & formæ in indiuiduis. non enim alibi potest esse numerus orationis, nisi in pedibus, ut declarabitur infrà. Tertiò quæritur, ex quo natus sit? hoc enim etiam ad naturam eius explicandam pertinet. & respondetur, ab ipsa natura, quæ (sicut ait suprà Cicero) omnium longitudinum & breuitatum in sonis, sicuti acutorum grauiumq; uocum iudicium in auribus nostris collocauit: deinde obseruatione uirorum doctissimorum ad artem deductus est, ut aures oblectaret. Quartò quæritur, unus'ne, an duo, an plures numeri sint? & respondetur, esse plures. nam unus numerus esse qui potest, cum sit genus, & plures sub se species contineat? Neq; duo tantū numeri possunt esse, cum sint plurimi pedes, in quibus perspicitur numerus. reliquum est igitur, ut plures numeri sint. Quintò quæritur, qua ratione numerus componatur? & respondetur, esse accommodandū rebus, de quibus agitur, ut si res leues atq; humiles sint, etiam minuti numeri adhibeantur: si mediocres res, numeri sint paulo hilariores & liberiores: si uerò graues & maximi ponderis res tractentur, etiam grandes & sublimes numeri componantur. Sextò quæritur, ad quam rem cōponatur? & respondetur, ad aurium uoluptatem, ne nimium seuera, aut etiam odiosa uideatur oratio, si nullis numeris fuerit colligata. nam (ut tertio de Oratore Crassus ait) aurium tantū causa in oratione numerus adhibetur. Septimò quæritur, quando numerus sit adhibendus? & respondetur, semper. nam (ut ait Quintilianus) oratio in omni quidem corpore totoq; tractu numeris inserta est. neq; enim loqui possumus, nisi è syllabis breuibus ac longis, ex quibus pedes fiunt: magis tamen & desideratur in clausulis, et apparet. Quin etiam in epistolis, & in omni sermone quidā numeri esse debēt, sed laxiores & occultiores. Octauò quæritur, quo loco numerus adhibeatur? & respondetur, in tota uerborū continuatione, ne quid hiet aut subsultet, aut infractum atq; amputatū sit. Sed initio præcipuè periodorum, & in fine, magis etiam in fine quàm in principio seruari debere. Postremò quæritur, quemadmodum adhibeatur? & respondetur, ita ut magnam quidem oblectationem auribus afferat, sed tamen omnino uersum fugiat. nam (ut Quintilianus ait) uersum in oratione fieri, multo fœdissimum est, totū, sicut etiam in parte deforme. Vnde Brutum reprehendit Quintilianus, quòd sine exametri usus in clausula fuisset, hoc modo: Quanquam sciunt placuisse Catoni. quod tamen etiam Cicero fecit pro Milone, ad extremum, cum ait: Omnes in me meosq; redundant ex illo fonte dolores. Ita igitur orationi numerus adhibendus, ut uersus non efficiatur. Sic accidet, ut & uoluptatem auribus afferat, & in uitium nullum incidat.

Sed ut in plerisq; rebus, sic in hac duplex est considerandi uia: quarum altera est longior, breuior altera, & eadem etiam planior. Est autem longioris prima illa quæstio, sit'ne omnino ulla numerosa oratio? quibusdam enim non uidetur, quia nihil insit in ea certi, ut in uersibus: & quòd illi qui affirmant etiam esse numeros in

oratione, rationem cur sint, nequeant reddere.

In plerisque rebus (inquit) duplex est considerandi uia: Altera diligentior & eruditior, quæ longior etiam esse solet, propterea quòd omnes diligenter quæstiones excutere solet. qua uia suis in operibus usus est Aristoteles, qui nihil inexcussum relinquit: & in libris de Oratore Cicero, quamuis non ita subtiliter. Altera uero breuior & planior, quæ relictis quæstionibus, præcepta tantum tradit, ut in libris de Inuentione facit Cicero, & in Officijs. Cum autem hoc loco de numeri natura sit uerba facturus, longiorem illam uiam aggreditur, & omnes diligenter excutit quæstiones, ut huius rei plenam artem tradat. Sed in omni re prima est quæstio, An sit? quia nisi rem constet esse, frustra de ea suscipitur omnis disputatio. Quæritur ergo primò, sit'ne aliqua numerosa oratio? Sunt enim qui existiment, nullam esse: atque id quidem duabus de causis. primò, quia nihil in oratione certi est; sicut in uersibus. habēt enim uersus omnes suos certos ac definitos pedes atque numeros: ut hexameter sex constat pedibus, pentameter quinque, atque ita de reliquis. habent etiam pedum nomina distincta: ut hexameter ex dactylis & spondæis tantum componitur, Phalecius ex iambo uel spondæo, dactylo et tribus trochæis: Asclepiadæus ex spondæo, duobus coriambis et pyrrhichio. similiter alij uersus omnes suis pedibus distincti sunt: sed in oratione non ita fit, neque est ullus in ea certus pedum numerus: nulla est igitur numerosa oratio. Deinde, qui affirmant in oratione numeros esse, nulla id ratione probare possunt, neque causam afferre cur esse debeant: cuius autem rei neque ulla ratio, neque causa efferri potest, ea esse confirmari nō potest: itaque fit, non esse numerosam orationem. Hæc igitur est prima quæstio. Sequitur altera.

Deinde si sit numerus in oratione, qualis sit, aut quales? ex poeticis'ne numeris, an ex alio genere quodam? & si è poeticis, quis eorum sit, aut qui? nanque alijs unus modò, alijs plures, alijs omnes ijdem uidentur.

Secunda quæstio debuerat esse, quid sit numerus. Quoniam in omni re sunt tres quæstiones, An sit, quid sit, quale sit? sed eam prætermisit Cicero, quia nō simpliciter de numero tractat, sed copulatè de numero oratorio. Qui autem bene intellexerit, qualis sit oratorius numerus, is etiā facile quid sit intelliget. Itaque merito Cicero quæstionem illam, Quid sit? quæ in copulatis uidetur esse superuacanea, prætermisit. Ergo si constiterit esse in oratione numerum, quæri potest qualis sit ille numerus: aut quales, si plures sint. Numerus enim uaria sortitur nomina, prout rebus accommodatur. alius est enim numerus quo utuntur Geometræ, alius quo Astrologi, alius quo Musici, alius quo Poetæ: atque ita in alijs. Sed quoniam oratori finitimus est poeta, ut primo de Oratore Crassus ait, quæritur, utrum numerus quo uti debet orator, sit poeticus, an ex alio genere quodam? Atque hinc nascitur tertia quæstio, si constiterit esse poeticum, qui'nam sit è poeticis, aut quot? quoniam alij tantum unum esse putant, alij plures, alij uerò omnes: ut quotcunque numeros habet poeta, totidem etiam orator habeat.

Deinde quicunque sunt, siue unus, siue plures, cōmunes'ne sint, omnis generis orationi: quoniam aliud genus est narrandi, aliud persuadendi, aliud docendi: an dispares numeri, cuique orationis generi accommodarentur?

Quarta quæstio est, utrum numeri, quos adhiberi in oratione uolunt, siue sit

ue sit unus, siue plures, sint ijdem in omni orationis genere? Quoniam orationum uaria genera sunt. aliud enim genus in narrando quæritur, aliud in persuadendo, aliud in docendo. quæritur ergo, communes'ne sint cuique orationis generi, an dispares numeri? Videtur enim non satis conuenire, ut ijdem numeri diuersis orationum generibus adhibeantur. Itaque uolunt dispares esse numeros, & pro genere orationis sæpissime uariari.

Si omnes, qui sint? si dispares, quid intersit? & cur non æquè in oratione atque in uersu numerus appareat?

Quæstio hæc superiori coniungitur, & eius pars quædam est. Nam si quis dicat, numeros omnes cuilibet orationis generi conuenire: potest deinde quæri, qui nam sint ij numeri, hoc est, quo nomine appellentur, & quot habeantur? ut si quis dicat, esse iambos, spondæos, dactylos, anapæstos, & qui obseruantur usque ad quatuor syllabas, octo & uiginti esse. At si quis dicat, esse dispares, quæri potest in quo differant inter se? Vt si quis respondeat, alios esse celeriores, ut pyrrhichij sunt, & iambi, & trochæi, & tribrachi: alios uerò tardiores, quales spondæi, cretici, molossi. Rursus quæritur, cur non eodem modo numerus in oratione, sicut in uersu, appareat? Habet enim uersus cuiusque generis suos certos ac proprios pedes, ex quibus fiat ut ijdem perpetuò sint, & nunquam mutari possint: quod nequaquā in oratione fieri potest, aut debet.

Deinde quod dicitur in oratione numerosum, id utrum numero solum efficiatur, an etiam uel compositione quadam, uel genere uerborum: an est suum cuiusque, ut numerus interuallis, compositio uocibus, genus ipsum uerborum quasi quædam forma & lumen orationis appareat.

Tria sunt, quæ plurimum illustrant orationem: numerus, compositio, genus uerborum. Potest ergo quæri, an id quod appellatur numerosum in oratione, constet ex omnibus his tribus cōiunctis, an ex numero solum? ut unūquodque eorum suam habeat proprietatem. Nam numerus ex interuallis conficitur, hoc est, ex longis & breuibus syllabis, quæ suis temporibus distinctæ sunt. breues enim syllabæ tempus unum, longæ uerò duo habere dicuntur. Compositio fit ex uocibus simul compactis quadam iunctura suaui, sicut antea diximus. In genere uerborum lumina spectantur orationis, quæ dicuntur etiam figuræ & ornamenta: de quibus suprà.

Sicque omnium fons compositio, ex eaque & numerus efficiatur, & ea quæ dicuntur orationis quasi formæ & lumina, quæ (ut dixi) Græci uocant σχήματα.

Compositio certè fons est omnis concinnitatis & elegantiæ: nam ex ea numerus oritur atque efficitur. quod extare non posset, nisi aptè uerba componerentur & clauderentur. Quin etiam figuræ luminaque orationis, quæ σχήματα græcè uocantur, ab ipsa compositione proficiscuntur. Itaque concludi potest, compositionem esse omnis elegantiæ fontem.

An non est unum, nec idem quod uoce iucundum est, & quod moderatione absolutum, & quod illuminatū genere uerborum? quanquam id quidem finitimum est numero, quia per se plerunque perfectum est. compositio autem ab utroque differt, quæ tota seruit grauitati uocum, aut suauitati.

Compositio generaliter capitur aliquando pro omni apta uerborum collocatione,& pro omni elocutionis genere: & tunc dicitur esse fons omnis elegantiæ et suauitatis. Aliquando uerò tantum pro iunctura uerborum capitur, quæ facit ut neq; crebra uocalium cõcursione fiat hiulca oratio, neq; consonantibus exasperetur: & quæ deniq; grauitatem et suauitatem uocum diligenter inuestigat. atque hoc modo à numero, atq; à figuris distinguitur. Hoc est quod ait Cicero: An non est unum quod uoce iucundum est, hoc est compositione bene iunctũ, & ita collocatum ut iucũdum sonum efficiat: & quod moderatione absolutum, id est numeris conclusum & perfectum: & quod illuminatum genere uerborum, id est, figuris & ornamentis illustratum. Hæc autem idem ualent, ac si dixisset: An non est idem, compositio, numerus, & figura? Concludit tamen, figuratam orationem numerosę finitimam esse, quia plerunq; perfecta est: compositionem uerò differre ab utroq;, quæ grauitati tantum & suauitati uerborum seruiat.

Hæc igitur ferè sunt, in quibus rei natura quærenda sit.

Cum de natura numeri quæstionem, inquit, proposuerimus, ea nullo modo rectè potest explicari, nisi hæc quæ diximus, omnia diligẽter excutiantur. Itaq; statim incipit ostendere, id quod primo loco proposuerat, esse aliquam numerosam orationem.

Esse igitur in oratione numerum quendam, non est difficile cognoscere. indicat enim sensus, in quo iniquum est quod accidit, nõ agnoscere, si cur id accidat, reperire nequeamus.

Primam quæstionem soluere incipit, quæ erat, an sit aliqua numerosa oratio? & affirmat esse quandam, quod sensus iudicio probatur. Argumentum est huiusmodi: Quod nobis sensus indicat, id agnoscere debemus: sed esse numerum quendam in oratione, sensus indicat: debemus igitur in oratione numerum agnoscere. Maior propositio dubia est, quoniam multi fuere Philosophi, qui nullum esse ueri iudicium in sensibus dicerent, ut Academici. Quin ante illos Anaxagoras, dicebat niuem esse nigram: oculos enim decipi. Sed hanc quæstionem Aristoteles, & Peripatetici sic breuiter absoluunt: Quod sentitur, triplex est: aut proprium sensus unius, aut commune plurium, aut aduentitium, & non per se sensile. Quod proprium unius sensus est, id ab eo sensu cuius proprium est, percipitur, neq; unquam in eo sensus decipitur, cum scilicet sensus receptaculum bene constitutum fuerit: ut uisus non decipitur in colore, auditus in sono, olfactus in odore, gustus in sapore, tactus in calore aut frigore. Quod commune plurium sensuum est, id sæpenumero fallit sensum, atque ita contingit in eo decipi. Sunt autem hæc plurium sensuum communia numero quinque, ut uult Aristoteles: motus, quies, numerus, figura, magnitudo. Sed qui prospiciendi artem tradidere, multo plura ponũt, diuersorum sensuum communia. Quod autem aduentitium est, & non per se sentitur, id etiam frequenter sensum decipit. ut si quempiam loquentem audiero, quamuis eam esse uocem hominis agnoscam, tamen decipiar, si eam Platonis esse putauero, cum sit alterius hominis: quæ deceptio frequenter accidit, quoniam nec Plato, nec quisquã alius per se auditur, sed tantum per uocem suam. Quid ergo? debemus'ne auribus credere, quæ nobis indicant esse numerũ quendam in oratione? Certè si de numero simpliciter loqueremur, non esset credendũ, quoniam (ut ait Aristoteles) numerus pluriũ sensuũ communis est: sed quia de numero oratorio loquimur, cui sonus est semper adiunctus, ut suprà docuimus, ideo debemus auribus credere de sono iudicãtibus, quoniã sonus ab auribus propriè ac per se percipiť Hoc est quod ait Cicero, periniquũ esse, quod accidit in sensu, non agnoscere. Loquitur autem de aurium

2. de Anima.

rium ſenſu, non de alijs. eſt enim ſenſus generale uocabulũ, quod pro omni co gnitionis inſtrumento poniť, adeò ut aliquando etiam pro mente atq; intelle ctu capiať. Nam in Partit. Cicero ait, mentem etiam eſſe ſenſum. Verùm pro- priè diſtinguiť ab intellectu: ut in beſtijs ſenſus quidẽ eſt, ſed intellectus non eſt. At dicet aliquis, Licet in oratione ſonus ſentiať, tamẽ cauſa nõ apparet: ergo numerus non eſt eius ſoni cauſa. Cui reſpõdet Cicero, nõ eſſe hoc conſe quens, propterea quòd multarũ rerum effectũ uidemus, quarũ cauſam peni- tus ignoramus. ut, ecce uidemus à magnete ferrum trahi, cuius rei cauſam ne mo fortaſsis explicuerit: & tamẽ eſſet impudens, ſi quis in magnete uim eam trahendi ad ſe ferri ineſſe negauerit, cum id aſpectu percipiatur. Ita cum audi- tu percipiamus, in oratione polita quendam ordinatum & numeroſum ſonũ ineſſe, etiamſi cur id accidat reperire nequeamus, tamen in ea numerum eſſe fateri debemus.

Neque enim ipſe uerſus ratione eſt cognitus, ſed natura atq; ſen ſu, quem dimenſa ratio docuit, quid acciderit: ita notatio naturę & animaduerſio, peperit artem.

Similitudine probat, artis cauſam reddi nõ poſſe: quoniam artes naturales non ſunt, ſed hominũ inuenta, ex obſeruatione naturæ. Nam ars poetica, uer ſusq;, non propter rationem aliquam cognitus eſt: ſed quia naturaliter aliqui poeticè loquebanť, & uerſus fundebant, quaſi diuino quodam afflati furore, homines audientes, & eos uerſus ſenſu percipientes, ratione dimetiri cœpe runt, & notare quid eſſet in eis quod aures tantopere delectaret. itaq; factum eſt, ut ea notatio naturę, atq; animaduerſio, poeticam artem páreret. Quod in alijs etiam artibus omnibus accidit, ut originem à natura traxerint, & ratione deinde perfectæ fuerint. Non igitur aliam artium effectricẽ cauſam atq; prin- cipalem, quàm ipſam naturam, exiſtimare debemus.

Sed in uerſibus res eſt apertior. quanquam etiam à modis qui- buſdam cantu remoto, ſoluta eſſe uideatur oratio: maximeq; id in optimo quoq; eorum poetarum, qui λυρικοὶ à Græcis nominanť, quos cum cantu ſpoliaueris, nuda penè remanet oratio.

In uerſibus apertior eſt numerus quàm in oratione, quia certis pedibus con ſtant: ut Heroici, Elegi, Hendecaſyllabi. Quamuis etiam aliqui uerſus reperiã tur, quibus ſi quis cantum remoueat, oratio ſoluta & numeroſa ſimilis eſſe ui- deatur. Hoc autem accidit in eo potiſsimũ genere poetarũ, qui Lyrici dicunť à Græcis, eo quòd ad lyram carmina ſua cõcinerent. Certè ſi quis Pindarum, Lyricorum omniũ præſtantiſsimũ, legat, uidebit eius uerſus parum admodũ à ſoluta oratione diſcrepare. quod etiam in aliquibus Odis Horatij noſtri ui- dete licet, ut in ea:

Tu ne quæſieris ſcire nefas, quem mihi, quem tibi,
Finem Dij dederint Leucothea. & in illa:
Miſerarum eſt, neq; amori dare ludum,
Neq; dulci mala uino lauere.

Si quis igitur, inquit, Lyricis poetis cantum ademerit, hoc eſt modos lyræ, & uocem Muſicorum, oratio penè nuda remanebit.

Quorum ſimilia ſunt quædam etiam apud noſtros, uelut illa in Thyeſte:

Quem'nam te eſſe dicam, qui tarda in ſenectute:

& quæ ſequuntur. quæ niſi cum tibicen acceſsit, orationi ſunt ſolu- tæ ſimillima.

Apud Latinos etiam poetas eiusmodi uersus inueniuntur, qui sint orationi solutæ ualde similes: ut apud Ennium, in tragœdia quæ Thyestes erat inscripta, carmen est illud quod à Cicerone citatur: Quem nam te esse dicã, qui tarda in senectute. Locus erat eo tempore notissimus, itaq; subiungit: & quæ sequuntur. in Tragœdijs autem, & Comœdijs, cum agerentur, aderant tibicines, qui modos agebant tibijs, aut paribus aut imparibus, ut Horatius:

Tibia non ut nunc orichalco iuncta, tubæq;
Aemula, sed tenuis, simplexq; foramine pauco
Aspirare, & adesse choris erat utilis. —

Quare cum & Tragœdorum uoce, & tibicinum cantu uersus illi pronunciarentur, facile numerus apparebat: cum autem cantus omnis remoueret, tunc erant orationi solutæ simillimi.

At comicorum senarij propter similitudinem sermonis, sic sæpe sunt abiecti, ut nõnunquam uix in his numerus & uersus intelligi posit: quo est ad inueniendum difficilior in oratione numerus, q̃ in uersibus.

Iam uerò, inquit, in senarijs Comicorum uix numerus apparet, quoniam quotidiani sermonis magnam habent similitudinẽ, et humiles sunt atq; abiecti. Vnde etiam nõnulli dubitarũt, utrum comœdia debeat appellari poema, nec ne? propterea quòd non magnos cõcipiat spiritus, & res tantũ humiles admittat. quod Horatius primo Sermonum Satyra quarta sic ostendit:

Idcircò quidam, comœdia nec ne poema
Esset, quæsiuere? quòd acer spiritus, ac uis
Nec uerbis nec rebus inest: nisi quòd pede certo
Differt sermoni, sermo merus. —

Qui locus etiam hunc Ciceronis illustrat. nam Horatius ait, in comœdia sermonem esse merũ, & nihil à sermone differre, nisi quòd certos pedes habeat: Cicero uerò, propter similitudinẽ sermonis, ait in comicorũ uersibus uix numerum intelligi. Vnde fit argumentũ à comparatis: Si difficile est in uersibus numerum intelligere, ubi certi pedes sunt: multo difficilius erit in oratione, quæ non certos ac definitos pedes recipit.

Omnino duo sunt quæ condiant orationem, uerborũ numerorumq; iucũditas. in uerbis inest quasi materia quædam, in numero autem expolitio.

Primæ quæstioni satisfecit, cum ostẽderit esse aliquã numerosam orationẽ. Nunc pergit ostẽdere, in quo positus sit oratorius numerus, & ex quo natus, & ad quid adhibeatur. Ac primò diuisione utitur, qua docet, duabus in rebus omnem orationis iucunditatẽ consistere: hoc est, in uerbis & numeris. in uerbis autem esse quasi materiã, in numeris expolitionẽ. Sed quæstio potest existere, cur orationis materiã in uerbis dicat esse Cicero, cum potius in rebus esse uideatur. cum enim res omnes (ut uult Aristoteles) constent ex materia & forma, & oratio ex rebus & uerbis conficiatur, necessariò sequitur ut res sint orationis materia, uerba autem forma. quod etiam Cicero primo de Inuẽtione ostendit, & de Oratore multis in locis. Si igitur in uerbis est forma orationis, quomodo in eis potest esse materia? quod ait hoc loco Cicero? An eadem res potest esse & forma & materia? Certè ita, si diuersis modis consyderetur. ut animus humanus, si ad corpus referatur, erit forma. constat enim homo ex corpore tanquam è materia, & animo tanquam forma. Sed si animus ad uirtutes & scientias & artes referatur, erit quasi materia, quoniam eis quodammodo subiacet, & ab eis informatur atque perficitur. ita uerba in oratione si ad res referantur, sunt quasi forma, quoniam ex rebus & uerbis constat

constat oratio. si uerò ad numerum referantur, sunt quasi materia: quoniam in collocatione uerborum numerus est positus. Rectè igitur dixit Cicero, uerba quasi materiam esse numeri, quatenus ad orationis iucūditatem & expolitionem pertinet.

Sed ut cæteris in rebus necessitatis inuēta antiquiora sunt, quàm uoluptatis: ita & in hac re accidit, ut multis seculis antè oratio nuda ac rudis, ad solos animorum sensus exprimendos fuerit reperta, quàm ratio numerorū, causa delectationis aurium excogitata.

Idem accidit orationi, quod etiam reliquis rebus: ut primò necessitatis gratia fuerit reperta, deinde etiam uoluptatis. Quòd autem necessitatis inuenta sint antiquiora quàm uoluptatis, potest exemplis multis declarari: sed nos paucis contenti erimus. Primi homines nudi fuisse dicuntur, itaque necessitatis gratia pelliceas sibi primò uestes contexuerunt, ut in sacris literis legimus. postea uerò Minerua lanificium apud Athenienses excogitauit, ut uenustiores uestes haberemus: quibus non contenti Lydi, cœperunt uestes primi Sardibus inficere. Iam necessitati satisfactum erat, cum Arachne Lydia lineas uestes excogitauit: et bombycinas in Co insula, Pamphila, Platis F. cōtexuit. postremò deliciarum omne genus uestes occupauit. Eodem modo primi homines pomis tantum & glandibus uescebantur: at postquam Ceres frumenta reperit, clamare cœperunt, ἄλις δρυός: id est, satis quercus. atque ita paulatim eò uentum est, ut abdominis & gulæ uoluptati nihil sufficere uideatur. Eadem est domorum ratio. nam primò depellendi frigoris & arcendi caloris gratia speluncas ingrediebantur: donec Doxius quidam, Cœli filius, hirundinum nidos imitatus, ex luto & uirgultis condere casas cœpit, quæ subirent homines. Deinde Euryalus & Hyperbius fratres, domos ex lateribus ædificare cœperunt: ita paulatim ædificiorum magnificentia creuit. Idem (inquit Cicero) contigit in oratione, quæ primò nuda ac rudis, ad solos animorum sensus exprimendos reperta fuit: deinde ad aurium delectationem, etiam numerus & ornamenta fuerunt adiuncta. Sed si ueritatem inquirere uolumus, oratio cum ipso homine nata est, non autem reperta fuit: & initiò una lingua omnes loquebantur, postea in ædificatione turris illius Babylonicæ, cuius auctor Nembrotus fuit, facta est linguarum uarietas. itaque postea populi ac nationes suo arbitrio sibi nomina fecerūt, quibus animi sensa exprimerent. Quòd autem oratio & scriptura necessaria sit, probat Diuus Thomas in libro de Interpretatione, hoc modo: Tria sunt quibus res ipsæ significantur, scriptura, oratio, notiones animorū. quòd si homo animal esset solitariū, nec ullo commercio delectaretur, ei sufficerent animi notiones, ad consequendam rerum intelligentiam. sunt enim notiones, animi similitudines quædam, & quasi imagines rerum. Sed cum homo naturaliter ciuile sit animal, & consuetudine societateq́ delectetur, necessaria est illi oratio, per quam sensus animi sui possit alijs significare, & de rebus cōmunibus consultare. ex quo fit, ut illi qui diuersam habent linguam, non possint inter se bene conuenire, nisi postquam uerborum significationē perceperint. Præterea si sola cognitione sensus uteretur homo, idq́ tantum spectaret quod adest, quodq́ præsens est, satis esset illi uti oratione, ut cū alijs uersaret: quemadmodū etiam cæteræ animantes quibusdā uocibus sensus suos inter se declarant: adeò ut quidam existimauerint, etiam bestias suum habere sermonem, quo inter se utantur. Sed quoniam intelligentiā habet homo, rationemq́, per quam cōsequentia cernat, causas rerū uideat, rebusq́ præsentibus adiungat atq́ annectat futuras: fit, ut non solum præsentia curet, sed etiam ea quæ locorū interuallo disiūcta sunt, & quæ sunt futura. Quare scriptura est ei necessaria,

Diod. lib. 6.

Plin. lib. 11.

Vitru. 2. cap. 1.

Plin. 7.

necessaria, qua possit & absentes facere certiores, si quid est quod aut sua aut illorum intersit, & qua posteritati res gestas, artes, scientias, & inuenta cætera commendare possit. Hæc quidem necessitas postulauit: sed ut essent iucundiora & gratiora, uenustatem etiam illis, et cōcinnitatem et numerum, hominum solertia uoluit adiungere: quemadmodum ait hoc loco Cicero.

Itaq; & Herodotus, & eadem, superiorq; ætas numero caruit: nisi quando temerè ac fortuitò: & scriptores peruetetes de numero nihil omnino, de oratione præcepta multa nobis reliquerunt.

Serò ostendit numerum fuisse repertum, causa delectationis aurium. nam ueteres auctores artem eius non habuerūt, ut Herodotus, & qui de arte Rhetorica scripserunt. Quintilianus libro nono, contra Ciceronis sententiam putat, Herodotum & Thucydidem numeri oratorij studiosos. Sed potius Ciceroni credendum est. Si quid enim numerosum habuit Herodotus, id non ex arte profectū est, sed temerè et fortuitò accidit. Veteres autem scriptores artis nihil de numero præceperunt: ex quo intelligitur, eos nondū numerum agnouisse. Primus autem qui scripsit aliquid de arte Rhetorica, fuisse dicitur Empedocles Agrigentinus. deinde secuti sunt Corax & Tisias, Siculi: qui de oratione multa præcepta, de numero nulla tradiderunt.

Nam quod & facilius est, & magis necessariū, id semper antè cognoscit. itaq; translata, aut facta, aut iuncta uerba, facile sunt cognita: quia sumebantur è consuetudine quotidianoq; sermone.

Ratio, cur antè præcepta rhetorica reperta sint, quàm numerus orationis: quoniam in omnibus accidere solet, ut quod facilius est, & magis necessariū, antè cognoscat. id autem facilius est, quod sensuum cognitioni propinquius est. Quanto uerò aliquid à sensu magis remotum est, tanto difficilius cognoscitur. Vt res humanis usibus aptas facile omnes intelligūt, quia sensibus percipiunt: res autem diuinas, et ab ipsa natura inuolutas, pauci percipiunt, quoniam à sensibus disiunctæ sunt. Ita in oratione accidit, ut uerba translata, & facta, & iuncta, facile sint à Rhetoribus cognita, quoniam in uulgari consuetudine atq; in quotidiano sermone posita sunt: cōmuniter enim omnes translationibus utuntur, ut ardere ira, inflammari cupiditate: & uerba faciunt, hoc est à natiuis deducunt, ut urbanus ab urbe, rusticus à rure: & iungunt atq; cōponunt, ut uideo prouideo, peritus imperitus. hæc quia facilia sunt, & magis necessaria, ideo prius cognita fuerunt, & notata.

Numerus autem non modò depromebatur, neque habebat aliquam necessitudinem aut cognationem cum oratione. itaq; serius aliquanto notatus & cognitus, quasi quandam palæstram & extrema lineamenta orationi attulit.

Numerus antea uidebatur ab oratione separatus, et nullam cum ea cognationem habere: quo factū est, ut tardè fuerit cognitus, & orationi adhibitus. Dialectici numerum & orationē duas quantitatis species esse uolunt, inter se quidē diuersas, sed tamē in eo cōuenientes, ut ambæ sint deiunctæ quantitates, non autem cōtinuatæ: qualis est linea, & superficies. quatenus ergo numerus species est quantitatis, ab oratione separata, nullam habet cum oratione cognationem: quatenus autem est deiuncta quantitas, omnino cum oratione cōuenit. Cum igitur ex arte numerus orationi copulat, tunc necessitas cogit, ut eadem sint ea, quę prius deiuncta fuerunt. Affert autem numerus palæstrā quandam, hoc est elegantē exercitationē, & quasi uenustū motum orationi, eiq; quasi manū extremam addit. nam lineamenta sunt extremitates, & quasi lineæ

Aristoteles in Pred.

lineæ quædam, per quas corporis forma repræsentatur: à lineari pictura, quæ ab umbra hominis lineis circunducta reperta putatur, cuius inuentor Philocles (teste Plinio) fuit. Cicero 3. de Finibus, etiam ad animum transtulit: Animi, inquit, lineamenta sunt pulchriora quàm corporis. quo in loco pro ornamentis capitur, sicuti etiam hic intelligi potest. Lib. 35. cap. 3.

Quòd si & angusta quædam atque concisa, & alia est collatata & diffusa oratio, necesse est id non literarũ accidere natura, sed interuallorum longorum & breuium uarietate, quibus implicata atque permista oratio, quoniã tum stabilis est, tum uolubilis, necesse est eiusmodi naturam numeris contineri.

Esse numerum in oratione, probatur hoc argumento: Quod non eiusdem generis est omnis oratio. nam alia est angusta & concisa, alia collatata & diffusa. hoc autem propter literarum naturam accidere non potest, sed necesse est ut accidat propter uarietatem interuallorũ, & syllabarum, quarum aliæ longę sunt, aliæ breues: quibus oratio colligata atque permista, modò stabilis sit, modò uolubilis. Hæc igitur natura numeris cõtinetur. nam illa oratio quę est angusta & cõcisa, minutos habet numeros, & remissos, quales sunt iambi & trochæi. ut pro Milone: Milo autem cum in Senatu fuisset eo die quoad Senatus dimissus est, domum uenit, calceos & uestimẽta mutauit: paulisper dum se uxor, ut fit, comparat cõmoratus est. Quem locum uehementer admirat̃ Quintilianus, quòd in eo sit callida quædam simplicitatis imitatio. Quin addit, artem occultã in eo esse, quam tamẽ non explicat. Ea certè minutorũ est numerorum colligatio. nam omnes ferè iambi sunt, & chorei. quin à iambo incipit, & duobus iambis desinit. Nullus autem numerus aut pes iambo demissior et angustior est. Illa uerò quæ collatata & diffusa est oratio, grandiores & sublimiores numeros habet: quales sunt spondæi, Cretici, Ionici, Pæones, Epitriti. ut pro Milone: Quas ille præceps amẽtia, cęsis prostratisque sanctissimis lucis, substructionibus, insanis molibus oppresserat. Incipit enim à spondęo, et desinit in Ionicum à maiori. Postea subiũgit: Vestræ tum aræ, uestrę religiones uiguerunt. ubi etiam initiò spondæus est, in fine Ionicus à minori. Sequit̃: Vestra uis ualuit, quam ille omni scelere polluerat. Vbi primo loco creticus est, postremò Pæon primus. Natura igitur syllabarum & pedum, efficit orationem aliam angustam, aliam collatatam. Sed quid est quod ait Cicero: Oratio tum stabilis est, tum uolubilis? Quintilianus hunc locum aperit, cum enim pedes orationis enumerasset, ita subiũgit: Horum pedum nullus non in orationem uenit, sed quo quique sunt temporibus pleniores, longisque syllabis magis stabiles, hoc grauiorẽ faciunt orationẽ: breues, celerem ac mobilem. Est igitur stabilis oratio propter longas syllabas, uolubilis autem propter breues, quo fit, ut huiusmodi natura necessariò numeris contineatur. Lib. 4. cap. 2. Lib. 9. cap. 4.

Nam circuitus ille quem sæpe iam diximus, incitatior numero ipso fertur, et labit̃, quoad perueniat ad finem, et insistat. Perspicuũ est igitur, numeris astrictã orationem esse debere, carere uersibus.

Periodus omnis, quæ uerborum ambitu seu circuitu perficitur, suos numeros habere debet, quo feratur incitata sine ulla interruptione aut impedimento, donec ad finem suum perueniat, & quiescat. Ex quibus iam perspicuũ esse potest, in oratione numerũ quidem esse debere, sed uersum minime. Atque ita sit absoluta prima quæstio: cum probatũ multis iam rationibus sit, aliquã esse numerosam orationẽ. Incitatior fertur.) Metaphora à fluuio sumpta, qui nullis obicibus impediat̃, sed liberè cursum suũ perficiat, donec ad finẽ perueniat. hoc enim efficit in oratione numerus: tollit omnes obices, atque omnia impedimenta,

pedimenta, ne claudicet aut insistat oratio, priusquam orbem suum effecerit.

Sed hi numeri poëtici ne sint, an ex alio genere quodã, deinceps est uidendũ. Nullus est igitur numerus extra poeticos, propterea quòd definita sunt genera numerorũ. nam omnis talis est, ut unus sit è tribus. pes enim qui adhibetur ad numeros, partitur in tria: ut necesse sit partem pedis aut æqualem esse alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse maiorem.

Transit ad aliam quæstionem. Iam constat, in oratione esse numerum adhibendum. sed is numerus, erit'ne poeticus, an ex alio genere? Sunt enim numeri Geometrici, quibus utunt̃ in rationibus & proportionibus suis Geometræ. Sunt Arithmetici, quibus utunt̃ Logistæ, seu ratiocinatores. Sunt Astrologici, quibus utunt̃ in ascensionibus & descensionibus, & in cæteris motibus Astrologi. Sunt Musici, quibus cantores in suis cantibus tempora dimetiunt̃. Sunt Poetici, quibus carmina sua poetæ modulant̃. Quid ergo est, quod ait Cicero, nullum esse numerũ extra poeticos, cum uaria numerorũ generã cõstet esse? Certè ita capere debemus, ut nõ absolutè, sed de oratione tantũ Cicero loquat̃. nam si absolutè loqueret̃, falsa esset propositio. Numerus enim Geometrarum, aut Logistarũ, certè poeticus nõ est. Sed nullus est (ait Cicero) in oratione numerus, extra poeticos. Quod hac ratione probatur. Poeticorum numerorum genera certa & definita sunt, quæ omnia cadunt in orationẽ, et eam perficiunt, ita ut nullis alijs numeris egeat: ergo nullus in oratione numerus extra poeticos est. Vtitur autem hoc loco Cicero argumentatione rhetorica, cuius conclusionem primo loco ponit, deinde propositionem, tum rationem uel probationem propositionis, postremò assumptionem. Conclusio est illa: Nullus est igitur numerus extra poeticos. Propositio illa: Definita sunt genera numerorum. quam probat hac ratione: Omnis poeticus numerus necesse est ut sit unus è tribus, aut par alteri, aut duplus, aut sesquiplus. pares numeri sunt, ut unus & unus, duo & duo: dupli sunt, ut unus & duo, duo & quatuor: sesquipli sunt, ut duo & tres, quatuor & sex. præter hos autem nullus est poeticus numerus. Ergo definita sunt genera numerorum, nempe tria. Pes enim poeticus, qui ad numeros adhiberi solet, in tria genera diuiditur. nam aut una pars pedis est, æqualis alteri parti: ut pyrrhichius, qui duas breues cõtinet: & spondæus, qui duas longas: & hoc est primum genus. aut una pars est altero tanto maior, hoc est dupla: ut iambus, qui breuem primam, longam alteram habet: & choræus, qui longam primam, alteram breuem: & hoc est secundum genus. aut una pars, altera sesquimaior est, hoc est, alterum tantum & medium continet: ut Bacchius, qui unam breuem, & duas longas habet syllabas: & huic oppositus Palimbacchius, qui duas longas & unam breuem: & hoc est tertium genus, neq; præter hæc ullum est. Tria sunt igitur numerorum genera simplicia. nam si qua alia reperiunt̃, ex his componuntur: ut Ionici, ex pyrrhichio & spondæo: Epitriti, ex spõdæo & Iambo, uel Choreo. atq; ita de reliquis. Vt absurdè faciant, qui Ciceronem arguant, quòd non omnia numerorũ genera sit complexus, quia composita prætermisit. quasi uerò composita non ex simplicibus fiant, & simplicia compositis non sint priora.

Ita fit æqualis Dactylus, duplex Iambus, sesqui Pæon, qui pedes in orationem nõ cadere qui possunt? quibus ordine locatis, quod efficitur, numerosum sit necesse est.

Cap. 4. Hunc locum ferè interpretatus est Quintilianus libro nono, cum sic ait: Rhythmus aut par est, ut Dactylus: unam enim syllabam parem breuibus habet. est quidem uis eadem & alijs pedibus, sed nomẽ illud tenet. longam esse duorum

duorũ temporum, breuẽ unius, etiam pueri sciũt. aut sexcuplex, ut Pæon, cuius uis est ex lõga & tribus breuibus: quicq; ei cõtrarius, ex tribus breuibus & lõga: uel alio quoquo modo tẽpora tria ad duo relata, sexcuplũ faciunt. aut duplex, ut Iambus: nã est ex breui & lõga, quicq; est ei cõtrarius. hęc Quintilianus. ex quibus intelligitur, cur dactylus ęqualis dicat: nẽpe quia unam longã & duas breues habet: lõga uerò duabus breuibus ęqualis est. & cur iambus duplex, qui ex breui & lõga constat: longa enim duas breues cõtinet. & cur Pæon sesqui maior: cõstat enim ex una lõga & tribus breuibus. tres autẽ breues, unam longam cum dimidia efficiunt. Budæus primo libro de Asse sic explicare contendit hunc locum, quasi non antea fuisset à Quintiliano declaratus: Sesqui, inquit, appellauit Cicero Pæona, quia pes omnis Pæon longa una syllaba & breuibus tribus constat: at longa syllaba in temporum metricorum ratione duas breues æquare dicitur. ita fit, ut tres breues longam unam dimidio superẽt. nam ternarius ad binarium relatus, sesqui alteram pro portionem habet. His rationibus probatum est, tria tantum esse poeticorum numerorum genera simplicia. quamuis multa sint composita. Assumit ergo Cicero, genera hæc tria cadere omnia in orationem: quæ cum ordine locata fuerint, tunc quod ex eis efficitur, necesse est ut aptè numerosecq; cadat. quibus ita positis & probatis, uera fit ea conclusio: Nullum in orationẽ numerum esse extra poeticos.

Sed quæritur, quo numero, aut quibus potissimum sit utendũ. incidere uerò omnes in orationem, etiam ex hoc intelligi potest, quòd uersus sæpe in oratione per imprudẽtiam dicimus, quod uehementer est uitiosum: sed non attendimus, neque exaudimus nosmetipsos.

Proponit quæstionem, quo numero, aut quibus in oratione sit utendum. Cui non respõdet, priusq; ostenderit, omnes poeticos numeros in orationem incidere. quod ea ratione probatur, quia sępe accidit, ut per imprudentiã in uersus incidamus in soluta oratione: quod quidẽ uehemẽter uitiosum est, sed tamẽ uix effugere possumus. quoniã in dicendo frequẽter non attẽdimus, neque exaudiuimus nosmetipsos. hoc aũt accidere nullo modo posset, nisi oẽs poetici numeri in orationẽ caderent. Sunt aũt numeri simplices, qui tribus his generibus quę tradunt à Cicerone, cõtinentur, & obseruãtur in oratione simul oẽs duodecim: quatuor ęquales, quatuor duplices, & quatuor sesqui maiores. Aequales sunt: Pyrrhichius, è duabus breuibus, ut Deus: Spondæus, è duabus longis, ut prudens: Dactylus, è longa & duabus breuibus, ut carmina: Anapęstus, è duabus breuibus & longa, ut patiẽs. Duplices uerò sunt: Iambus, ex breui & longa, ut dies: Choreus, ex longa & breui, ut solus: Tribrachus, è tribus breuib. ut dominus: Molossus, è tribus longis, ut Pretores. Sesqui maiores sunt: Creticus, ex longa breui & longa, ut maximos: Scolius uel Amphibrachus, è breui longa & breui, ut benignus. quamuis hic (meo iudicio) potius inter æquales est numerandus: totidem enim habet tempora, quot Dactylus & Anapęstus ita erunt quinque æquales, & tres tantum sesquimaiores: ut æquales sint, Pyrrhichius, spondæus, dactylus, anapęstus. scolius: sesquimaiores uerò, Creticus, bacchius, & palimbachius. Bacchius autem fit ex breui & duabus longis, ut amantes: Palimbachius contrà, è duabus longis & breui, ut ædilis. Hi duodecim pedes, quorum quatuor duarum syllabarum sunt, octo trium, numeri simplices dicuntur, quoniam à nullo componuntur, & omnes in orationem cadunt. Sunt alij sexdecim pedes, qui numeri compositi dicuntur, quoniam ex his simplicibus componuntur, & quatuor syllabas continent. nam quamuis etiam quinque & sex syllabarũ pedes tradantur, tamen quia facile possunt ex simplicibus intelligi,

& quia nomina illorum non tam frequenter usurpantur, non eos persequemur. Eorum autem qui syllabarum quatuor sunt, quoniam & frequentissimi sunt in oratione (nam bene omnes ferè sententiam claudunt) & nomina passim inueniuntur, naturam uideamus. Sunt igitur hi sexdecim, ut dixi: quatuor Pæones, quatuor Epitriti, duo Ionici, Proceleusmaticus, dijambus, dichoreus, dispondæus, choriambus, antispastus. Pæones omnes constant è tribus breuibus & una longa. quòd si longa prima fuerit, dicitur pæon primus, ut lætitia: si secunda longa, secundus pæon, ut potentia: si tertia longa, tertius pæon, ut alienus: si quarta longa, quartus pæon, ut celeritas. Epitriti uerò contrà, omnes è tribus longis & una breui constant. quòd si breuis prima fuerit, cæteræ longæ, primus epitritus dicitur, ut sacerdotes: si secunda breuis, secundus epitritus, ut conditores: si tertia breuis, tertius epitritus, ut concordiæ: si quarta breuis, quartus epitritus, ut confirmatur. Ionici ambo ex duabus breuibus & duabus longis constant. sed si duæ longæ præcesserint, Ionicus à maiore dicitur, ut prudentia: sin autem breues priores fuerint, ionicus à minore uocatur, ut uiguerunt. Proceleusmaticus quatuor breues syllabas continet, ut resecuit. Dijambus ex duobus iambis fit, ut amœnitas. Dichoreus ex duobus choreis, ut comprobauit. Dispondæus è duobus spondæis, ut oratores. Choriambus, è choreo & iambo, ut uirginitas. Antispastus, ex iambo & choreo, ut amatoris. Hi sunt pedes & numeri, qui obseruantur in oratione. Sed quomodo sit eis utendum, non ita multo post ostendetur. Pedes autem hi frequenter ita concurrunt in oratione, ut uersus efficiant, quod uehementer est uitiosum: quamuis etiam magni uiri aliquando uitare non possint, quia per imprudentiam excidunt. Notat Quintilianus in principio statim orationis in Lucium Pisonem, à Cicerone senarium iambicum esse factum, quod certè non mirum est: quia sicut ait ipse Cicero, senarios effugere uix possumus. Illud ego longè magis admiror, quòd in Verrem libro quinto, in hendecasyllabū seu Phalecium integrum incidit Cicero. sic enim ait:

Successit tibi Lucius Metellus.

Quod omnino uitiosum est, & quãtum fieri potest euitandum. Quin in Lucullo carmen integrū hexametrū fecit, cum sic ait: Latent ista omnia Luculle,

Crassis occultata & circumfusa tenebris.

Salustius bellum Iugurthinum ab hexametro uersu incœpit:

Bellum scripturus sum quod populus Romanus.

Titus Liuius hexametri exordio cœpit, ut ait Quintilianus:

Facturus' ne operæ precium sim.

qui Platonem etiam reprehendit, quòd in Timæo statim initium hexametri posuerit. Sed ista facilius reprehendi, quàm uitari possunt.

Senarios uerò, & Hipponacteos effugere uix possumus. magnã enim partem ex iambis nostra constat oratio: sed tamen eos uersus facile agnoscit auditor, sunt enim usitatissimi.

Vix aliquis (inquit) tam diligens reperitur, ut iambicos senarios & hipponacteos uitare possit. Cuius rei ratio est, quia sermo noster maiorem partem ex iambis conficitur. Ideo autem uitiosi putantur hi uersus in oratione, quia facile eos agnoscit auditor: sunt enim usitatissimi in comœdijs, tragœdijs, & in alijs etiam poematibus. Senarij uerò dicuntur, quoniam propriè sex iambis constant. quales sunt illi apud Catullum:

Quis hoc potest uidere? quis potest pati?
Nisi impudicus, & uorax, & aleo?

Sed aliquando locis imparibus, ut primo, tertio, quinto, spondæum, aut dactylum, aut anapæstum admittunt. pares autem loci semper iambum seruant:

hoc

hoc est, secundus, quartus & sextus: nisi quòd aliquando, secundo & quarto loco, iambi uice ponitur pes tribrachus, ut apud Horatium:

Vnxere matres Iliæ addictum feris,
Alitibus atq; canibus homicidam Hectorem.

Comici uerò senarij liberiores sunt. nam primis quinq; sedibus sine ulla differentia unum ex his quinq; pedibus admittunt, uel iambum, uel spondęum, uel tribrachum, uel dactylum, uel anapæstum: in sexta uerò sede iambum semper uolunt. ut Terentius:

Non dubium est quin uxorem nolit filius,
Ita Dauum modò timere sensi, ubi nuptias
Futuras audiuit: sed ipse exit foras.

In eiusmodi senarios comicos frequenter incidit Cicero, ut in Pisonem, duos ibidem continuat:

Oculi, supercilia, frons, uultus deniq;
Totus qui sermo quidam tacitus mentis est.

Quos etiam Strebæus obseruauit. nam Melanchthonius parùm rectè, cum ait pro Marcello esse integrum senariũ illum: Fortuna in istius se societatem gloriæ. nam senarius non est, nisi priorem dictionem detrahas. & deinde non insistit ibi, sed adiungit Cicero, Non offert: atq; ita uersum effugit. nam hac ratione media ex oratione detractis prioribus, & sequentibus aliquibus uerbis, frequentissimi cuiusque generis uersus reperirentur. Sed, ut dixi, Cicero frequenter incurrit in senarios comicos. ut pro Deiotaro: Moueor etiam loci ipsius insolentia. & non ita multo pòst: In te simultatis reliquias senserit. Hipponactęi uersus dicti sunt ab Hipponacte. fuit autem Hipponax (ut Suidas ait) Ephesius genere, sed patria expulsus ab Athenagora & Coma tyrannis, Clazomenas habitauit. iambographus insignis habitus est. Plinius ait Hipponactem floruisse Olympiade sexagesima, quo tempore Bupalus & Anthermus fratres, qui sculptores erant præstantissimi, claruerũt. Hipponacti, inquit Plinius, notabilis fœditas uultus erat, quamobrem imaginem eius lasciuia iocorum ij proposuere ridentium circulis: quòd Hipponax indignatus, amaritudine carminum distrinxit, in tantũ, ut credatur aliquibus, ad laqueum eos compulisse. quod falsum est. De hoc sentit Horatius, cum ait: Lib. 36. cap. 5.

Caue caue, nanq; in malos asperrimus
Parata tollo cornua,
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.

Dionysius Halicarnasseus tradit, hunc Hipponactem de industria trimetrũ Archilochium in Scazontem infregisse, quo mordacior esset, atq; acrius inimicos insectaretur. Vnde factum est, ut Hipponacteum præconium, pro infami nota sit ab auctoribus usurpatum. quo etiã Cicero in Epistolis usus est: Eum (inquit) addictum iam tũ puto esse Calui Licinij Hipponacteo præconio. Versus igitur Hipponactei nihil à senarijs differunt, nisi quòd senarij in sexta sede iambum semper habent, Hipponactei uerò spõdęum loco iãbi: unde scazontes, id est, claudicantes appellati sunt. Tales sunt apud Catullum in Suffenum quendam, malum poetam:

Suffenus iste Vare quem probè nosti,
Homo est uenustus, & dicax, & urbanus,
Idemq; longè plurimos facit uersus.

Hoc genere carminum Persius opus suum incepit:

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnaso
Memini, ut repentè sic poeta prodirem.

Est etiam Hipponacteus uersus (ut Seruius existimat) qui constat trimetro

catalectico: id est, quãdo una tantũ syllaba deest ad perficiendũ senariũ. ut:

Doctus Thalia uatibus fauebat.

& apud Horatium:

Trahunt honestæ purpuras clientes.

Frequentes autem sunt apud Ciceronem Hipponactei uersus. ut in Pisonem est integer Scazon ille:

Ex flagitiorum impunitate concretum. Rursus ille:

In hoc animali inuenire non possem.

nisi quòd hiat in tertia sede. Trimetri uerò catalectici, quibus una syllaba deest ad senarium perficiendum, plurimi sunt. ut in eundem Pisonem:

Simile habes nihil præter colorem.

A me quidem pœnas etiam expetiſtis.

Quorum primus hiat in prima sede, & in quarta spondæum habet: secundus autem totus est Hipponacteus. nam Melanchthonius decipitur, qui putet pro Marcello esse eum Hipponacteum.

Tuam esse totam & propriam fatetur.

Qui uersus esse nullo modo potest: nisi quis in tertia sede nullam collisionem faciat, & in quarta ponat anapęstum, quod ex usu non procedit. Illud autem notandum, quòd ait Cicero, nostram orationem ex iambis magnam partem cõstare: quo fit, ut iambici uersus imprudẽtibus nobis frequẽter excidãt.

Inculcamus autem per imprudentiam sæpe etiam minus usitatos, sed tamen uersus, uitiosum genus, & longa animi prouisione fugiendum.

Sæpe accidit, ut etiam minus usitatos uersus, quàm senarij & hipponactei sint, per imprudentiam inculcemus: qui tamen cum sint uersus, uitiosi sunt in oratione, & diligenter euitandi. Sunt autem minus usitati, Trochaici, ut Archilochius,

Nox amoris & quietis conscia: & Bachilidius,

Floribus corona texitur. & Anapęstici minus in usu sunt, ut Choricus:

Animus malè fortis. & Aristophanius,

Bonus auctor amicitiæ. Ionici etiam parũ in usu sunt: ut Timocratius,

Sapientes honor effert. Sunt alia plurima genera, quæ traduntur à Grammaticis. ita longa animi prouisione opus est, ut ea fugiamus.

Elegit ex multis Isocratis libris triginta fortasse uersus Hieronymus, Peripateticus in primis nobilis, plerosque senarios, sed etiam Anapæsticos: quo quid potest esse turpius? etsi in eligendo fecit maliciosè. Prima enim syllaba dempta ex primo uerbo sententiæ, postremum ad uerbum primam rursus syllabam adiunxit insequentis: ita factus est anapæstus is, qui Aristophanius nominatur. quod ne accidat, obseruari nec potest, nec debet.

Isocrates in iuuentute numeri oratorij maximè studiosus fuit, ut antea dictum est. itaque non potuit euitare, quin in aliquos uersus incurrerit: quod omnino turpe est in oratione. Quare Hieronymus Peripateticus philosophus, uir egregius & nobilis, triginta uersus in libris Isocratis notauit: quo nihil in oratore uidetur esse turpius. quãuis Hieronymus ille maliciosè se gesserit in eligendo, propterea quod non integras sententias, quæ uersum efficerent, notare potuit: sed demptis syllabis ex priore sententia, & additis ex insequenti, fecit anapæstum uersum ex eo genere qui Aristophanius dicitur, eo quòd ab Aristophane poeta repertus fuerit. quod genus uitari nullo modo potest:

potest: itaque nemo diligens in ea re debet esse. Hieronymus Peripateticus fuit ex Rhodo insula, nobilis philosophus, qui summū bonū esse dicebat, nihil dolere: quod secundo de Finibus ait Cic. itaque beatitudinē ἀναλγησίαν, hoc est indolentiam esse dicebat. Versus autem quos Hieronymus iste notauit apud Isocratem, erant plerique senarij, de quibus iam diximus: sed erant etiam anapæstici aliqui. Sunt autem anapæstici uersus, qui principaliter anapæsto constant: sed tamen frequenter etiam spondæum admittunt, raró proceleusmaticum. apud comicos etiam dactylum habent. Huius generis apud Seruium tredecim species traduntur, quas non necesse est hoc loco recensere. Satis enim est aperire, qui nam sint illi uersus in hoc genere, qui Aristophanij dicantur, ut Ciceronis sententia explicetur. Est igitur Aristophanius anapæsticus duplex. Primus appellatur Dimeter brachycatalecticus, qui tribus pedibus constat, uel anapęstis omnibus: ut,

Bonus auctor amicitiæ,

Venit optima Calliope:

Vel primo spondæo & duobus anapæstis: ut,

Fontes gelidi resonant.

Secundus appellatur tetrameter acatalecticus, eo quòd octo pedes habeat, cuius hoc exemplum erit:

Date uina mihi, date mihi serta, iuuat dare tempora tota Ioui.

Omnes anapæsti sunt, præter tertium qui est tribrachus, & quartum qui est spondæus. nam uariantur interdum, ut initiò diximus. Ex omnibus anapæstis fieret hoc modo:

Date uina mihi, date serta, iuuat cytharæ dare tempora tota sono.

Atqꝫ hic quidem facile uitari potest, superior autem non ita facile.

Sed tamen hic corrector, in eo ipso loco quo reprehendit Isocratem, ut à me animaduersum est studiosè inquirenti in eum, immittit imprudens ipse senarium.

Hieronymum Rhodium irridet, qui cum Isocratem reprehendisset, eo quòd in oratione uersus effudisset, & nonnullos senarios adnotasset, in eodem ipse loco per imprudentiam in senarium incidit: ut eodem crimine meritò condemnari posset, quo ipse Isocratem accusabat. Debet enim eo quisque uitio carere, cuius alterum accusat. Itaqꝫ ait Cicero se studiosè in eum Hieronymum inquisiuisse, quo animaduerteret an ipse præstaret, quod in alio reprehendebat: & inuenisse, nullo modo præstitisse.

Sit igitur hoc cognitum, in solutis etiam uerbis inesse numeros: eosdemqꝫ esse oratorios, qui sunt poetici.

Conclusio, qua comprehendit duas quæstiones propositas. Per hæc (inquit) quæ dicta sunt, intelligi facilè potest, etiam in oratione soluta numerum esse, neqꝫ ullam inter oratorios & poeticos numeros esse differentiam.

Sequitur ergo, ut qui maximè cadant in orationem aptam numeri, uidendum sit. Et sunt qui iambicum putent, quòd sit orationi simillimus: qua de causa fieri, ut is potißimum propter similitudinem ueritatis adhibeatur in fabulis, quòd ille dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiæ sit accommodatior.

Iam illam quæstionem aggreditur, quibus potißimum numeris sit utendū: quoniam constat omnes poeticos numeros in orationem cadere. ac primùm aliorum opiniones recitat, deinde etiam suā adiungit. Sunt enim qui putent,

iambicum numerum orationi maximè conuenire, quoniam sit ei quàm si millimus: & hac de causa, dicunt, in comœdijs & tragœdijs hunc numerum ideo frequentissimum esse, quòd quandam ueritatis similitudinem habere ui deatur: ut ij qui fabulas agunt, quodammodo loqui naturaliter appareant. Numerum autem dactylicũ non orationi conuenire dicũt, sed potius hexametrorum magniloquentiæ, eo quòd longè sublimior sit, quàm iambicus. Quæ quidem opinio partim uera est, partim falsa. iambicus enim numerus orationi tenui ac demissæ conuenit, quia numerus est minutus: sed grauiori stylo & sublimiori non ita conuenit. itaq; plerunq; fit, ut epistolarum, & tenuium orationum clausulæ, sententiæq; iambo terminentur: orationũ uerò sublimium, numeris etiam grandioribus.

Ephorus autem, lenis ipse orator, & profectus ex optima disciplina, pæona sequitur, aut dactylum; fugit autem spondæum & trochæum.

Ephorus Isocratis discipulus, qui lenis & suauis orator fuit, & ab optima præceptoris disciplina profectus, ex omni pedum numero duos potissimum eligit, pæonem & dactylum, tanquam omnium optimos in oratione & in clausulis: duos autem censet euitandos, spondæum & trochæum. Pæonem autem & dactylum frequenter etiam Cicero sequitur in clausulis. ut pro Sestio: Hæc est una uia, mihi credite, & laudis & dignitatis & honoris. nam in fine clausulæ pæon est tertius, sicut in illa: Insperata commutatione rerum esse renouatam. & pro Milone: Per uos ac uestram fidem, uirtutem, sapientiam que recreemur. Et omnino tertius hic pæon magnam habet in fine periodi uenustatem: itaq; frequenter apud Ciceronem sunt huiusmodi uoces in fine; uideatur, fateatur. ut, Adhuc neminem poetam cognoui, & mihi fuit cum Aquinio familiaritas, qui non sibi optimus esse uideatur. & pro Milone: Negant intueri lucem fas esse ei, qui à se hominem occisum esse fateatur. Dactylus etiam frequenter apud Ciceronem & incipit sententiam, & claudit. oratio pro Roscio Amerino à dactylo incipit: Credo ego uos iudices mirari, quid sit. & quartus accusationis liber: Multa mihi necessariò iudices. & oratio in Vatinium: Si tua tantummodo Vatini quid indignitas postularet. & tertia Philippica: Serius omnino P. C. quàm tempus Reip. postularet. Sæpe etiã dactylus sententiã claudit. ut pro Milone: Adeste animis iudices, & timorem si quem habetis deponite. Paulo pòst: Metu crudelissimorũ exitiorum carere non possumus. Postea etiam: Ab inimicorum audacia telisq; uitam ut impunè liceat defendere. Spondæum etiam & choreum præcipuè geminatum Cicero frequenter admittit, ut infrà docebimus.

Quod enim pæon habeat tres breues, dactylus autem duas, breuitate & celeritate syllabarum labi putat uerba procliuius: contraque accidere in spondæo & trochæo, quòd alter ex longis constaret, alter è breuibus fieret; alteram nimis incitatam, alteram nimis tardam orationem, neutram temperatam.

Hæc est ratio Ephori, cur pæonem & dactylum laudaret, spondæum & trochæum uituperaret. Pæon enim tres breues habet syllabas, & unam longam: dactylus autem unam longam, & duas breues. Vbi uerò sunt plures breues quàm longæ, ibi maior est procliuitas: quoniam breues celeriores fiunt quàm longæ, multoq; facilius fluunt. quæ res uidetur multo iucundissimam orationem efficere, quoniã non nimium tarda est propter syllabarum longitudinem, neq; tamen nimis incitata: cum tempora uel æqualia sint, ut in dactylo: uel sescupla tantum, ut in pæone. Verùm spõdæus qui tantum è

longis

longis constat, nimis tardam orationem efficit. trochæus autem, quia fit è breuibus, nimis celeriter currit: unde etiam nomen habet à trocho. Sed quæri potest, cur Cicero dicat trochæum è breuibus fieri: cum Grammatici dicant, hunc pedem ex longa & breui constare: ut, totus. Sed sciendum est, ab antiquis eundem appellatum fuisse trochæum, qui tribrachus dicitur, eo quòd ex tribus breuibus constet: ut, dominus. quòd ex Quintiliano satis intelligi potest. is enim libro nono sic scribit: Tres breues trochæum, quē tribrachyn dici uolunt, qui choreo trochæi nomen imponunt. & postea sic asserit: Trochæū, quotis ultima sit longa, cōuerti in anapæstum. quod certè fieri non posset, nisi tres breues essent in trochæo. Præterea subiungit hæc uerba: Idem trochæus præcedente longa fit pæon, quale est: Si potero. &: Dixit hoc Cicero, obstat inuidia. Pæon autem primus, è longa & tribus breuibus constat. ergo sublata longa, restat trochæus è tribus breuibus. Vult igitur Cicero, trochæum tribus syllabis breuibus constare. quod etiam Ephorus sentiebat, qui pedem hunc tanquā nimium celerem damnabat, eo quòd è breuibus fieret. Quamuis autem Cicero trochæum è tribus breuibus, choreum autem è longa & breui constituat: tamen quia duæ breues unam longam efficiunt, idcirco idem pes trochæus à Grammaticis, & choreus, utroq; nomine appellatur, qui è longa & breui syllaba fit, & tribracho est æqualis. hunc pedem ait Aristoteles tertio Rhetoricorum, tripudijs aptiorem esse, quàm orationi: unde etiam choreus, à choreis fuit appellatus. Quintilianus ait non optimum hunc esse pedem, sed tamen geminatus in clausula magnopere laudatur: ut, Ausus est confiteri. & pro lege Manilia: Fructum est amplissimum consecutus. Sed tunc habet nomen suum, & dichoreus appellatur.

Sed & illi priores errant, & Ephorus in culpa est. Nam & qui pæona prætereunt, non uident mollissimum à sese numerum, eundemq; amplissimum præteriri.

Duas opiniones proposuit unam eorum qui iambicum numerum omnium maximè probarent: alteram Ephori, qui pæona & dactylum sequitur, spondæum & trochæum fugit. Nunc autem has opiniones ambas reprehendit. ac primò eorum qui iambum unum amplectuntur, quos in eo potissimū ait errare, quia pæona prætereunt, qui numerus est in oratione mollissimus, atq; idem amplissimus. Et sanè Cicero ipse in clausulis hoc pede utitur frequētissimè. ac præcipuè in demonstrationibus, cum aliquem laudat & uituperat. nam secunda Philippica quinquies in eadem pagella pæone terminatam & clausam sententiam notauimus. Oportet autem quatuor ultimas syllabas obseruare, è quibus si tres breues fuerint, & una longa, pæon efficitur. sic igitur ibi Cicero: Quæ flagitia domus illa diutius ferre non potuit. Item: Patrio iure ac potestate prohiberet. Item: Ne nimis serò ad extrema ueniamus. Item: Qui sua erga me beneficia commemorat. Item: Quæ autē erat domus? Sed hic pes, ut dixi, frequentissimus est apud Ciceronem. Itaq; non mirum est, si hoc loco damnat eos qui pæona prætereunt, in quo pede sit & decor & maiestas.

Quod longè Aristoteli uidetur secus, qui iudicat heroum numerum grandiorem quàm desideret soluta oratio. iambum autem nimis è uulgari esse sermone. ita neque humilem, nec abiectam orationem, nec nimis altam & exaggeratam probat: plenam tamen eam uult esse grauitatis, ut eos qui audient, ad maiorem admirationem posſit traducere.

Aristoteles tertio Rhetoricorum, ubi de numero tractat, heroum numerū ait esse σεμνὸν καὶ λεκτικόν, καὶ ἁρμονίας δεόμενον: hoc est, amplū, sonorum,

& egentem harmoniæ. quorũ uerborum ſenſum interpretans Cicero, numerũ heroũ ait eſſe grandiorẽ quàm deſideret ſoluta oratio. Ac de primo quidẽ ephiteto nemo dubitat. σεμνὸς enim latinè ſonat amplus, grauis, grandis. At de ſecundo dubitatur. nam λεκτικὸς, à λέξις deductum uocabulum, potius humile quiddam & remiſſum, quàm grande & ſonorum ſignificare uidetur. Itaque idem Ariſtoteles in Arte poetica, iambicum omnium carminum maximè λεκτικὸν eſſe ſcribit. quod Cicerò paulo antè conuertiſſe uidetur hoc modo: Sunt qui iambicum putent, quòd ſit orationi ſimillimus. ut quod λεκτικὸν uocat Ariſtoteles, Cicero dicat orationi ſimillimum. Quomodo ergo numerus herous poteſt eſſe λεκτικὸς, cum ſit amplus & grandis? Hac ratione motus uir doctiſsimus, Petrus Victorius, putat apud Ariſtotelem deeſſe negationem οὐ: ut dicatur herous οὐ λεκτικὸς, quaſi non aptus orationi. atque hoc auctoritate Demetrij probare contendit, qui numerum heroum οὐ λογικὸν eſſe dixerit: quod omnino ſignificat, non aptum orationi. ut ſit idem λεκτικὸς apud Ariſtotelem, quod λογικὸς apud Demetrium. Ego autem non temerè mutandam eſſe lectionem apud Ariſtotelem cenſeo, cum præſertim hæc dictio λεκτικὸς duplicem habere ſignificationem poſsit, & à duobus nominibus deduci. nam ſi à λέξις fiat, tunc aptum orationi ſignificabit, quo ſanè modo iambus λεκτικὸς dicetur: ſicut etiam λεκτικὸς homo, diſertus dicitur: & λεκτικώτατος apud Xenophontem, diſertiſsimus, ut Iulius Pollux libro ſecundo capite περὶ φωνῆς adnotauit. Si uerò deducatur à λεκτὸς, λεκτικὸς elegantem & egregium ſignificabit. nam λεκτὸς idem eſt, quod apud nos electus: unde λεκτοὶ dicuntur ἀριστῆς, hoc eſt optimates & principes in ciuitate, ſicut ait Phauorinus. Quin Heſychius ita ſcribit: λεκτὸν, ὡς σεμνόν. quaſi penè ſit idem quod ſecundo loco ponit Ariſtoteles, cum eo quod primo loco poſuerat. Iulius etiam Pollux libro quarto capite περὶ θεάτρου, inter perſonas puellarum ponit etiam λεκτικὴν, quam depingit bene comatam, flauis capillis, & candido colore. ut ſenſus ſit Ariſtotelis: Heroum numerum eſſe grandem, & elegantem, ſed egere harmonia, quæ poematis accommodari ſolet, non orationi. Heroum uerò numerum appellat dactylum & ſpondæum, quoniam carmini heroico ſunt ambo familiares. Quintilianus libro nono, heroum pro dactylo accipit. ſic enim ait: Et herous, qui eſt idem dactylus, Ariſtoteli amplior. Demetrius etiam ſpondæum appellat heroum. Cicero tertio de Oratore, non tantum dactylum & ſpondæum, ſed etiam anapæſtum heroi nomine contineri docet, quoniã interuallis dactylo & ſpondęo par eſt. ſic enim ait: Quare primùm ad heroũ nos, dactyli & anapęſti & ſpondęi pedẽ inuitat. loquitur aũt de Ariſtotele, quem ait inuitare quidem nos ad heroũ numerum, ſed tamen ex omnibus pæonem probare maximè. ſic enim paulo pòſt ait: Probatur autem ab eodem illo maximè pæon, qui eſt duplex. nam aut à longa oritur, quem tres breues conſequuntur, ut hæc uerba: Definite, incipite, comprimite. aut à breuibus deinceps tribus, extrema producta atq; longa, ſicut illa ſunt: domuerant, ſonipedes. Atque illi philoſopho ordiri placet à ſuperiore pæone, poſteriore finire. hæc ibi Cicero. Petrus autẽ Victorius, qui nuper in Ariſtotelis Rhetorica cõmentatus eſt, Ciceronẽ ſibi ipſum aduerſari putat, eumq; duabus de rebus accuſat. Primò, quòd contraria dicat: deinde, quòd Ariſtotelis ſenſum non intelligat. Qua in re mihi, quod pace eius dixerim, ſine ratione calũniari Ciceronẽ uidetur. Nã primò, qua in re ſibi cõtrarius eſt Cicero? Quòd 3. de Orat. dicat, nos ad heroũ numerũ ab Ariſtotele inuitari: hic aũt dicat heroũ numerũ Ariſtoteli grãdiorẽ uideri quàm deſideret ſoluta oratio. Certè hęc primo aſpectu nõ accuratè cõſideranti uideri cõtraria poſſunt: ſed ſi quis diligẽter aduertat, nullã in eis repugnantiã inueniet. nam 3. de Orat. Craſſus ex Ariſtotelis uerbis hunc ſenſum elicit, ut nos quidẽ ad heroũ numerum inuitet, ſed tamẽ ei pęonẽ lõgè pręponat. Hoc aũt

loco

loco Cicero sentit idem omnino. nam ostendit, quemadmodum Aristoteles heroum numerum cum iambo comparet, & heroum grandiorem quidem iu dicet, quàm oratio soluta postulet: iambum autem nimis humilem, & è uulga ri esse sermone. quoniam oratio neq; abiecta esse debet, neq; nimis alta: sed ta men eam uelit esse plenam grauitatis, ut eos qui audient, ad maiorem admira tionem posit adducere. Quid est quæso, uelle plenam esse grauitatis oratio- nem, nisi nos ad heroum numerum inuitare? Deinde quid sibi uult illa parti- cula, Sed tamen? Non'ne corrigit id quod antè dixerat? hoc est, heroũ gran- diorem quidem esse, quàm uulgari & solutæ orationi conueniat: sed tamen admittendum, ut plena grauitatis fiat oratio? Alioqui quomodo in admira- tionem ducet audientes, nisi fuerit alta & exaggerata? Quid præterea? Non ne idem adiungit Cicero, quod tertio de Oratore dixerat, Pæonem ab Ari- stotele maximè probari? Qua igitur in re sibi contrarius est? Equidem non uideo: nisi quòd Victorio libuit paulisper argutari. Sed Aristotelem (inquit) non intellexit Cicero. Imò uerò præclarè intellexit. Tu uerò Victori, neq; Ci- ceronem neq; Aristotelem intelligis. Quid ais bone uir? Cicero credidit he- roos numeros omnibus locis ab Aristotele laudatos, atq; alijs pedibus prepo sitos, non animaduertens accuratè quid de illis statim Aristoteles preciperet? ubi hoc ait Cicero? ubi tu hoc apud Ciceronem expiscatus es? Nam tertio de Oratore nõ hoc certè dicit, neq; hoc in loco: cũ & ibi & hic apertè dicat, Pæo nem, non aũt heroos pedes alijs omnibus ab Aristotele præponi. Sed tu nimi rũ calũniandi ansam ab illo aduerbio primùm, nactus es: neq; aduertisti, non ad præstantiã numerorum, sed ad locũ Aristotelis referri. nam Aristoteles pri mo loco de heroo mentionem facit, sed postea pæonẽ illi præponit. Primùm igitur, hoc est primo loco, nos ad heroum pedem Aristoteles inuitat, sed dein de pæonem maximè probat. Sed, inquit Victorius, Aristoteles hos pedes heroos apertè fugiendos præcipit. Imò uerò hóc apertè falsum est: & miror tantum uirum, ut Ciceroni malediceret, tam leuiter abductũ fuisse, ut Aristo- telis sententiam non consideraret. sic enim ait Aristoteles: τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡ- ρῷος σεμνὸς, καὶ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος. ὁ δ' ἴαμβος αὐτὴ ἐστιν ἡ λέξις, ἡ τῶν πολ λῶν. διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. δεῖ δὲ σεμνότητα γε νέσθαι, καὶ ἐκστῆσαι. hoc est: Ex numeris herous grandis est, & elegans, & egens harmoniæ: iambus autem ipsa est imperitorum oratio. ideo ex omni genere carminum in iambica maximè loquentes incidunt. Oportet autem effici granditatem, & in admirationem inducere. hæc Aristoteles. Ex quibus ui- dere licet, quàm bene Cicero sententiam eius intellexerit, & quantopere fal- latur Victorius. Nam heroum numerum Aristoteles magnopere commen- dat, sed tamen ait egere harmonia. quo significat, grandiorẽ illum esse, & uer sibus aptiorẽ, in quibus est harmonia. Iambũ uerò penè contẽnit, quòd impe ritorũ sermoni simillimus sit: in oratione uerò granditatẽ esse oporteat. quod cũ dicit, nos ad iambum fugiendũ, & heroũ amplectendũ inuitat, ut optimè Crassus interpretatur: quod etiam indicant ipsa uerba. nam cum prius Aristo teles σεμνὸν dixisset heroum esse, postea docet in oratione σεμνότητα esse opor tere: quod idem esse, ac si dixisset, heroum in orationem admitti oportere, quis non intelligit? Admittit igitur & Aristoteles & Cicero numerum he- roum in orationem: sed ita, ne frequentior sit quàm oporteat. sic enim esset ni mis alta & exaggerata oratio. Quòd si opportunè adhibeatur, plenam graui- tatis orationem efficiet. Hic aduertendum est, Ciceronem, id quod Aristo- teles dixerat ἐκστῆσαι, interpretatum esse, ad maiorem admirationem traduce- re. & quod dixerat Aristoteles, ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν, Ciceronem uertisse, è uulga ri esse sermone. atq; ita sententiam Aristotelis explicare pergit.

Trocheũ aũt nõ probat, uel minimè, qui est eodẽ spacio quo cho reus.

reus. Cordacem appellat, quia contractio & breuitas dignitatem non habeat.

Pergit Aristotelis sententiam de numeris orationis explicare. Trochęum (inquit) non probat Aristoteles, uel minimè pedum omnium probat. est autem trochęus eodem spacio quo choreus, unde frequenter alter pro altero capitur. Trochęus enim, ut superius ostendimus, tres syllabas breues omnes cōplectitur: choreus aūt unam longam & unam breuē, ita ut longa prior sit, breuis insequatur. lōga uerò duarum breuium amplectitur spacium: ita choreus est eodem spacio quo trochęus. Appellat autem Aristoteles ipsum trochęum cordacem, eo quòd propter cōtractionem & breuitatem syllabarum nullam dignitatem habere uideatur. Est enim cordax, saltationis cuiusdā lasciuæ & impudentis genus, quo ueteres in conuiuijs ridiculi gratia uti solebant. Vlpianus Demosthenis interpres, Olynthiaca secunda, cordacismū appellat, atq; ita describit, κορδακισμὸς εἶδος ὀρχήσεως αἰσχρᾶς καὶ ἀπρεποῦς: Cordacismus est species saltationis obscœnæ atq; indecoræ. idē ferè tradit Aristophanis interpres. Huius saltationis meminit etiam Athenęus libro 14. & Lucianus in Icaromenippo. Certè apud Græcos κορδακίζειν, turpiter & indecorè saltare significat. Theophrastus cum uecordem hominem significare uelit, ait eum etiam sobrium non dubitaturū cordacem saltare. ex quo potest intelligi, non sobriorum, sed eorum qui bene poti essent, hanc saltationem fuisse. hac de causa dixit Aristoteles, trochęum esse κορδακικώτερον, hoc est nimis incitatum ac tenerum, qualis saltatio illa quæ cordax uocabatur.

Ita Pæona probat, eoq; ait uti oēs, sed ipsos nō sentire cū utātur. esse aūt tertiū ac mediū inter illos. sed ita factos eos pedes esse, ut in eis singulis modus insit, aut sesquiplus, aut duplex, aut par.

Aristoteles ex omnibus pedibus Pæonem maximè probat, quòd à uersu sit alienus: & omnes ait oratores eo uti solere, neq; tamen aduertere cū utantur. certè uoluit Cicero tantum sententiam Aristotelis, nō uerba exprimere: sic enim apud Aristotelē legitur, λείπεται δὲ παιάν, ᾧ ἐχρῶντο μὲν ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι, οὐκ εἶχον δὲ λέγειν τίς ἦν. quæ uerba sic conuerti possunt: Restat pęan, quē immittere in orationē cū cœpisset Thrasymachus, antiqui quidem eū frequentabant: nec tamen quis hic numerus esset, dicere poterant. Neq; enim intelligebant antiqui, hunc numerum esse sesquimaiorem, & esse tanquam tria ad duo, quæ sesquialtera proportio dicitur. nam Victorius iniquè atq; indoctè Ciceronē lacerat, quòd Aristotelis uerba non secutus fuerit, cū ipse neq; Ciceronis neq; Aristotelis sententiā percipiat. neq; enim unū tantū pēdē pæonē probat Aristoteles, sed omnes pæoni pares: uel, ut apertius dicam, omnes qui eam interuallorū proportionē habent, quā tria ad duo. quod antiqui nesciebant. Quòd autem dicatur tertius ac medius pæan inter cæteros, hęc est ratio, quòd heroi numeri sunt omnes æquales: ut spondæus, dactylus, anapęstus. Iambus autem, & trochæus sunt duplices. itaq; pæon, qui neque æqualis neque duplex est, ut sit tertius necesse est. Cum uerò sequimaior sit, æquales superat, & à duplicibus superatur: quo fit, ut aliorum medius esse uideatur. Sunt enim ita facti pedes omnes, ut modus eorum aut sequiplus sit, ut in pæone (τρία γὰρ πρὸς δύο ἐστίν, inquit Aristoteles. nam tria interualla ad duo conferuntur, nempe tres breues ad unam longam) aut duplex, ὁ δὲ δύο πρὸς ἕν, inquit ille (nam in iambo & trochæo duorum temporum ad unum ratio consideratur) aut par, ὁ μὲν ἓν πρὸς ἕν. dixit Arist. herous enim ad duo tēpora, duo altera confert. atq; ita est Aristotelis de numero explicata sentētia. Deinceps igit̄ Cicero, refutatis prius aliorū opinionib. sententiā suā exponit.

Itaq;

Itaq; illi de quibus antè dixi, tantummodo commoditatis habuerunt rationem, nullam dignitatis. Iambus enim & dactylus in uersus cadunt maximè. itaq; ut uersum fugimus in oratione, sic hi sunt euitandi continuati pedes. Aliud enim quiddam est oratio, nec quicquam inimicius quàm illa uersibus.

Alij qui de pedibus orationis tractauerunt, uidentur commoditatem tantum in dicendo quæsiuisse, non etiã dignitatem: nos autem etiam dignitatis uel maximam rationem ducimus. Quare numeros quidem omnes admittimus, sed ita, ut eorum uarietas & aures oblectet, & in uersum non incidat. quod facilè fiet, si eorum pedum continuationem fugiemus, qui maximè in uersus cadunt: quales sunt iambus & dactylus. hi enim pedes maximè metrici sunt, & in continuatione uersum efficiunt: ut quatuor iambi dimetrum faciunt, sex uerò trimetrum, qualis est Ode illa apud Horatium:

Beatus ille qui procul negocijs,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni fœnore.

Dactyli duo uersum Hirminachium faciunt: ut,
Tibia personat.
Tres, uersum Simonideum conficiunt: ut,
Indue pallia serica. Quatuor Almanicum: ut,
Pollio & ipse facit noua carmina:
Quinq; dactyli continui, Simonideum uersum constituunt:
Parthenopæus erat puer Arcadiæ decus.
Iphicus uersus sex dactylis continuatis efficitur: ut,
Sidera pallida diffugiunt face territa luminis.

Sed hæc longè copiosius tractat Seruius in Centimetro suo. Semper igitur horum pedum continuatio uitanda est, magis etiã dactyli quàm iambi: quoniam duo soli dactyli uersum faciunt, quod in iambis non accidit. itaq; duo iambi bene claudent periodum. ut in Pisonem: Nescio quem de grege nouitiorum factum esse consulem. & alibi: Persequere connexos his funeribus dies. Quòd s[illegible]raret syllaba, ut si essent in fine periodi duo iambi, & syllaba, malè clauderet: esset enim monometrum Aristophanium. ut, *Ruũt inermes.* tres tamen aliquando iambi finiunt. ut in Pisonem: Miserum me, cum hac me peste atque labe confero. & pro lege Manilia: Non multum ab hostili expugnatione differant. Sed hoc rarò faciendum est, quoniam tres iambi metrum Anacreontium efficiunt. Initio totius orationis iambus non ponitur. quia numerus humilis, & dignitatem non habens. ergo Cicero suas orationes à quatuor pedibus potissimum incipere solet: hoc est, à tribus herois, qui sunt, spondæus, dactylus, anapæstus, & à cretico. Vel igitur à spondæo incipit. ut pro lege Manilia: Quanquam mihi frequens. pro Milone: Etsi uereor Iudices. pro Cn. Plancio: Cum propter egregiam. pro Domo sua: Cum multa diuinitus. pro Cælio: Si quis iudices fortè. pro Cornelio Balbo: Si auctoritates patronorum. Vel incipit à dactylo, ut pro Roscio Amerino: Credo ego uos Iudices. In Vatinium: Si tua tantummodo. Philippica tertia: Serius omnino P.C. Vel incipit ab anapæsto, ut pro Cluentio: Animaduerti Iudices, omnem accusatoris. contra Catilinam: Video P. C. in me omnium. contra Verrem libro sexto: Venio nunc ad istius. pro Marcello: Diuturni silentij P.C. Philippica 5. Nihil unq; longius. Vel incipit à cretico, qui idem amphimacrus dicitur, quia ex longa breui & longa constat: & hoc est initium frequentissimum orationis apud Cic. ut in Verrẽ 3. Neminẽ uestrûm ignorare arbitror.

arbitror. & in eundem 7. Nemini uideo dubium esse. Pro Murena: Quæ precatus sum à dijs. pro P. Sylla: Maximè uellem Iudices. pro Archia poeta: Si quid est in me ingenij Iudices. post Reditum: Quod precatus à Ioue Opt. Max. pro P. Sestio: Si quis antea Iudices. pro C. Rabirio: Siquis est Iudices. Philippica 10. Maximas tibi Pansa. Philippica ultima: Si ut ex literis. Primam in Catilinam incepit ab Amphibracho, qui etiam Scolius dicitur, & cõstat ex breui longa & breui: Quousq; tandem abutère Catilina: unam tamen orationem à Iambo uidetur incepisse Cicero, prò Q. Ligario: Nouũ crimen C. Cæsar. quod existimo dedita opera factum à Cicerone, ut nõ tantũ ironia, qua utitur ibi, sed etiam numero, Ligarij crimẽ eleuaret. Nullam enim aliam orationem à Iambo cœpit. nam quarta Philippica, quam obijciunt quidam, non à Iambo, sed à Pæone secundo incipit: Frequentia uestrûm incredibilis. Quamuis aũt orationis initio iambus non adhibeatur, tamẽ frequẽter periodorum initio solet adhiberi, nonnunquã etiam geminatus. ut pro lege Man. potest enim hoc dici belli genus. Dactylus autem rectè & incipit & desinit, modò simplex ponatur: rarissimè enim geminatus inuenitur. & hoc est quod Aristoteles dixit, hunc numerum esse dimittendũ, propterea quòd maximè cadit in uersum, quoties uel plus quàm semel ponitur, uel spondæo præponitur. Dactylus enim spondæo præpositus, Adonium uersum efficit: ut, Terruit urbem. Quòd si spondęus dactylum pręcedat, rectè clauditur periodus: ut pro Milone, Nõ usitata frequentia stipati sumus. rursus: Et timorem si quem habetis deponite. & inferius: Vt impune liceat defendere. Idem accidit etiam, si Iambus Dactylum præcedat, ut in eadem oratione: Metu crudelissimorum exitiorum carere nõ possumus. & inferius: Cum ui uis illata defenditur. Rursus: Facere enim probus adolescens periculosè, quàm perpeti turpiter maluit. In summa, quoties uel una syllaba longa, uel duę, uel plures, Dactylum pręcesserint, bene clauditur periodus: quoties autem uel una breuis, uel duę, uel plures, non ita commodè clauditur. Pessimè uerò duo Dactyli finiunt: quoniam oratio uersibus maximè est inimica.

Pæon autem minimè est aptus ad uersum, quo libentius eum recepit oratio.

Aristoteles omnium maximè Pæonem cõmendat, cuius rei ratio est, quoniam non est aptus ad uersum faciendum, & tamen numerus est mollissimus: itaq; & initio & fini periodorum optimè congruit. quia cum à poetis frequẽtatus non sit, non ita facile cognoscitur: & hac de causa magis quàm alij pedes, latère potest. Mirificè igitur utilis est orationi, neque tamen artificium aperiet. Hac de causa Cicero frequenter in eadem pagella ter aut quater, Pæone sententiam claudit.

Ephorus uero, ne spondæum quidem, quem fugit, intelligit esse æqualem dactylo, quem probat. Syllabis enim metiendos pedes, non interuallis existimat. quod idem facit in trochæo, qui temporibus & interuallis est par iambo: sed eo uitiosius in oratione, si ponatur extremus, quòd uerba melius in syllabas lõgiores cadunt.

Ephori sententiam damnat, qui spondæum ab oratione remouebat, dactylum aũt admittebat. Non intelligit, inquit, spondæum Ephorus æqualẽ esse dactylo, quoniam totidẽ habet interualla, nempe quatuor. hoc autem ideo accidit, quia non interuallis, sed syllabis pedes dimetitur. sicut etiã in trochęo facit: qui licet habeat tres breues syllabas, tamen iambo temporibus & interuallis par est. Verùm ea de causa trochæus in oratione uitiosus est, quia melius in longiores syllabas, quàm in breues, uerba desinunt. Vna igitur breuis, aut

aut dux, in fine tolerari possunt: tres autem breues, non ita cõmodè claudunt.

Spondæus autem sine ratione damnat̃ ab Ephoro, cum & initijs & clausulis aptissimus sit. Semper enim rectè incipit, quicunq; numerus sequatur. sem per etiam rectè finit, nisi dactylus aut alter spondæus præcedat. nam præcedente dactylo, finis fit heroici carminis, quod in oratione deforme est: licet aliquando reperiatur apud Ciceronem, sed rarò. Duo uerò spondæi nimis tardi sunt in fine: quo fit, ut rarissimè claudant. Optimè uerò claudit, præcedente iambo aut choreo: quæ clausula Ciceroni maximè familiaris est. ut pro lege Manilia: Amicorum temporibus transmittẽdum putaui. Item: Tribuendum esse censuerunt. Item: Periculaq; rerum suarum detulerunt. Item: Vicos exustos esse complures. Item: De Imperatore deligendo esse dicendũ. Item: Magna & grauia bella gesserunt. Sed quid exemplis opus? cum regula generalis hæc esse posit, optimam & amplam tunc esse clausulã, cum tres ultimæ syllabæ longæ fuerint, breui tamen præcedente, ut iambus & spondæus efficiatur. proximam autem esse, cum trochæus uel choreus spondæum in fine pręcedit. Oportet autem ultimam uel natura, uel positione longam esse: ut, disputaui, censuerunt. nam si breuis ultima fuerit, tunc dichoreus efficitur, qui tamẽ etiam laudatur in fine periodi, ut postea docebimus. Nam quod ait hoc loco Cicero, trochæum in oratione uitiosum esse: id accidit, quoniam è tribus breuibus syllabis fit, ut facere, legere, dominus, animus: quæ si ponantur in fine periodi, nimis celerem & incitatam reddũt orationem, ita ut omnem prorsus amittat grauitatem. Itaque diligenter est euitandus in fine trochæus, siue tribrachus, qui idem est, ut suprà docuimus. nam in hac re uir eruditus, Petrus Victorius, sicut etiam alij multi, deceptus est: qui dicit, Ciceronem Aristotelis sententiam secutum non fuisse. Damnat enim Aristoteles trochæum frequentem, quem tamen (ait Victorius) Cicero duplicem frequenter in fine ponit. Hoc autem omnino falsum est. quoniam Cicero nunquam, quod ausim dicere, duos trochæos in periodi fine posuit: cum adeò damnet hunc pedem, ut rarissimè, aut uix unquam eo sententiã claudat. neq; enim ullam dignitatẽ habere possunt tres in fine breues. Sed in eo deceptus est Victorius, quia nõ aduertit, trochęum Aristoteli, Ephoro, Ciceroni, Quintiliano, tribus è breuibus fieri: licet Grammatici dicant è longa & breui cõstare. nam pes qui è longa & breui constat, non trochæus à Cicerone & Quintiliano, sed choreus dicitur: quod mirum est, à tantis uiris non fuisse cognitũ. Rectè igitur duo chorei sententiã claudunt, nõ autem trochęi: cum etiam unus trochæus in fine uitiosus sit, ut Ciceroni & Quintiliano placet. Dichoreus ergo frequẽtissimus apud Ciceronẽ in fine ponitur, & est numerus lepidus, ac bene fluens. ut pro lege Man. Fructum est amplissimũ consecutus. Item: Quid de alijs pręscriberetis. Item: Difficilius est exitum quàm principiũ inuenire. Item: Occasionem sibi ad occupandã Asiam oblatam esse arbitratur. Item: Nunc quid agendum sit, considerate. Item: Vestros animos excitare atq; inflammare debet. Item: Quibus est & à uobis & ab Imperatoribus Reip. consulendũ. Hæc enim omnia sunt in una pagina, ut quiuis intelligere posit, quàm familiaris hic numerus Ciceroni sit. Nam ego aliquando centies atque amplius in una oratione obseruaui, duos choreos in periodi fine à Cicerone collocatos. Semper igitur hic numerus est optimus: sed tamen tunc etiam laudabilior, cum ultima longa uel natura uel positione fuerit, ut choreus & spondæus fiat: quod etiã supe rius admonui. Quales sunt illi, confiteri, collocatos, censuerunt, & similes.

Atq; hæc quę sunt apud Aristotelẽ, eadem à Theophrasto Theo dectéq; de Pæone dicunt̃. Ego autem sentio, omnes in oratione esse quasi permistos & cõfusos pedes. nec enim effugere possemus a-

nimaduersionē, si semper ijsdem uteremur: quia nec numerosa esse ut poēma, neq; extra numerum, ut sermo uulgi est, debet oratio.

Aristoteles, Theophrastus, & Theodectes, unum Pæonem commendare maximè uidentur. at cum eis Cicero non sentit, qui omnes in oratione pedes permistos & confusos esse uult. huius autem sententiæ suæ rationem adfert: quia facile auditores artem animaduerterent, si semper ijsdem pedibus uteremur. quæ res etiam satietatē facile gigneret, & quodammodo deformis esset. Ideo qui sunt etiam optimi numeri, non ita frequenter usurpandi continui sunt, sed alijs atq; alijs interpositis: ut Dichoreus optimus quidē est, ut paulo antè docuimus, sed si semper eo quis utatur, reprehensionē effugere nō poterit. ita Pæones & Ionici sunt optimi, sed tamen plerunq; uariandi. debet enim oratio medium quiddam tenere inter poema & sermonē uulgi, ut neq; numeros semper eosdem habeat, sicuti carmina cuiusq; generis assolent: neq; penitus numero careat, eo modo, quo uulgi sermo conficitur. hoc autem nullo modo fieri potest, nisi pedes omnes quasi permisti & confusi in oratione (sicut ait Cicero) collocentur.

Alterum nimis est uinctum, ut de industria factum appareat: alterum nimis dissolutum, ut peruagatum ac uulgare uideatur: ut ab altero non delectere, alterum oderis.

Rationem adfert, cur oratio neq; poema, neq; sermonem imitari debeat. Nam poema nimis est uinctum, neq; sine dimensione pedum ac syllabarū eius ulla pars fieri posſit, quo fit, ut in eo semper appareat industria: quod in oratione fieri non debet. quoties enim in oratione numerus uidetur esse quæsitus, non ita delectare solet. Sermo autem uulgi nimis dissolutus est, neq; quicquam habet eximium quod elucere posſit, sed in eo peruagata & uulgaria sunt omnia: quæ res in oratore contemnitur. Quare in oratione poema non delectat, sermo uerò prorsus negligitur, & quasi odio est.

Sit igitur, ut suprà dixi, permista, & temperata numeris: nec dissoluta, nec tota numerosa: Pæone maximè, quoniam optimus auctor ita censet: sed reliquis etiam numeris, quos ille præterit, temperata.

Concludit hanc quæstionem partim ex Aristotelis auctoritate, partim ex sua. omnino iuncta numeris esse debet oratio: sed ita temperata, ut neq; dissoluta, neq; tota numerosa uideatē. Ex pedibus autē maximè probetē Pęon, quoniam ita placet Aristoteli, qui optimus auctor est: sed ita tamen, ne reliqui pedes relinquantē, sed ex omnibus oratio uarietē. Hic autem operæpreciū est Ciceronis artem animaduertere: qui cum ex Aristotelis sententia Pæonem maximè laudet, tres Pæones cōtinenter in terminatione sententiæ posuit. primò enim quartum Pæonem usurpauit, cum ait: Permista et temperata numeris. deinde Pæonem tertium, cum dixit: Nec tota numerosa. tum iterū Pæonem tertium, cum ait: Optimus auctor ita censet. Cum autem ab Aristotele dissentit, & reliquis etiam numeris utendum esse docet, statim suum dichoreum usurpat, cum ita subiungit: Sed reliquis etiam numeris, quos ille præterit, temperata. Ita non tantum artem docet, sed etiam ex arte loquitur.

Quos autem numeros cum quibus tanquam purpuram misceri oporteat, nunc dicendum est: atq; etiam quibus orationis generibus sint quiq; accomodatisſimi.

Cum iam probarit, omnes numeros in orationem cadere: nunc aliam quæstionem proponit, quos cum quibus misceri oporteat: & cum uaria sint orationum

tionum genera, qui cuiq; generi sint accommodatissimi. Sed quid est quod ait Cicero, Tanquam purpuram? Allusit ad patriciorũ Romanorum uestes, quæ purpura prætexebantur: unde etiam prætextæ dictæ fuerunt. Semper enim Romæ fuit usus purpuræ, sicuti Plinius affirmat. Nam Romulus Vrbis conditor, purpuream trabeam habuit. Non tamẽ omnibus Romanis uti pur pura licebat, sed magistratibus tantum, quibus fasces & secures dabantur: & triumphantibus, & liberis Senatorum: deniq; etiam sacerdotibus, cum res di uinas facerent. Eò deinde creuit luxuria, ut non contenti sola purpura, eam miscerẽt alijs coloribus, ut suauior eius color fieret: quod idem Plinius ostendit. Hoc est quod ait hoc loco Cicero: Sicuti purpuram cum alijs permixta co lores eximios efficit, & suauissimos: ita numeri in oratione permixti, magnã præ se iucunditatem ferunt. *Lib. 9. cap. 39.*

Iambus enim frequentissimus est in ijs quæ demisso atq; humili sermone dicuntur: Pæon autem in amplioribus, in utroq; Dactylus. ita in uaria & perpetua oratione hi sunt inter se miscẽdi, & tem perandi. sic minimè animaduertetur delectationis aucupiũ, et quadrandæ orationis industria: quæ latebit eo magis, si & uerborum & sententiarum ponderibus utemur.

Cum sint tria dicendi genera, tenue, mediocre, sublime: singulis generibus numeri sunt accommodandi. Ergo tenui generi iambus maximè conueniet, sublimi uerò pæon, at dactylus utrique aptus erit. Quid ergo in mediocri, quo numero utemur? Certè quia medium est inter tenue & sublime, & utriusq; naturam participat, utriusque numeris etiam utetur. Sed cum sint tam multi pedes qui cadunt in orationem, cur tres tantũ hoc loco ponit Cicero? Iambum enim, & pæonem, & dactylum solos nominat, alios omnes prætermittit. Sed hoc non sine causa fecit. nam superius ostendit, tria tantum esse numerorum genera. nam aut sunt æquales numeri, aut duplices, aut sesquipli. Itaque posuit unum pedem cuiusque generis, ut ex his tribus alios omnes intelligamus. Iambus enim duplex est, pæon sesquiplus, dactylus æqua lis. Cum ergo dicit Cicero, Iambum demisso atque humili sermoni conuenire: non hunc solum pedem intelligere debemus, sed alios etiam omnes quicunque iambo sunt interuallis ac temporibus pares: quales sunt, choreus, tro cheus, siue tribrachus, & molossus. nam hi quatuor simplices numeri, duplici proportione constant. quibus etiam alij compositi adiunguntur, ut dijambus, dichoreus, choriambus, antispastus: quanquã compositi semper paulo grandiores existimantũ. Erunt igitur omnes pedes, qui demissæ orationi conuenient, octo potissimum: iambus, choreus, tribrachus, molossus, dijambus, dichoreus, choriambus, antispastus: quoniam hi omnes duplices sunt. sed ali quando etiam dactylus, et reliqui æquales numeri demissæ orationi adiungũ tur. Quod autem ita sit, ipse Cicero declarat in oratione quam habuit pro Cecinna, quæ tota demissa est. nam primum membrum iambo clauditur, secundum choreo, tertium & quartũ iambo. postea utitur antispasto, cum ait: Iure iudicioq; superare. deinde choriambo, cum ait: Tum impudens in iudicio. deinde tribus iambis, cum ait: In iudicium uenire ausus est. Dichoreo ibi usus est: Impudentiæ facilius obsisteremus. Trochæo ibi: Quod ego iniuratus insimulo. Molosso ibi: Fidem meam diligentiamq; præstarem. Dactylo etiam aliquando finit, ut ibi: Non quid actum sit quærere. Atque hic ferè numerus est demissæ atq; tenuis orationis. Amplior autem oratio pæonem maximè requirit, & eos pedes qui pæoni sunt æquales, qualis est creticus, bacchius, & palimbacchius. Præterea ex compositis in ampla oratione frequentes sunt ionici & epitriti. declaratur hoc ex oratione quam habuit Ci-

cero pro Cornelio Balbo, ubi sunt frequentes hi numeri. ut pæon ibi: Quantam uos in me esse uoluistis. Rursus ibi: Sed etiam debuisse fateamur. & ibi: A' uobis Iudices, repudianda. Creticus uerò bis eadem continuatione sententiæ, eodem in loco ponitur, cum ait: O' populi Romani excellens dignitas, ò Cn. Pompeij sic latè longeq; diffusa laus. Bacchij etiam & palimbacchij sunt in eadem oratione frequentes, ut: Nuper in alia causa fuerim & prædicatorem & auctorem. Quin tria membra tribus palimbacchijs finit, ibidem: Vt in Cornelio causa ipsius probetur, pœna quæratur: in Pompeio causa lædatur, pœna sit nulla. Ionici & maiores & minores crebri sunt. Maiores, ut ibi: Nihil de causa & crimine ornatius. & ibi: Sed in animis omnium penitus insederit. Minores, ut ibi: Res ipsæ docere potuerũt. & ibi: Terra mariq; peragrassent. Iam uerò tam frequentes epitriti sunt, ut magnũ ei rei studium adhibitum esse uideatur. Sed nos singulorum unum tantum exemplum afferemus. Primus est igitur epitritus ibi: Non postulanti imperia, uerum etiam recusanti. Secundus ibi: Sed aut sperando unquam, aut optando cogitauerunt. Tertius ibi: Hæc sunt prælia Cornelij. Quartus ibi: Cum fœderibus, quorum acerbissima diligentia est, pertendemus. Sed, ut dixi, frequentissimi hi pedes, quoniam maximam habent dignitatem: his igitur numeris grandis illa distinguitur oratio. Mediocris autem omni numerorum genere temperatur, atq; ita uariatur, ut magnam præ se iucunditatẽ ferat, sed præcipuè dactylo, spondæo, anapæsto, scolio, ex simplicibus: ex compositis autem, dichoreo, antispasto, choriambo, ionicisq; ambobus delectatur: quod in oratione prò lege Manilia uidere quilibet facile potest. Hoc est igitur quod ait Cicero, permiscendos esse & temperãdos hos pedes, ne quis animaduertere possit delectationis aucupium, & oratoris industriam in quadranda atq; construenda oratione. Quæ certè res latère facilè poterit, si quis efficiat, ut in oratione suæ sententiæ graues & lecta uerba appareant.

Nam qui audiunt, hæc duo animaduertunt, & iucunda sibi censent, uerba dico, & sententias: eaq; dum animis attentis admirantes excipiunt, fugit eos & præteruolat numerus: qui tamen si abesset, illa ipsa delectarent.

Auditores uerba solent & sententias animaduertere, in quibus si pondus & grauitas fuerit, magnopere delectantur. quo fit, ut dum eis intenti sunt, numerus eorum aures præteruolet, & tamen mirificè delectet. Quamuis etiam si numerus absit, uerba & sententiæ delectare possint. Contrà uerò, si uerba impropria aut barbara, inanesq; sententiæ fuerint, numerus non modò nihil proderit, sed etiam omnium irrisione ludetur. Quare primò rebus & uerbis diligentissimè studendum est, deinde etiam numerus adhibendus.

Nec uerò nimius is cursus est numerorum, orationis dico. nam est longè aliter in uersibus, nihil ut fiat extra modum: nam id quidem esset poema. Sed omnis nec claudicans, nec quasi fluctuans, & æqualiter constanterq; ingrediens, numerosa habetur oratio.

Cum ergo quis grauibus sententijs & lectis uerbis utitur, decet quidem etiam numerũ adhibere, sed non ita frequentem ut nimius appareat, & extra modum fiat, ne fortasse euadat in poema, quod ab oratore omnino alienum est. Illud unum diligenter aduertendũ est, ne oratio nostra claudicet, & quasi oppositis obicibus insistat: quod auribus molestissimum esse solet, quando non fluunt uerba, neque sine impedimento feruntur. Et contrà uidendũ ne fluctuet oratio, & quasi soluta legibus huc & illuc liberè uagetur: quod

prorsus indecorum est, & ab oratoris dignitate penitus alienum. Quid ergo? Debet æqualiter cõstanterq́ ingredi, & quadam quasi auctoritate procedere, ita meritò numerosa poterit appellari. Hoc igitur præceptum nimiam curam & solicitudinem numerorũ adimit: & rursus negligentiam damnat, quoniam modum in omni re seruare laudabile est. Quod præceptum Quintilianus etiam apertius his uerbis tradit: Totus uerò hic locus non ideo tractatur à nobis, ut oratio, quæ ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus, ac perpendendis syllabis consenescat. nam id tum miseri, tum in minimis occupati est. neque enim qui se totum in hac cura consumpserit, potioribus uacabit: & quæ sequuntur. quem locum ita deinde concludit: Satis igitur in hoc nos componit multa scribēdi exercitatio, ut ex tempore etiam similia fundamus. Quo in loco potest intelligi, Quintilianum uelle nos in componendo diligenter exerceri, & numeros obseruare, ut si quando subitò dicere oportuerit, numerose dicamus. Ferunt Platonem tam studiosum fuisse numerorum, ut Aristoteles dubitauerit, utrum Platonis opera inter solutas orationes, an inter poemata essent numerāda. quo factum est, ut dixerit idem Aristoteles, Platonis stylum inter solutam orationem & poema medium esse. auctor est Marsilius Ficinus. ut appareat, summam illam Platonis eloquentiam omnibus numeris absolutam fuisse. *Lib. 9. cap. 4.*

Atq; id in dicendo numerosum putatur, non quod totum constat è numeris, sed quod ad numeros proximè accedit. quo etiam difficilius est oratione uti, quàm uersibus: quòd in illis certa quædam & definita lex est, quam sequi sit necesse. in dicendo autem nihil est propositum, nisi aut ne immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio.

Vult ostendere differentiam orationis & poematis, & concludere difficilius esse orationem quàm poema componere. nam in oratione non dicitur id numerosum, quod totum è numeris conficitur. neq; enim singulos pedes in oratione, sicut in uersibus, numerare possumus. Satis est igitur, ut ad numeros quàm proximè accedat oratio. Ex quo fit, ut longè difficilius sit in oratione, quàm in uersibus, numeros obseruare: quia uersus certam habent atq; definitam legem, quam sequantur. oratio uerò nihil habet propositum, quod ad numeros attinet, nisi ut uitia fugiat: hoc est, ne sit immoderata, & longius excurrat, quàm opus sit: & contra, ne nimis angusta & cõcisa. Præterea uidendum est, ne dissoluta sit ac fluens, quasi uinculis omnibus exempta: quæ prorsus omni dignitate caret. Hæc omnia uitia numerus adiunctus opportunè tollit. Sed quid est quod ait Cicero, difficilius esse oratione uti, quàm uersibus? Certè ab hac sententia longè dissentit Horatius, qui putat difficilius esse bene uti uersibus, quàm oratione: & ideo mediocrē oratorem laudari, poetam nisi summus sit probari non posse, cum sic ait:

— consultus iuris, & actor
Causarum mediocris, abest uirtute diserti
Messalæ, nec scit quantum Cassellius Aulus,
Sed tamen in precio est. mediocribus esse poetis
Non homines, non dij, non concessere columnæ.

Hoc autem facit Horatius, ut causæ suæ seruiat, alioqui satis intelligi potest, difficilius esse, quemadmodũ ait Cicero, oratione uti, quàm uersibus, ex eo quòd multo pauciores oratores, quàm poetæ boni reperiuntur: ut in procemio librorũ de Oratore Cicero docet, & nos exemplis intelligere possumus: cum & apud Græcos & apud Latinos plurimi sint optimi poetæ, uerùm oratores paucißimi.

Itaq; non sunt in ea tanquam tibicini percussionum modi, sed uniuersa comprehensio & species orationis clausa & terminata est, quod uoluptate aurium iudicatur.

Est etiam illa differentia inter uersum & orationẽ, quòd uersus habet quosdam modos certos, quibus terminetur, atq; iterum incipiat, eodemq; tenore continenter progrediatur: ut si tibicines uersum inflare uelint, certis interuallis et percussionibus utantur, quemadmodũ etiam cantores solẽt. oratio uerò nihil habet eiusmodi, in qua nõ tam intuẽdi pedes sunt (ut ait Quintilianus) quàm uniuersa comprehensio, ut quadam numerosa specie claudat & terminetur: quod an fiat, auriũ uoluptate facile iudicatur. Notandum autem est, hoc loco Ciceronem appellare modos percussionũ, quas isti recentiores uocant consonantias. Boethius in Musica sua docet, omnes hos modos percussionum, aut in duplici, aut in triplici, aut in quadrupla, aut in sesquialtera, aut in sesquitertia proportione consistere. Quare quinq; tantũ generaliter fiunt percussionũ modi. Primus diatessaron dicitur, quæ est proportio sesquitertia, qualis est inter tres & quatuor. Secundus uocatur diapente, quæ proportio est sesquialtera, qualis est inter duo & tria. Tertius appellatur diapason, quæ dupla est proportio, ut inter duo & quatuor. Quartus diapente & diapason nominatur, quæ proportio tripla est, qualis inter duo & sex. Quintus disdiapason nuncupatur, quæ proportio est quadrupla, ut inter duo & octo: quæ maximá est in Musicis distantia, uulgò sextam decimam uocant. Vnde disdiapason distare dicuntur, quæ ualde sunt diuersa. Hi modi percussionum omnes in uersibus concinendis percipiuntur: sed in orationem solutam non cadunt, ut ait hoc loco Cicero.

Solet autem quæri, toto'ne in ambitu uerborũ numeri tenendi sunt, an in primis partibus, atque in extremis. plerique enim censent, cadere tantum numerose oportere, terminariq; sententiã. est autem, ut id maximè deceat, non id solum: ponendus est enim ille ambitus, non abijciendus.

Quæstio est, an in tota oratione, & in toto uerborum ambitu sint obseruandi numeri, an satis sit eos in primis tantum partibus, atq; extremis obseruare? & pleriq; existimant, satis esse partes tantum extremas obseruare, ut aptè numeroseq; cadant: de reliquis autem aiunt nõ oportere nos esse sollicitos. cum quibus Cicero partim sentit, partim etiam dissentit. Consentit autem in eo, quòd maximè decet, sententiæ terminum obseruare, ut ambitus ille uerborũ optimè ponatur: non autem abijciatur, & negligenter absoluatur. Solent enim aures finem maximè expectare, qui si exitu numeroso claudatur, explet ur animus iucundissima dictionis uoluptate: si uerò contrà uel immoderatè fluat, uel asperè consistat, ita offenduntur aures, ut oratorem statim auersentur, & negligant. Rectè igitur admonent, qui dicunt sententiam numerose terminari oportere. & hoc maximè probat Cicero. sed in eo dissentit, quòd non tantum extremas partes, sed etiam primas & medias aliquo numero uinciri oportere censet. itaq; subiungit ea uerba:

Quare cum aures extremum semper expectent, in eoq; acquiescant, id uacare numero non oportet, sed ad hunc exitum tamen à principio ferri debet uerborum illa comprehensio, & tota à capite ita fluere, ut ad extremum ueniens ipsa consistat.

Auditor nunquam intentionem suam remittit, neque conquiescit, donec totam sententiam & uerborum comprehensionem perceperit. Hoc est quod

ait

ait Cicero, semper aures extremum expectare, atque in eo acquiescere. Quod si extrema pars prerupta ac praeceps fuerit, aut aspera et fluctuãs, certè aures in ea quiescere non poterunt. Vnde rectissimè praecipiunt illi, qui iubent ut longis syllabis terminetur oratio: quoniam longae firmitatem atque stabilitatẽ habent. Et hoc est quod ait Quintilianus: Clausula quoque è lõgis firmissima est.

Sed illud aduertendum est, ut uel una tantum longa terminet: ut, In qua oratio nemini deesse potest. uel duae: ut, Ab ineunte aetate susceptae prohibuerunt. uel tres: ut, In Asiae luce uersari. uel ad summum quatuor: ut, quantae, atque quàm multae sunt? Rarissimè tamen quatuor longae syllabae claudũt, nisi uel in eis sint aliqua monosyllaba, uel ultima pro breui ponatur, ut quartus fiat epitritus. Sed optimus est numerus, cum tres ultimae uel positione, uel natura longae fuerint, praecedente breui: ut, Sociorum ciuitates esse deletas. & paulo post, Hae res quae caeteros remorari solent, non retardarunt. Claudunt quidem etiam breues, sed si tantum una fuerit, in fine pro longa habetur. Duae frequenter claudunt, tres rarissimè, quatuor uerò (quod sciam) nunquam apud Ciceronem. esset enim numerus nimium praeceps, si breues quatuor in fine ponerentur: cum rarissimè (ut dixi) tres breues finiant. Diligenter ergo numerus in fine considerandus est, in quo solent aures quiescere. hoc est quod ait Quintilianus: Non igitur durum sit, neque abruptũ, quo animi uelut respirant ac reficiuntur. haec est sedes orationis, hoc auditor expectat, hic laus omnis declamat. Sed tamen non extrema tantum pars numerosa esse debet, sed tota comprehensio à capite ita fluere, ut ad extremum ueniens ipsa consistat.

Quintilianus ait, Proximam clausulis diligentiam postulant initia. nam & ad haec intentus auditor est, sed eorum facilior est ratio. cauere tantum debemus, ne uel à uersu, uel à parte uersus notabili incipiamus. de reliquo principium omne laudabile erit, quod neque à cõtinentibus multis longis, neque à plurimis breuibus, sed à permistione breuium & longarum ducetur. Illud etiam in tota oratione diligenter obseruandum est, ne unquam unius tantum syllabae multa uerba coniungamus: quod deforme est, & uitiosum. ut si quis ita diceret: Quae res nunc sic est facta. resultat enim quadam cum asperitate talis oratio, neque ullo modo potest auribus esse grata.

Id autem bona disciplina exercitatis, qui & multa scripserint, & quaecunque etiam sine scripto dicerent, similia scriptorum effecerint, non erit difficillimum.

Haec est consolatio. Neque desperet se posse cõsequi hanc artem numerosae orationis. Cum enim exercitatione fiant omnia, si quis bona disciplina fuerit exercitatus, & multa scripserit, & in declamãdo laborarit, ita ut quae subitò diceret, similia scriptorũ efficeret, haec quae de numero tradunt orationis, nõ difficulter cõsequetur. Sed notandũ est quod ait Cicero, Bona disciplina exercitatis. quoniã nisi quis bene se exerceat, malũ quendam habitum ita cõtrahet, ut deinde non facile possit eum exuere. & hoc est quod M. Antonius apud Ciceronẽ ait: Male dicere homines male dicendo facile cõsequi. Vnde Timotheus nobilis ille Musicus, quemadmodũ Quintilianus auctor est, duplo maiores ab ijs quos alius instituisset, solitus est exigere mercedes, quàm si rudes traderentur: quoniã dedocẽdi grauius est onus, quàm docendi. Quin Aristoteles cum duas ignoratię species faciat: alterã, cum quis nihil adhuc ex aliqua sciẽtia uel arte percepit, quam negationis ignorantiã quidã appellãt: alterã autem, cum quis aliquid perperam & malè didicit, quã Themistius κατὰ διάθεσιν ἄγνοιαν uocat: subiungit, hanc esse pessimam ignorantiam, cum quis bene se didicisse putat, quod malè didicerit: quoniam falsa imbutus opinione, rarò sese emẽdat, & ad rectam rationem reuertitur. Optimè igitur illi praecipiunt, qui ab ineũte statim aetate iubent nos optimis praeceptoribus operam dare: quoniã

Lib. 2. cap. 3.

Lib. 1. Poster.

qui bona disciplina fuerint exercitati, facile quid in omni re conueniat, & u ... dere, & efficere poterunt. Hoc est igitur Ciceronis præceptum, ut multum et diu nos in bona numerorũ disciplina exerceamus. Sic enim assequemur, ut facile numerose dicamus.

Ante enim circumscribitur mente sententia, confestimq; uerba concurrunt. quæ mens eadem, qua nihil est celerius, statim dimittit, ut suo quodq; loco respõdeat, quorum descriptus ordo aliàs alia terminatione concluditur.

Ratio hæc est, quare bene exercitati facile possint etiam ex tempore numerose dicere. Tota enim oratio constat è rebus, uerbis, & compositione. Res ergo prius mente concipiuntur, & circunscribuntur: deinde statim uerba concurrunt, quæ rebus quasi sunt annexa. Mens autem, quæ maxima quadam celeritate prædita est, uerba iam rebus copulata dimittit: ea tamen prudentia, ut unumquodque uerbum aptè cadat, suoq; loco respondeat. Ita uerborum ordo quasi describitur, & pro disciplina iam percepta, modò uno, modò alio terminationis genere clauditur. Mens igitur ea est, quæ omnia rectè gerat, quæ semper quidem uelox & celeris est: quoniã nulla tanta celeritas est, quæ possit cum animi celeritate contendere. Sed longè etiam celerior euadit, cum longo tempore fuerit exercitata. quod exemplo poetarum ostendi potest, quorum multi reperti sunt, qui ex tempore quàm plurimos uersus, et quidem optimos effunderent. quod Cicero de Archia poeta testatur his uerbis: Quoties ego hunc uidi, cum literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum uersuum de his ipsis rebus quæ tum agerentur, dicere ex tempore? quoties reuocatum, eandem rem dicere commutatis uerbis atque sententijs? Sunt igitur animorum motus incredibiles, & ingenij celeritas admiranda. Quare non est quòd cuiusquam industria desperatione frangatur: cum nihil sit ingenijs feracius, præsertim bene cultis, ut alibi Cicero docet.

Atq; omnia illa & prima & media uerba spectare debent ad ultimum. interdum enim cursus est in oratione incitatior, interdũ moderata ingressio: ut iam à principio uidendum sit, quemadmodum uelis uenire ad extremum. nec in numeris magis, quàm in reliquis ornamentis orationis, eadem cum faciamus quæ poetæ, effugimus tamen in oratione poematis similitudinem.

Quoniam extrema comprehensionis pars aures maximè ferit, ideo sunt ad eam quasi ad terminum quendam omnia dirigenda. Videndum est igitur, utrum res ipsæ quæ tractant, celeritatem, an tarditatẽ desiderent. ut si celeritate fuerit opus, syllabæ breuiores eligantur, quibus cursus in oratione fiat incitatior: si uerò tarditatẽ reis desiderauerit, syllabarũ uarietate moderata fiat ingressio. Iam igitur ab initio cõprehensionis statuet animus, quomodo uelit ad extremã partẽ deuenire. Qua in re facit idem orator, quod etiam poeta. nam poeta spectat ubiq; numerum, & ab initio carminis ad extremã partem respicit. Sed tamen longè liberior est poeta, qui quamuis eadem faciat quæ poeta solet non tantũ in numeris, sed etiam in reliquis ornamentis orationis, tamẽ quantum potest in oratione poematis similitudinem effugit. Quòd autem orator idem faciat quod poeta, probatur ea ratione quam subiungit Cicero.

Est enim in utroque & materia, & tractatio: materia in uerbis, tractatio in collocatione uerborum. Ternæ autem sunt utriusque partes: uerborum, translatum, nouum, priscum: (nam de proprijs nihil

nihil hoc loco dicimus) collocationis autem, eæ quas diximus, cōpositio, concinnitas, numerus.

Ostendit quid primò habeant oratores cōmune cum poetis, deinde qua in re differant. Primò illud commune est, quatenus ad elocutionem pertinet. hic enim tantum de ornamentis orationis quæritur, quod in utroque, hoc est, & in oratore & in poeta, est materia & tractatio. materia uerò elocutionis, sunt ipsa uerba: tractatio, est ipsa uerborum inter se collocatio. Sed tam in uerbis quàm in collocatione, tria considerantur. in uerbis, translatum, nouum, & priscum: neque enim de proprijs, ubi spectatur ornatus, est agendum. Itaque ornamenti gratia tam orator quàm poeta, translatis, & nouis, & priscis uerbis utitur, de quibus iam suprà copiose diximus. In collocatione spectatur compositio, concinnitas, numerus: de quibus etiam singulis dictum est. nam compositio pertinet ad iuncturam uerborum, ut neque oratio uocalibus hiet, neque consonantium asperitate consistat. concinnitas paria paribus, contraria contrarijs opponit, & exitus similes quærit: quod tam poeta quàm orator facit. Iam uerò numeri omnes quibus orator utitur, poetici sunt. In quo ergo poetæ differunt ab oratoribus? cum eadem sint in utrisq;? in hoc, quod ait Cicero:

Sed in utroque frequentiores sunt & liberiores poetæ. nam & transferunt uerba cùm crebrius, tum etiam audacius: & priscis libentius utuntur, & liberius nouis. quod idem fit in numeris, in quibus quasi necessitati parère coguntur. sed tamen hæc nec nimis esse diuersa, neque ullo modo coniuncta, intelligi licet.

Poetæ licet in utroque cum oratoribus conueniant, hoc est & in materia, & in tractatione, tamen etiam in utroque quodammodo differunt. quoniam & frequentiores & liberiores sunt: ut translatio frequens quidem est in oratione, sed tamen in uersu longè frequentior & audacior. neque enim liceret in oratione dicere, quod Virgilius dixit, Nox *atra caua circumuolat umbra*: aut, *Redit in præcordia uirtus*: aut, *plurima mortis imago*: & mille alia, quæ passim apud poetas inueniuntur. Quin etiam priscis libentius utuntur poetæ quàm oratores: ut Virgilius, *Tros Rutulus'ne fuat*. & in sexto, *Igneus est ollis uigor*. & in primo, *Rebarq; futurum*. Nouis etiam liberius utuntur. Oratores enim tanquam scopulum, nouum uerbum effugiunt: at poetæ, dedita etiam opera confingunt. ut, *Linguis micat ore trisulcis*: &, *Lateri agglomerant nostro*: &, *furiata mente Chorebus*: &, *mare ueliuolum*, & mille alia. numeris autem astrictiores sunt, quàm oratores: quia quasi necessitati parère coguntur, neque unquam à certis numeris possunt abscedere. Hæc si quis aduertat, facile intelliget, nec nimis esse diuersam orationem à uersu, neq; tamen esse coniunctam.

Ita fit, ut non item in oratione, ut in uersu, numerus extet: id'que quod numerosum in oratione dicitur, nō semper numero fiat, sed nonnunquam aut concinnitate, aut constructione uerborum.

Concludit oratorij numeri naturam esse talem, ut non ita extet, sicut in uersu: neq; tantum ex pedibus nascatur, aut è numero poetico, sed interdū etiam à concinnitate illa & constructione uerborum, de qua dictum est.

Ita si numerus orationis quæritur qui sit, omnis est, sed alius alio melior atq; aptior. Si locus, in omni parte uerborum: si unde ortus sit, ex aurium uoluptate: si componendorū ratio, dicetur alio loco, quia

quia pertinet ad usum, quæ pars quarta & extrema nobis in diuidendo fuit: si ad quam rem adhibeatur, ad delectationē: si quando, semper: si quo loco, in tota continuatione uerborū. si quæ res efficiat uoluptatem, eadem quæ in uersibus: quorum modum notat ars, sed aures ipsæ tacito eum sensu sine arte definiunt.

Octo quæstiones propositas paucis uerbis concludit. quærebatur enim primò, qui esset numerus oratorius. & concludit, omnem poeticum numerū oratorium esse posse, quamuis alius alio melior atq; aptior sit: ut Pæon, quem Aristoteles cæteris omnibus anteponit. Deinde quęrebat, qui locus esset numeri proprius. et cōcludit, in omni parte uerborū esse numerū, quoniam è longis & breuibus syllabis omnia uerba componuntur. Tum, unde sit ortus numerus? & ait, ex aurium uoluptate. quoniam delectatę aures ex obseruatione naturæ numerum inuenerunt. Quartò quærebatur, quæ sit ratio componendorum numerorum? quam quæstionem nondum soluit, quia pertinet ad usum numerorum, de quo postremo loco sibi dicendū proposuerat, cum hanc tractationem quadripertitò distribuerat. Quintò, ad quam rem numerus adhibeatur? & concludit, ad delectationē tantum, non autem ad necessitatem uel utilitatem: quamuis etiam sæpe sit utile, delectare. Sextò, quando sit adhibendus? & ait, semper. nam omne genus orationis, siue tenue sit, siue mediocre, siue sublime, suos numeros habere debet. quin etiam epistolæ, sermoq; quotidianus, numerum suum requirit, ut docet Quintilianus. Septimò quærebatur, quo in loco? & concludit, in tota uerborum continuatione: quamuis magis in extrema parte seruetur. Postremò, quid sit illud quod uoluptatem efficit? & ait idem esse quod in uersibus, quod ex arte præcipuè constat: sed tamen etiam sine arte solent aures iudicare. Atque ita de numeri natura satis dictum est.

Satis multa de natura: sequitur usus, de quo est accuratius disputandum. in quo quæsitum est, in toto'ne circuitu illo orationis, quem Græci περίοδον, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem, aut continuationem, aut circunscriptionem dicimus: an in principijs solum, an in extremis, an in utraque parte numerus tenendus sit.

Tres iam partes institutæ disputationis absoluit: hoc est, de origine, de causa, de natura numeri oratorij. Superest quarta, de qua nunc tractare instituit: hoc est, de usu. de quo ideo uult accuratius disputare, quoniam in omnibus propè rebus difficilius est usum, quàm aut artem aut pręcepta intelligere. Atque in hac parte multas ponit quæstiones, sicut etiam superius, cum esset de numeri natura uerba facturus: quas deinde sigillatim explicabit. Ac prima quidem illa est quæstio, an in toto circuitu uerborum numerus tenendus sit? an in principijs solum? an in extremis? an in utraque parte: hoc est, & in principijs, & in extremis? Quem autem uocet uerborum circuitum, declarat: nempe quam Græci περίοδον appellant. Est autem periodus apud Græcos, propriè uiarum circuitus. Vnde περιοδεύω uerbum, quod circumeo significat. Sed deinde generaliter ad omnem circuitum transfertur. Hinc periodo uictores, sicuti Festus ait, dicebantur olim Hieronicę, qui Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia uicissent: quæ res maximam apud Græcos dignitatē habebat, sicuti libro nono Vitruuius testatur. Hinc etiam periodicæ febres dicūtur à Medicis, quę statis diebus quodam quasi circuitu reuertuntur: qualis est tertiana & quartana. Quin etiam Theologi nostri (sicut Erasmus notauit in

prouerbio

prouerbio, ultra pensum uiuit) metam uitæ fatalem periodũ appellant, quam nulli prętercurrere fas sit. A' Cicerone periodus multis nominibus appellat̃, quod ex hoc loco potest intelligi, & Quintilianus annotauit. Ergo quinque modis dicitur: ambitus, circuitus, comprehensio, continuatio, circunscriptio. Quintilianus etiam alia duo nomina adiungit, ut dicat̃ circũductio, et conclusio. Aristoteles libro tertio Rhetoricorũ hoc modo periodum definit: λέγω δὲ περίοδον, λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν, αὐτὴν κατ' αὐτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον. hoc est: Periodus est oratio, quæ principium habet & finem ex sese, magnitudinemq́ quæ uno aspectu facilè percipiatur. Ex qua definitione satis intelligitur, Aristotelem damnare longas periodos: quippe qui uelit, periodi partes mentis oculis facile omnes simul perlustrari posse: quę si talis fuerit, erit etiam ἡδεῖα καὶ εὐμαθής, hoc est, iucunda, & ad intelligendũ facilis. Sed ut Ciceronis quæstionem absoluamus, dicimus in extrema periodi parte numerũ esse diligentissimè obseruandũ, ut duos saltem aut tres in fine pedes metiamur, quòd etiam suprà docuimus. In principio uerò non tanta requirit̃ diligentia. satis enim erit, cauere ne à uersu, aut à uersus parte notabili incipiamus. In medio sic oportet numeros temperare, ut non insistant, sed ad extremũ bene fluant.

Deinde cum aliud uideatur esse numerus, aliud numerosum, quid intersit?

Hæc est differentia inter numerũ et numerosum, quòd numerus pedes tantum poeticos cõplectitur, & in oratione nullus est numerus extra poeticos, ut suprà dictum est: numerosum autem id dicitur, non tantũ quod in se numerum habet, sed etiam quod concinnitatẽ uerborum, & cõstructionem numero similem: quo fit, ut numerosum plura contineat, quàm numerus. In oratione uerò non tantum numerus, sed etiam numerosum esse debet.

Tum autem, in omnibus'ne numeris æqualiter particulas deceat incidere, an facere alias breuiores, alias longiores: idq́ quando, aut cur, quibusq́ partibus, pluribus'ne an singulis, imparibus an æqualibus: & quando aut istis, aut illis sit utendum: quæq́ inter se aptissimè collocentur, & quomodo, an omnino nulla sit in eo genere distinctio: quodq́ ad rem maximè pertinet, qua ratione numerosa fiat oratio.

Ambitus uerborum suas habet partes, quæ membra dicuntur & incisa: Cicero uocat hoc loco particulas. Quærit igitur, an in omnibus numeris deceat particulas æquales efficere? an melius sit, alias esse breuiores, alias longiores. & dicimus hæc esse uarianda, ut aliquando particulæ sint æquales. quoniam tunc ea concinnitas fit, quæ sua sponte numerosa est, cum paria paribus redduntur: hoc est, cum membra parem habent numerum syllabarum, uel interuallorũ, ut unum alio neq́ breuius neq́ longius sit. ut initio orationis pro A. Cecinna duo membra sunt prorsus paria, & syllabarum numero, & spacio temporũ: si quantũ in agro locisq́ desertis audacia potest, tantũ in foro atque in iudicijs impudẽtia ualeret. Illa uerò pro P. Sestio, parem habẽt numerũ syllabarum: Senatũ obsideret, bona diriperet, ædes incẽderet, tecta disturbaret. Sed nõ decet has particulas æqualiter semper incidere, uerùm interdũ breuiores, interdũ lõgiores faciẽdæ sunt. ut pro lege Man. Plura bella gessit, q̃ cæteri legerũt: plures prouincias cõfecit, q̃ alij concupiuerũt. Sed quæri potest, quando, aut cur ita faciendũ sit? & dicimus, quando res ipsa postulauerit, & ut orationis uarietate delectent̃ aures, neq́ tamẽ artificiũ agnoscant. Sed his partibus utemur'ne singulis separatim, an pluribus simul? Interdũ singulis separatim. ut, Siciliã adijt, Africam explorauit, inde Sardiniã cum classe uenit,

interdum pluribus simul. ut: Quis enim toto mari locus per hos annos, aut tam firmum habuit præsidiũ, ut tutus esset? aut tam fuit abditus, ut lateret? Oratoris uerò prudentia iudicabit, utrum imparibus, an æqualibus utatur, & quando aut istis aut illis sit utendum. nam in laudationibus licebit æqualibus ludere, atque omnem concinnitatẽ exquirere: atque etiam interdũ in sententia dicenda, in qua frequenter & laudes & uituperationes incurrunt. in iudicijs autem paulò tectiores esse decet, & minus exultare numeris, ne iudicibus suspecti fiamus. Debet orator uidere, quæ particulę inter se aptissimè collocentur, & quomodo: ne uel incitatiores sint breuium syllabarum numero, uel tardiores, ob longarum multitudinem. Deinde uidendum est, an aliqua distinctio sit in hoc genere, quoniam numeri omnino sunt dicendi generibus & causis accommodandi. In hac etiam parte quæritur, qua de causa numerosa fiat oratio, & ad quem finem? nam orationem numerosam ideo facit orator, ut res quas tractat, magis illustres & ornatas efficiat, ut postea dicetur.

Explicandum etiam est, unde orta sit forma uerborum: dicendumque, quantos circuitus facere deceat: deque eorum particulis, & tanquam incisionibus disserendum est: quærendumque utrum una species & longitudo sit earum, an'ne plures? & si plures, quo loco, aut quando, quoque genere uti oporteat.

Proponit etiam alias quæstiones, quas deinceps explicabit: ut unde forma uenustasque uerborum sit orta, quæ sanè ex collocatione nascitur: & quàm magnos ambitus facere oporteat, nempe quãtum commodè spiritus capere potest, ut ex duobus aut tribus, aut quatuor membris. nam maiores periodi rarò inueniuntur, ut postea docebimus. Vult etiam disputare de partibus periodorum, quæ sunt membra & incisa: utrum una sit earum longitudo, an plures. Nam interdum paria sunt, interdũ imparia. quo fit ut plures habeant longitudines. Videndum est igitur, cum plures sint, de loco, de tempore, et de genere earum, ut sciamus ubi, & quando, & quo modo sit eis utendum.

Postremò totius generis utilitas explicanda est, quæ quidẽ patet latius. nõ ad unam enim rem aliquam, sed ad plures accõmodatur.

Dicendũ est etiam, quæ sit utilitas oratorij numeri, quæ quidem ampla est, et latè patet: neque in una tantũ re, sed in pluribus perspicitur. Licet enim iucunditatem potissimũ numerus efficiat, tamen etiam grauitatẽ, & uim & probabilitatem, & amplitudinẽ adfert orationi. Hoc est quod ait Cicero, ad res plures numerum accommodari.

Ac licet non ad singulas res respodentem de uniuerso genere sic dicere, ut etiam singulis satis responsum esse uideatur.

Quamuis multę sint quæstiones de numero propositæ, tamẽ potest aliquis eas omnes soluere, etiam si nõ ad singulas respõdeat: modò de ipso genere numerorum uniuerso bene dicat. Nam quod in genere probatũ fuerit, id etiam in parte probatũ intelligit. ut si, exempli gratia, probatũ fuerit, uirtutẽ esse animi habitũ, rationi, modoque naturæ consentaneũ: id etiam de temperãtia probatum intelligeť, quoniã uirtutis pars est temperantia. Eodem modo, de prudentia, iustitia, fortitudine: atque item de earum partibus, ut de continentia, patientia, clementia, liberalitate, et cæteris. Eadem ratione si quis de numero generatim tractauerit, uidebitur etiam partibus satisfecisse, & propositis quæstionibus respondisse.

Remotis igitur reliquis generibus, unum selegimus, hoc quidem quod in causis foroque uersatur, de quo diceremus.

Quoniam multa ſunt ſcriptionum genera, ut orationum in Demonſtratiuo, Deliberatiuo, Iudiciali genere: ut hiſtoriarum, dialogorum, diſputationũ, & multa alia: ſeiunctione utitur hoc loco Cicero, ut oſtendat, quo de genere potiſsimum præcepta tradat. Prætermiſsis (inquit) alijs generibus omnibus, de illo tantum præcepta dare uolumus, quod ad cauſas forenſes attinet. Breuiter igitur alia quædam genera percurrit. deinde ad ſuas cauſas reuertitur.

Ergo in alijs, id eſt, in hiſtoria, & in eo quod appellamus ἐπιδεικτικὸν, placet omnia dici Iſocrateo, Theopõpeoq́ more, illa circum ſcriptione ambituq́, ut tãquam in orbe incluſa currat oratio, quoad inſiſtat in ſingulis perfectis, abſolutisq́ ſententijs.

Quid ergo? poſſet aliquis dicere. cum tu Cicero de forenſibus tantum cauſis agas, ſi mihi uel hiſtoriam uel encomium ſcribere contigerit, quid erit faciendum? Reſpondet Cicero, duos egregios eſſe magiſtros, quos ſequamur: Iſocratẽ in Encomijs & Panegyricis, Theopõpum autẽ Iſocratis diſcipulum in hiſtoria. nã hi duo periodos amplas & uenuſtas, quibus nihil ferè abſolutius fieri poteſt, ſecuti ſunt. Sed cur dicit Cicero, quod appellamus ἐπιδεικτικόν: cũ ſint Græci, qui ita appellẽt, nõ Latini? Ad artem ſuam reſpexit, hoc eſt ad Rhetoricã. nã Rhetores ita appellãt, in quorũ numero eſt Cicero. Sed quòd ait, Iſocratẽ ita circũſcriptione uti, ut tanquam in orbe incluſa currat oratio, quoad inſiſtat in perfectis ſententijs: ſciendũ eſt, ante Iſocratẽ ſolitos fuiſſe ſophiſtas cõcinnas quaſdã ſententias delectationis quidem gratia ſequi, ſed tamen breues & conciſas. Iſocratem uerò periodos ampliaſſe, ut maiorem habere dignitatem uiderentur: neq; tamen illã concinnitatem aut numerũ prætermiſiſſe, ſed utrunq; ſtudioſè ſecutum. Quod ut facilius intelligatur, duas tantum periodos ex Helenes encomio, ſeruatis ijſdem figuris & numeris, interpretabor: & ex eo loco potiſsimum, ubi Helenã cum Hercule comparat. ſic enim ait: Eò uſq; magis Helenam quàm Herculẽ honorauit, ut illi quidem fortitudinem impertiuerit, quæ reliquis omnibus dominari poteſt: huic autem pulchritudinem tradiderit, quæ naturam eã ſortita eſt, ut ipſam etiam fortitudinem exuperet. Hæc certè abſoluta periodus eſt, è quatuor membris. ſequitur eiuſdem ferè generis altera, de eiſdem Iouis filijs: Cum intelligeret Iupiter, ſplendorem & claritatem non ex quiete, ſed ex prœlijs & certaminibus enaſci ſolere, uelletq; non eorum tantum corpora in deorum cœtũ reducere, ſed etiam immortalem eis gloriam relinquere: illius quidem laborioſam & periculoſam uitam conſtituit, huius autem illuſtrem naturam & contentione dignam atq; admiratione progenuit. Hic eſt Iſocratis mos, ut ſemper aliqua concinnitate, uel numero, uel utroq; ſuas periodos exornet. quod etiã eius diſcipulus Theopõpus faciebat: cuius quia non extant opera, nobis unus erit Iſocrates imitandus, quoties aliquid in demonſtratiuo genere conſcribere uoluerimus.

Itaque poſteaquàm eſt nata hæc uel circumſcriptio, uel comprehenſio, uel continuatio, uel ambitus, ſi ita licet dicere: nemo qui aliquo eſſet in numero, ſcripſit orationem generis eius, quod eſſet ad delectationem comparatum, remotumq́ à iudicijs, forenſiq́ certamine, quin redigeret omnes ferè in quadrum numerumq́ue ſententias.

Ex quo cœpit Iſocrates (inquit) hac uti uerborum continuatione, nullus poſtea fuit orator, qui cum aliquam orationem delectationis gratia ſcribere uellet, non diligenter elaborarit, ut ſententias ferè omnes in quadrum & numerum redigeret. hoc autem fit in orationibus, quæ ſunt à iudicijs forenſiq; certamine remotæ, non autẽ in forenſibus: niſi aliquando, ut poſtea dicetur.

Sed quæstione dignum uidetur, quid sit, quod cum superius iam sæpius Cicero dixerit, sententias orbem suum conficere debere, ut tanquam in orbe inclusa currat oratio: nunc dicat, in quadrum numerumque sententias redigere? quasi sit idem, orbem conficere, & in quadrum redigere. Certè nemo est tam imperitus, quin intelligat, inter orbem & quadrum magnam esse differentiam. Sed hæc utraque per translationem dicta sunt, propterea quòd hæ duæ figuræ, hoc est, orbiculata, & quadrata, apud Geometras omnium præstantissimæ sunt. nam orbiculata figura (quemadmodum secundo de Natura deorũ apud Ciceronem Lucilius Balbus docet) omnes alias figuras complexa cõtinet, nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest: nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum: omnesque partes simillimæ omnium. quin huius figuræ omnis extremitas paribus à medio radijs attingitur. Vnde persuadent nobis philosophi, cœlum, stellas, elementa, mundum denique totum rotũda atque globosa esse figura formatum à Deo sempiternum: & animum nostrum orbem esse quendam Plato docuit, qui summo etiam Deo quandam huius figuræ imaginem assignat. Hinc igitur factũ est, ut cum aliquid egregium, & planè perfectum significare uolumus, illud rotundũ appellemus. ut Horatius in Arte poetica:

Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo

Musa loqui. — & Cicero in Bruto: Verborum apta & quasi rotunda constructio. & superius dixit: In Thucydide orbem orationis desidero. Quadrata uerò figura perfecta ideo putatur, quoniam ex nulla parte est neque breuior neque longior. Vnde etiam apud Latinos quadrare, idem est quòd conuenire. nam quadratum solidum in quamcunque partem cadat, semper sui simile est. Hinc quadratus homo dicitur sapiens & constans, ut Aristoteles Ethicorum primo docet: & in tertio Rhetoricorum inter Metaphoras ponit, cum quis ἀνὴρ τετράγωνος, hoc est, uir quadratus appellatur. Quadratum autem & in numero, & in figura, & in corpore dicitur. Numerus enim quilibet in seipsum multiplicatus, dicitur quadratus. Figura uerò quæ lineas quatuor æquales, & totidem angulos rectos continet, quadrata est: corpus denique solidum quadratũ, qui cubus etiã dicitur, duodecim habet lineas omnes æquales, octo rectos angulos, sex æquales extremitates: adeò formatum, ut in quamcunque partem ceciderit, semper rectum sit. Ex quo facilè potest intelligi, cur quadrũ pro re perfecta & absoluta ponatur. Huc accedit, quòd antiqui Mercurij statuas quadratas efficiebant, ut ostenderent, orationem constantẽ & stabilem, non autem fluxam & mutabilem esse oportere. Siquidem Mercurius eloquẽtiæ pater existimatur. Iam igitur declaratum est, cur oratio & rotunda & quadrata dicitur ea, quæ perfecta atque absoluta est.

Vide Cælium lib. 18, cap. 14.

Nam cum is est auditor, qui non uereatur ne compositæ orationis insidijs sua fides attentetur: gratiam quoque habet oratori, uoluptati aurium seruienti.

In Panegyricis, in laudationibus cuiusque generis, & in uituperationibus, omnem uerborum concinnitatem, & omnem oratorium numerum admittere sine ulla dubitatione possumus: propterea quòd auditor in orationibus eiusmodi nullas timet insidias, quia nullũ est futurũ iudiciũ. itaque tantum uoluptatẽ quærit, & magnã habet oratori gratiam, quòd orationem ita moduletur, ut magnam auribus oblectationem adferat. Vocat autem Cicero compositam orationem, eam in qua omnes ferè sententiæ in quadrum atque numerum redactæ fuerint, ut iam antea docuimus: quam iudices suspectam habere solent, ne fortassis ea deliniti, minus fideliter & iustè iudicent. Quo fit, ut ea iudicijs apta non sit.

Genus autem hoc orationis neque assumendum est ad causas

forenses,neque omnino repudiandũ. Si enim semper utare,cùm sati etatem adfert,tũ quale sit etiã ab imperitis agnoscitur. detrahit,prę terea actionis dolorem,aufert humanum sensum actoris,tollit fun ditus ueritatem & fidem.

Quæstio est, utrum oratio composita & numerosa conueniat forensibus causis,nec ne? Et respondet Cicero, non semper esse assumendam, neque tamen omnino repudiandam. Quòd non semper sit assumenda, probat quinque rationibus. Primò, quia si semper orator composite & concinne more sophistarum dicere uoluerit, iudicibus magnam satietatem adferet, qui rebus magis quàm uerbis animum solent aduertere. Deinde, quia facilè cognoscetur ars illa uel ab imperitis, qui cum iudicium expectent, non delectationem, aut offendentur, aut oratorem negligent. Tertiò, quia concinnitas & compositio dolorem actionis detrahit. Nihil enim tam contrarium est dolori, quàm uoluptas. Cum autem oratio composita & concinna uoluptatem adferat, ut dolorem detrahat necesse est. Vnde Persius salsè Pedium quendam irridet, qui cum furti esset accusatus, & pro se diceret, in eo laborabat, ut paria paribus, & contraria contrarijs referret: quæ res cùm maximè iucunda sit, tum à iudicijs maximè est aliena. Sic igitur Persius:

Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis: doctas posuisse figuras
Laudatur: bellum hoc.— Quartò, iudicijs non conuenit concinna oratio, quoniam actoris sensum humanum tollit: hoc est, non patitur ut orator indignetur, conqueratur, supplicet, doleat, illachrymet: quæ res ab humano sensu pro ueniunt. Dum enim in numeris & concinnitate occupatus est, affectus illi grauiores euanescũt: ita neque ipse actor mouetur, neque alios mouet. Oportet autem, ut ipse orator primò commoueatur, si alios commouere studet, ut M. Antonius secundo de Oratore testatur, & Horatius:

Si uis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi.— Postremò, quia ueritatē & fidē penitus tollit: quod omnium pessimum est. Cum enim iudex oratorem aduertit in oratione quasi ludentem compositione atque numeris, statim eum fingere & falsa dicere suspicatur: itaque nullã ei fidem habet. His de causis non est in iudicijs compositio semper adhibenda, neque in omni orationis parte seruanda. Quid ergo? remouetur'ne penitus à forensibus causis compositio? Minimè. nam multæ sunt partes in oratione iudiciali, quæ numerosè dici possunt, quas Cicero statim edocet.

Sed quoniam adhibenda nonnunquam est, primùm uidendum est, quo loco: deinde, quàm diu retinenda sit: tum, quot modis commutanda.

In omni scriptionis genere licet nobis oratione concinna atque numerosa semper uti, præterquam in iudicio, propter causas iam suprà commemoratas. Verùm aliquando etiam in iudicio licet hoc exornationis genus usurpare. Quapropter hoc loco Cicero diuisione tripartita se docere uelle ostendit, & quo loco, & quamdiu, & quot modis liceat in iudicijs hoc orationis genus admittere. Ac primò de loco uerba facit, deinde sigillatim de reliquis.

Adhibenda est igitur numerosa oratio, si aut laudandum est aliquid ornatius: ut nos in accusationis secundo, de Siciliæ laudibus diximus, aut in senatu de consulatu meo.

Locus est in forensibus causis orationi numerosæ, quoties aliquid ornatè laudandum est. tunc enim nulla est in ea suspicio, neque iudex quicquam id ad iudicium suum pertinere arbitratur: itaque facilè patitur oratorem concinnè

dicere, & quodammodo expaciari, quin ex ea re magnam uoluptatem capit. Huius autem rei exemplum est in accusationis secundo libro, inquit, ubi quęrendum est, quí nam sit ille secundus Accusationis liber quem hic citat. nam in secunda Actione contra Verrem, non est oratio ulla de laudibus Siciliæ. Et bene mihi Strebæus sentire uidetur, qui de quarta in Verrem actione interpretatur. quia prima uocatur Diuinatio, & nihil ad Verris causam pertinet, sed cum Cæcilio contendit, uter melior esset Verris accusator, ipse ne an Cæcilius. secunda præparatio quædam est ad iudicium, & testium interrogationem. in tertia demùm Verrem incipit accusare, qui primus accusationis liber est. in quarta Siciliam laudat, qui secundus est liber accusationis. Ait igitur, ibi se numerosam orationem adhibuisse: & uerè quidē. Nam pedes sunt amplissimi, sententiæ plenæ ac rotundæ, mira uerborum concinnitas. primū enim membrum pæone primo claudit: princeps Sicilia se ad amicitiā fidemq́ pop. Romani applicuit. Secundum, epitrito tertio: Prouincia est appellata. Tertium dichoreo: Quàm præclarum esset exteris gentibus imperare. Quartum, choriambo: Nunquam postea deficerent. Quintum, bacchio: In amicitia perpetuò manerent. atq; ita deinceps amplissimis semper numeris utitur. Neq; enim ita hunc locum accipere debemus, ut quidam ineptissimè interpretatur, qui putat numerosam ideo dici orationem illam, quòd in ea sint uersus iambici & Aristophanei: quo quid absurdius dici potest? Imò uerò numerosa est, cùm propter pedes seu numeros amplissimos, ut docui, tum propter concinnas sententias, in quibus & paria paribus respondent, & quæ casus habent in exitu similes. qualis est illa: Sed ita reliquit ornatā, ut esset idem monimentum uictoriæ, mansuetudinis, continentiæ: cum homines uiderent & quid expugnasset, & quibus pepercisset, & quæ reliquisset. Quinetiam contraria opponuntur, ut ibi: Nihil cæterorum simile Græcorum, nulla desidia, nulla luxuria: contrà summus labor in publicis priuatisq; rebus, summa parsimonia, summa diligentia. Hęc & eiusmodi multa quæ ibi sunt, numerosam efficiunt orationem, ut superius docuit Cicero: non autem iambici, aut Aristophanei uersus, ut inepti quidam existimant. Quod autem adiungit Cicero, se in senatu de consulatu suo numerosè dixisse: quamuis multis in locis de suo consulatu meminerit, tamen arbitror eum de loco illo sentire, qui est in oratione contra Pisonem, ubi consulatum suum magnopere commendat, & contrà Pisonis consulatum per contemptionem deprimit: qui locus est maximè numerosus & concinnus, ut facilè quiuis aduertere potest ex eo loco: Ego Calendis Ianuarij senatum & bonos omnes, & quæ sequuntur, usq; ad eum locum: Exposui breuiter consulatum meum.

Aut exponenda narratio, quæ plus dignitatis desiderat, quàm doloris: ut in quarto accusationis, de Ennensi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarum situ diximus.

Non tantum in laudationibus quæ in iudicio adhibentur, sed etiam in narrationibus quæ dignitatem desiderant, & dolorem non habent. Nam cum dolor est excitandus, concinnitas abesse debet. cum autem non dolor, sed dignitas in narratione quæritur, tunc numerus est adhibendus. Probat autem hoc Cicero tribus exemplis, ex quarto libro accusationis suæ sumptis, quam nos Actionem sextā in Verrem uocamus. Primum est exemplum de Ennēsi Cerere, cuius templum C. Verres expoliauerat. narrat autē Cicero, ubi templū illud positū sit, unde orta religio, quàm magnus fuerit ibi Cereris cultus: atq; hæc omnia summa cū dignitate, numeris amplissimis atq; mollissimis. sic enim incipit: Vetus est hæc opinio iudices, quæ constat ex antiquissimis Græcorum literis atq; monimentis, insulam Siciliam totam esse Cereri & Liberæ consecratam: & multa deinceps. Igitur primam periodum ab Anapesto incipit,

incipit, & dichorço terminat. Secundam incipit à spondæo, & pæone tertio claudit. sic enim ait: Hoc cùm cæteræ gentes sic arbitrantur, tum ipsis Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum atque innatum esse uideatur. sed, ut dixi, numeri omnes sunt amplissimi. Secundum exemplum est de Segestana Diana, cuius simulachrum Verres abstulerat, ubi sic incipit: Segesta est oppidum peruetus in Sicilia, Iudices, quod ab Aenea fugiente à Troia, atque in hæc loca ueniente, conditum esse demonstrant. In hac igitur narratione diligentissimè numeros obseruauit, quod illa descriptio declarat: Erat admodum amplum & excelsum signum cum stola: ueruntamen inerat in ea magnitudine ætas atque habitus uirginalis, sagittæ pendebant ab humero, sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem præferebat. Hic enim quinque membra sunt, quorum primum incipit ab anapæsto, & desinit in creticū: secundū ab ionico maiore incipit, & clauditur dichorço: tertiū à bachio nascitur, & in pæonē desinit: quartū incipit à bacchio, & in bacchiū finit: quintum à spondæo incipit, & desinit in dichoreum: qui numeri omnes maximè laudantur. Tertium exemplum est de Syracusarum situ. nam summa cum dignitate ciuitatem eam describit eo in loco: Vrbem Syracusas maximam esse Græcarum urbium, pulcherrimamque omnium, sæpe audistis: & reliqua.

Sæpe etiam in amplificanda re, concessu omnium funditur numerosè & uolubiliter oratio. id nos fortasse non perfecimus, conati quidem sæpissimè sumus: quòd plurimis locis perorationes nostrę uoluisse nos, atque animo contendisse declarant.

Quoties opus fuerit amplificatione, licebit etiam numerum adhibere. Próprius autem locus amplificationis est in peroratione: sed tamen nonnunquā etiam alibi solet adhiberi, ut post narrationem, aut post firmam argumentationem. Nonnunquam etiam in exordio, quando res est notissima: ut actiones in Catilinam omnes ab amplificatione incipiunt, & numerosissimè funduntur. Sed mirum non est, quoniam non illæ iudiciales sunt orationes, sed potius demonstratiuæ, quo in genere numeris exultare concessum est: usque eò, ut etiam in iudicijs, cum laudamus aut uituperamus, numeris uti liceat: maximè uerò, cum rem amplificare uolumus. quod se Cicero conatum fuisse tradit, ut ex eius perorationibus multis intelligi potest: sed ex ea præcipuè, quam habuit pro Milone, quæ tota maximè numerosa est, cum in ea sit compositio diligentissima, concinnitas mira, numerus amplus & sublimis. quod uel illæ tres periodi declarare facilè possunt: Quid me reducē esse uoluistis? an ut inspectante me, expellerentur ij per quos essem restitutus? Nolite (obsecro uos) pati, mihi acerbiorem reditum esse, quàm fuerit ille ipse discessus. Nam quî possum putare, me restitutum esse, si distrahor ab ijs per quos restitutus sum? Eodem modo pro Sestio, pro Flacco, pro Sylla concludit.

Id autem tum ualet, cum is qui audit, ab oratore iam obsessus est, ac tenetur: non enim id agit, ut insidietur & obseruet: sed iam fauet, processumque uult: dicendique uim admirans, non inquirit quod reprehendat.

Numerosa oratio tunc magnam uim habere solet, cum iam auditor ab oratore persuasus est, & iam quasi obsidione captus. quia tunc non amplius obseruat ea quæ dicit orator, ut illi insidietur: Sed fauere incipit, atque oratione delectatur: & admiratione quadam ductus, credit eis quæ dicuntur, nec reprehendere cogitat. Iam obsessus.) Metaphora est à re militari sumpta. Vnde

etiam expugnare dicimus, pro persuadere, & dicendo superare: ut expugnare mentem, expugnare sententiam. Sed obsessus hoc loco significat occupatũ, ut prima Philippica: Dictatura, quæ iã uim regiæ potestatis obsederat. Nam antequam mẽs auditoris occupetur, oratori solet insidiari, atq; aliquid quod reprehendat, inquirere: cum uerò fuerit obsessa, statim fauere incipit.

Hæc autem forma retinenda non diu est: nec dico in peroratione, quam ipse includit, sed in orationis reliquis partibus.

Nunquam perpetuo tenore debet oratio diu fluere, sed persępe uarianda. Vetustissima est illa periodi forma, quæ suum orbem plene conficit: sed non tamen diu retinenda est. Quod præceptum ad perorationem non pertinet, quoniam orator eam arbitrio suo claudit, & terminat, ut longior esse non debeat: uerùm ad reliquas orationis partes, quæ magnã exposcunt uarietatẽ. Itaq; non periodo semper, sed membris & incisis etiã sæpius utendum.

Nam cum sis ijs locis usus, quibus ostendi licere, transferenda tota dictio est ad illa, quæ nescio cur, cum Græci κόμματα & κῶλα nominent, nos non rectè incisa & membra dicamus.

Omnis oratio diuiditur à Græcis in periodos, cola, & commata. Periodus est absoluta & perfecta in oratione sententia, de qua iam diximus. Colon, ut inquit Aristoteles, periodi pars est, latinè putat Cicero bene membrum dici posse. Comma deniq; membri pars est, & sectio quædam: quod incisum Cicero nominat. Ergo si Latinis uerbis uti uoluerimus, dicemus, Omnem orationem ex comprehensionibus, membris, & incisis constare. Comprehensio est continuatio uerborum, donec sententia perficiatur: ut, Etsi uereor Iudices, ne turpe sit, pro fortissimo uiro dicere incipientem timere: minimeq; deceat, cum T. Annius Milo ipse magis de Reip. salute, quàm de sua perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse: tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos, qui quocunq; inciderint, ueterem consuetudinem fori & pristinum morem iudiciorum minimè uident. Mẽbrum est pars comprehensionis: ut, Etsi uereor Iudices, ne turpe sit, pro fortissimo uiro dicere incipientem timere. Incisum est pars membri: ut, Etsi uereor Iudices, ne turpe sit. Quemadmodum autem in tres has partes omnis oratio diuiditur, ita tria sunt etiam signa, quibus distinguantur. Nam comprehensio uno tantum puncto signatur, hoc modo. membrum uerò in ipsa comprehensione duobus signatur punctis, hoc modo: sed extra comprehensionem uno tãtum notatur. Incisum semicirculo in sinistram partem uergente signatur, hac ratione, . Præceptum est igitur Ciceronis hoc loco, ut ne semper utamur comprehensione, sed sæpe totam orationem ad membra & incisa transferamus. nam hæc maiorem quandam uim habere uidentur. Et sicuti comprehensio ad delectationem & uoluptatem adhibetur, ita membra & incisa ad commouendum & flectendum. ut pro Milone membratim dicit ibi: Quid iam restat? quid habeo? quid dicam? quid faciam pro tuis in me meritis? & paulo pòst utitur incisis, cum ait: Hæc tanta uirtus ex hac urbe expelletur, exterminabitur, eijcietur? interdum maximam uim habent, & grauitatem, incisa frequentata & conglobata. ut pro P. Sestio: Euersa domus est, fortunæ uexatæ, dissipati liberi, raptata coniunx, frater optimus incredibili pietate, amore inaudito, maximo in squalore uolutatus est ad pedes inimicissimorum. Valent autem incisa plurimum ad amplificationem eam quę per congeriem fit. ut: Abijt, excessit, euasit, erupit.. & in Pisonem: Seipsum,

fasces suos, exercitum populi Romani, numen interdictumq; deorũ immortalium, responsa sacerdotum, auctoritatem senatus, iussa populi, nomen ac dignitatem imperij, regi Aegyptio uendidit.

Neque enim esse possunt rebus ignotis nota nomina. sed cum uerba aut suauitatis, aut inopiæ causa transferre soleamus, in omnibus hoc fit artibus, ut cum id appellandum sit, quod propter rerum ignorationem ipsarum nullum habuerit antè nomen, necessitas cogat aut nouum facere uerbum, aut à simili mutuari.

Vtitur excusatione, quare non uocabulis notis apud latinos exprimat ea quæ Græci κῶλα & κόμματα dixere: quoniam uerba reperta sunt, ut per ea res exprimamus. quòd si res penitus ignotæ fuerint, necesse est ut etiam earum nomina sint ignota. Quare uel translatione uel nominatione utendum est. Fit enim translatio uel suauitatis, uel inopiæ causa. Suauitatis, ut cum florem ætatis dicimus, & laborum fructum: inopiæ, ut cum agros sitire dicimus, & segetes luxuriare. Nominatio uerò dicitur, cum nouum nomen, & antea inusitatum proferimus. ut obsequium primus dixit Terentius, Messala reatũ. Cum igitur aliquid tractandum est, quod antea nullum nomen habuerit, propter ignorationem rerum, oportet aut nouum fingere nomen, aut à simili transferre: quod in omnibus artibus fit. Vt Grammatici penè infinita uocabula, quæ antiquis erant inaudita, qualia sunt, adiectiuum, substãtiuum, actiuum, passiuum, & innumerabilia cætera finxerunt. Sic Rhetores habent artis suæ uocabula, quibus cæteri artifices non utuntur: ut demonstratiuum genus, deliberatiuum, iudiciale: status inficialis, definitiuus, iuridicialis. Iam uerò dialecticorum uerba nulla sunt communia, suis utuntur. hoc idem fit apud Mathematicos, Philosophos, Medicos, Iuriscõsultos, & omnes deniq; artifices, ut propria atq; sua uocabula singuli habeant: in quibus plurima etiam translata sunt, ut locus pro argumentorum sede, procemium pro orationis initio, atq; hoc loco membrum pro parte periodi, & incisum pro membri parte, quæ sunt à simili mutuata.

Quo autem pacto deceat incisè membratim'ue dici, iam uidebimus. Nunc quot modis mutentur comprehensiones, conclusionesq;, dicendum est. Fluit omnino numerus à primo tum incitatius breuitate pedum, tum proceritate tardius. Cursum contentiones magis requirunt, expositiones rerum tarditatem.

De incisis & membris se postea dicturũ pollicetur, cum explicuerit quot modis comprehensiones & conclusiones uerborum mutentur atq; uarietur. neq; enim eodẽ modo semper fluere debet oratio, sed modò incitatius, quod pedum breuitate contingit: modò tardius, quod à proceritate pedum fit. Quoties igitur contendimus, ut in confirmationibus & reprehensionibus, tunc orationis cursus & celeritas conuenit: quoties autem narramus, & rem exponimus, tunc stabilitas & tarditas est utilis. Quintilianus ita ait: Narratio ferè tardiores atque (ut sic dixerim) modestiores desiderat pedes, & nominibus maximè mixtos. Celeritas autem non tantum in pedum breuitate, sed etiam periodorum spectatur. Vt pro Milone, nihil illa contentione celerius uidetur: Video adhuc constare omnia, Iudices, Miloni etiam utile fuisse Clodium uiuere, illi ad ea quæ concupierat, optatissimum interitum Milonis fuisse: odium illius in hunc acerbissimum, in illum huius nullum: & cętera. contrà uerò, quid illa expositione sedatius, in qua de industria periodi in longum protrahuntur: P. Clodius cum statuisset omni scelere in

Prætura uexare Remp. uideretéq; ita tracta esse comitia. & quæ sequuntur.

Insistit autem ambitus modis pluribus: e quibus unum secuta est Asia maximè, qui dichoreus uocatur, cum duo extremi chorei sunt: id est, e singulis longis & breuibus. Explicandnm est enim, quod ab alijs ijdem pedes alijs nominantur uocabulis.

Clausula, siue conclusio comprehensionis multis modis fit, quemadmodũ suprà docuimus. omnes enim ferè pedes comprehensionẽ claudũt, quãuis alij sint alijs aptiores. Oratores Asiani dichoreum maximè sequebantur, cum duo extremi pedes chorei sunt, siue sit una dictio, siue duæ: quem numerum iam superius Ciceroni maximè familiarem esse docuimus. Nam Cicero totam Asiam peragrauit, ut cum Asianis oratoribus in dicendo se exerceret: quod in Bruto de se ipse confitetur. Vnde quidam eum reprehendebant, tanquam Asianum, & tumidum, & redundantem.

Dichoreus non est ille quidem sua sponte uitiosus in clausulis: sed in orationis numero nihil est tam uitiosum, quàm si semper sit idem.

In clausula dichoreus minimè uituperandus est, nisi fortè nimis frequens fuerit: tunc enim omnino uitiosus fiet. Quoniam illud maximum est in oratorio numero uitium, si semper idem fuerit, ac nõ frequentissimè uarietur. Duo tamen aut tres in clausulis continuati dichorei laudantur: quod exemplo Carbonis ipse Cicero declarat.

Cadit autem per se ille ipse præclarè, quo etiam satietas formidanda est magis. Me stante C. Carbo C. F. Trib. pl. in concione dixit his uerbis: O M. Druse, patrem appello. Hæc quidem duo binis pedibus incisim: dein membratim, Tu dicere solebas sacram esse rempublicam. Hæc item membra ternis. pòst ambitus: Quicunque eam uiolauissent, ab omnibus esse ei pœnas persolutas. dichoreus: nihil enim ad rem, extrema illa longa sit, an breuis. deinde: Patris dictum sapiens temeritas filij comprobauit. Hoc dichoreo tantus clamor concionis excitatus est, ut admirabile esset.

Dichoreus præclarum in clausulis numerum efficit. ideo uidendum est, ne nimis frequenter usurpetur, cùm ut uitetur satietas, tum etiam ne artificium deprehendatur. Verba uerò citat hoc loco Cicero ex oratione quadam, quam C. Carbo C. filius habuit in concione, quo tempore Tribunus plebis erat. fuit enim (ut in Bruto legimus) C. Carbo pater eloquentissimus orator: cuius filius, de quo hic loquit, nõ satis acutus orator, sed tamen orator numeratus est. Eodem modo duo M. Drusi fuerunt, pater & filius. pater dicebat, Rempub. esse sacram. ideo quicunq; eã uiolassent, dignas scelere suo pœnas pependisse. filius eloquentia quidem clarus, sed superbus, cum esset Tribunus plebis, Latinis ciuitatẽ, plebi agros, equitibus curiam, senatui iudicia permisit. deinde cum ob nouas leges & senatui & equestri ordini factus inuisus fuisset, repentè sutorio gladio fuit interfectus in turba, sed auctor cædis nunquam inuentus fuit. Hoc est igitur quod in concione Carbo dixit, audiente Cicerone: ô Marce Druse, patrem appello. Hæc duo sunt incisa, quæ singula duos habẽt pedes. & hoc est quod ait Cicero: Binis pedibus incisim. Primum incisum fit ex palimbachio & choreo, alterum autem ex anapæsto & spondæo,

ſpondæo,ſi nulla fiat in ſecunda ſyllaba colliſio:alioqui iambus erit, & ſpondæus. Sequuntur duo membra: Tu dicere ſolebas, ſacram eſſe rempublicam. quæ ſingula tres habent pedes. primùm ex ſpondæo, trochęo & ſpondęo fit: alterum ex anapæſto, iambo, & dactylo. Poſtea ſequitur ambitus uerborum: Quicunque eam uiolauiſſent, ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas. ubi pedes non numerantur ſicut in membris & inciſis, ſed extremi tantum aduertũtur. eſt igitur in fine dichoreus. Nihil enim refert, utrum extrema longa ſit, an breuis: quia pro cõmuni ſemper accipitur. Adiungitur alter ambitus ſententio ſus: Patris dictum ſapiens, temeritas filij comprobauit. qui dichoreo clauditur: quem cum aſtantes audiſſent, tantus clamor & plauſus concionis excitatus eſt, ut mirũ eſſe uideretur. qui plauſus non tam ſententiæ, quàm numero eſt attribuendus, quod Cicero probat.

Quæro, non'ne id numerus effecerit? uerborum ordinem immuta, fac ſic: Comprobauit filij temeritas. iam nihil erit: etſi temeritas ex tribus breuibus & longa eſt, quem Ariſtoteles ut optimum probat, à quo diſſentio. at eadem uerba, eadem ſententia: animo iſtuc ſatis eſt, auribus non ſatis. ſed id crebrius fieri non oportet. Primùm enim numerus agnoſcitur, deinde ſatiat, poſtea cognita facilitate contemnitur.

Quòd numerus ille potiſsimum ſit, qui uoluptatem auribus afferat, facilè probari poteſt. Nam ſi quis in ea ſententia uerborum ordinem immutet, hoc modo, cõprobauit filij temeritas: ſtatim perit omnis ea ſuauitas numeri, quæ prius audiebatur. quamuis temeritas ex tribus breuibus & longa pæonem quartum efficiat, quem cæteris omnibus numeris Ariſtoteles anteponit. Sed ab Ariſtotele Cicero diſſentit. Cum igitur eadem uerba atque eadem ſententia remaneat, mutato numero, ſuauitas autem omnis pereat, nemini dubium eſſe poteſt, quin aurium illa uoluptas in numero ſit. nam animo uerba & ſententiæ ſatisfaciunt: aures autem non eis contentæ, numerum etiam requirunt. Videndum eſt tamen, ne crebrius eundem numerum admittamus: alioqui tria ſequentur incommoda. primùm, ut ignoſcatur etiam ab imperitis: deinde, ut ſatietatem adferat: poſtremò, ut contemnatur, quia difficultatem non habere uideatur.

Sed ſunt clauſulæ plures, quæ numeroſè & iucũdè cadant. nam & creticus, qui eſt è longa & breui & longa: & eius æqualis pæon, qui ſpacio par eſt, ſyllaba longior, quàm commodiſsimè putatur in ſolutam orationem illigari, cum ſit duplex: nam aut è longa & tribus breuibus, qui numerus in primo uiget, iacet in extremo: aut totidem breuibus & longa, in quem optimè cadere cenſent ueteres. ego non planè reijcio, ſed alios antepono.

Iam ſuperius oſtendit, dichoreum iucundam efficere clauſulam. Nunc adiungit, etiam alias eſſe complures clauſulas, quæ numeroſè & iucundè claudantur: quales ſunt illæ quæ creticum habent in fine. Declarat autem, qui'nam pes creticus dicatur, nempe is qui è longa, breui, & longa fiat. Vt prima in Catilinam: Teneri coniurationem tuam non uides? paulo pòſt: Fit publici conſilij particeps. Item poſtea bis continenter cretico claudit: Non deeſt Reip. cõſilium, neque auctoritas huius ordinis. Nos nos, dico aperté, conſules deſumus. Pæon autem æqualis eſt cretico, non quidẽ numero ſyllabarum,

syllabarum, sed spacio. totidem enim habent interualla, nempe quinque: licet creticus tres tantum syllabas, pæon uerò quatuor habeat. Ait autem, duplicē pæonem fuisse obseruatum: primum, qui longam primam habeat, & tres breues, ut perficere: alterum, huic oppositum, qui primò tres breues, deinde unā longam comprehendat. Volunt autem illum primum, initio periodi uigere & aptum esse: in extrema uerò parte iacere, neque probari. Secundum autem contrà, fini aptiorem esse, quàm initio: quæ fuit Aristotelis sententia. Cicero numerum hunc non damnat, quin eo frequenter utitur: uerùm alios nonnullos suauiores, & commodiores esse censet.

Ne spondæus quidem funditus est repudiandus: etsi, quòd est è longis duabus, hebetior uidetur, & tardior, habet tamen stabilem quendam, & non expertem dignitatis gradum.

Spondæus in fine laudatur, iambo uel choręo præcedente: quod superius ostendimus. ut, Animaduerti iudices omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes. Quamuis propter syllabarum longitudinem, non ita promptus esse uideatur, sed potius hebes atque tardus: tamen propter stabilitatem interdum plenus est dignitatis, & maximè commendatur. quare non est omnino repudiandus, nisi fortè duplicetur. tunc enim nimium tardus est, præsertim si duæ dictiones fuerint. ut si quis ita claudat: Hoc approbant oēs docti. Nam si sit unica dictio, duobus è spondæis conflata, interdū bene claudit. ut pro C. Rabirio: Retinetur aliquod uestigium libertatis. & postea: Auspiciorum publica iura neglexisti. item: At quorum equitum Romanorum, dij immortales?

In incisionibus uerò multo magis, & in membris. paucitatem enim pedum grauitatis suæ tarditate compensat.

Spondæus aliquando quidem periodum claudit, ut diximus: sed longè frequentius in membris & incisionibus ponitur. Cuius rei ratio est, quia in incisionibus & in membris pauci pedes esse solent, atque ideo si breues etiam in eis essent syllabæ, nimis celeriter flueret oratio. Sed spondæus huic rei remedio est, et tarditate grauitatis suę pedū paucitatē cōpensat. ut pro Ligario: Quid cupiebas? quid optabas? & inferius paulò: C. Cæsar caue credas, caue ignoscas. item rursus: Tulit arma contra te, nunc quid dicis? caue ignoscas. hæc nec hominis, nec ad hominem uox est. item: Sed non loquor de nobis, de illis loquor qui occiderunt. Hæc omnia incisa & membra spondæo clauduntur. quod frequentissimè Cicero facit: ut non tantum præcepta tradat, sed id etiam ipse obseruet, quod alijs præcipit.

Sed hos cum in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo: adiungo quod minimum sit, proximum superiorem, sæpe etiam tertium.

Præceptum hoc ad pedes tantum simplices pertinet, ut in clausulis non extremum tantum, sed etiam proximum superiorem, & aliquando tertium obseruemus. Nam pedes qui compositi uocantur, ut pæones, epitriti, ionici, dichorei, choriambi, antispasti, sæpe soli considerantur, eo quòd singuli duos simplices complectuntur. Hoc autem exemplo licet ostendere. capiatur exordium primæ actionis in Catilinam: Quousque tandem abutère Catilina patientia nostra? Hic tres obseruantur pedes. nam extremus est spondæus, proximus superior iambus, tertius anapæstus. sequitur: Quamdiu nos etiam iste furor tuus eludet? Hic satis est duos aduertere: nam extremus est spondęus, proximus superior anapęstus, qui ambo sunt heroi numeri, atque coniuncti optimè claudunt. Sequitur: Quē ad finem sese effrenata iactabit audacia?

audacia? Hic satis est extremum obseruare, qui ionicus est à maiore, qui numerus plenus est, & compositus.

Ne iambus quidem, qui est è breui & longa: aut par choreo trocheus, qui habet tres breues: sed spacio par, non syllabis. aut etiam dactylus, qui est è longa & duabus breuibus, si est proximus à postremo, parum uolubiliter peruenit ad extremum, si est extremus, choreus aut spondæus. nunquam enim interest, uter sit eorum in pede extremo.

Tres pedes hoc loco laudat, quoties extremo proximi sunt, iambum, trochæum, dactylum: qui tamen ijdem in fine non probantur. Iambus (inquit) qui è breui & longa fit, & trochæus, qui est par choreo, & tres breues habet: unde spacio, non syllabis choreo par est: & etiam dactylus, qui è lõga & duabus breuibus constat: quoties proximi sunt à postremo, bene fluunt, & uolubiliter ad extremũ perueniunt. Hic est sensus huius loci: nam in plerisq; impressis codicibus deest illa dictio, trochæus. nam ita legũt: Ne iambus quidem qui est è breui & longa, aut par choreo, & cætera. quę res magnas tenebras offundebat. Nos aũt illam dictionem adiũximus, quam in aliquibus, & manu scriptis & impressis legimus: quæ omnino deerat, & necessaria est, si quis diligenter aduertat. Nam Cicero choreũ è longa & breui constituit. unde ait, nihil interesse utrũ spondæus an choreus extremus sit: quoniã ultima syllaba communis est. quoties igitur aut iambus, aut trocheus, aut dactylus spondęum in fine præcedunt, bene clauditur. Iambus: ut, Dicẽdum est enim de Cn. Pompeij singulari eximiaq; uirtute. &, Vicos exustos esse complures. &, Nõ uictoriam reportarent. Trochæus: ut, Neq; immatura cõsulari, nec misera sapienti. Dactylus: ut, Quid hoc tempore Quintio statuendũ est. Sed uidendũ est, ne finis heroici fiat, quod non probatur. ut, Redundant ex illo fonte dolores. Quin etiam iambi duo bene claudunt, & aliquando tres, ut suprà diximus, atq; in humili præcipuè genere. nam in alijs generibus ideo iãbus damnatur, quòd nimis è uulgari sermone esse uideatur.

Sed ijdem hi tres pedes malè concludunt, si quis eorum in extremo locatus est: nisi cum pro cretico postremus est dactylus. nihil enim interest, dactylus sit extremus, an creticus: quia postrema syllaba breuis an longa sit, ne in uersu quidem refert.

Tres sunt pedes, qui malè periodum claudant in oratione ea quæ debet esse numerosa: iambus, trochæus, dactylus. Iambus, propter humilitatem & ignobilitatem: trochæus, propter leuitatem & celeritatem: dactylus, quia desinit in duas breues, quæ in fine dignitatem non habent. Frequenter tamen dactylus etiam in fine ponitur. Sed tunc pro cretico accipitur, præsertim si in consonantem desinat: quoniam nec in soluta oratione, nec in uersu quicquam refert, postrema syllaba breuis'ne an longa sit. Cicero tamen aliquando trochæum in fine ponit, præsertim in priuatis causis. ut pro P. Quintio: Quarum alteram C. Aquili uereor, alteram metuo. & alibi: Sępius illud cogitant, quid possit is cuius in ditione ac potestate sunt, quàm quid debeat facere. Iambum etiam & dactylum in eiusmodi causis frequenter admittit. Sed hoc loco de laudationibus & uituperationibus, & amplificationibus loquitur, quæ numerosè semper debent, apteq; cadere.

Quare etiã pæona qui dixit aptiorẽ, in quo esset longa postrema,

ma, uidit parum: quoniam nihil ad rem est, postrema quàm longa sit.

Aristotelem taxat hoc loco, qui pæonem illum maximè probabat, qui postremam longam haberet. in hoc parum uidisse iudicãdus est, qui non aduerterit nihil interesse, nihil que ad rem facere, quàm longa aut quàm breuis postrema sit, quæ semper habetur pro communi. Qua in re Quintilianus à Cicerone dissentit. sic enim ait: Neque enim ego ignoro, in fine pro longa accipi breuem: quod uidetur aliquid uacantis temporis, ex eo quòd insequitur accedere. aures tamen consulens meas, intelligo multum referre, utrum'ne longa sit quæ cludit, an pro longa. neque enim tam plenum est, Dicere incipientem timere: quàm illud, Ausus est confiteri. Verùm non hac de causa tantum ab Aristotele Cicero dissentit, sed quia sunt alij lõgè meliores & aptiores in clausula pedes, quàm ille pæon, quem omnium maximè probat Aristoteles: ut supra docuimus.

Iam pæon quòd plures habeat syllabas quàm tres, numerus à quibusdam, non pes habetur.

Sunt qui pedes duarum tantum atque trium syllabarum esse uelint, ut simul omnes duodecim sint: quatuor duarum syllabarum, octo trium. reliquos autem non pedes, sed numeros uocent: qua sanè ratione pæon non pes esset, sed numerus. Et certè pedes oẽs simplices intra syllabas tres cõsistunt. quicũque uerò plures syllabas quàm tres continent, iam non simplices, sed compositi pedes, uel numeri uocantur.

Est quidẽ, ut inter omnes constat antiquos, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem, Ephorum, unus aptissimus orationi uel orienti, uel mediæ: putant illi etiam cadenti, quo loco mihi uidetur aptior creticus.

Antiqui Rhetores omnes pæonem in oratione maximè commendarunt, adeò ut Aristoteles, Theophrastus, Theodectes & Ephorus, aptissimũ eum pedem in omni orationis parte censuerint: hoc est, & initio, & medio, & fini. quorum sententiam etiam ipse Cicero sequitur, qui pæonem magnopere laudat, & orienti atque mediæ orationi putat eum maximè conuenire: sed in clausulis longè illi creticum anteponit, quod etiam in orationibus suis diligenter obseruauit. nam longè frequentius cretico, quàm pæone claudit.

Dochimus autem è quinque syllabis, breui, duabus longis, breui longa (ut est hoc) amicos tenes, quouis loco aptus est, dum semel ponatur: iteratus, aut continuatus, numerum apertum, et nimis insignem facit.

Dochimus pes est compositus è iambo & cretico: ut, Recordamini Reipublicæ uiri strenui. quem aptum esse quouis loco uult Cicero, modò non iteretur aut continuetur: quia tunc nimis apertum, & nimis insignem numerũ efficeret. quod de iudicijs accipere debemus. alioquin in deliberationibus, & adhortationibus, & demonstrationibus, iteratus & continuatus gratiam & uenustatem habet. ut in exemplo quod ego modò posui, Recordamini reipublicæ uiri strenui, tres dochimi continuati sunt. Frequenter autem Cicero dochimo claudit. ut pro lege Manilia: Vident eorum calamitates, querimonias audiunt. Item: Summo ingenio & prudentia præditus. Item: Tibi & po

pulo

pulo Romano polliceor & defero. Item: Neque quo Cn. Pompeij gratiam mihi per hanc causam conciliari putem.

His igitur tot commutationibus, tamque uarijs si utemur, nec deprehendetur manifestò quid à nobis de industria fiat, & occurretur satietati.

Si clausulas periodorum sæpe & uariè commutauerimus, duplicem ex ea re fructum percipiemus. primò, quia nemo nostrûm artificium intelliget, quamuis magnam in numeris industriam adhibeamus: sic fiet, ut ars lateat, iucunditas uerò sentiatur. deinde, quia uarietas illa tollet omnem satietatem, & audiendi auidiores efficiet.

Et quia non numero solum numerosa oratio, sed & compositione fit, & genere, quod antè dictum est, concinnitatis, compositione potest intelligi, cum ita structa uerba sunt, ut numerus non quæsitus, sed ipse secutus esse uideatur. ut apud Crassum: Nam ubi libido dominatur, innocentiæ leue præsidium est. ordo enim uerborũ efficit numerum, sine ulla aperta oratoris industria.

Tribus modis (ut sæpe iam diximus) numerosa fit oratio: numero, compositione, concinnitate. De numero periodi satis iam dictum est. Compositio uerò nihil aliud est, quàm uerborum quædam structura, cum ita uerba collocantur, ut aptè beneque fluant, neque concursu uocalium insistant, neque consonantium asperitate quasi confligant, sed tota iunctura lenis et polita sit, & quasi ad unguem facta. ut pro Marcello: Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. Cicero à L. Crasso, quem uehementer admirabatur, exemplum illud sumit. Nam ubi libido dominatur, innocentię leue præsidium est. in quo sanè tam rectè structa sunt uerba, ut quamuis Crassus oratorij numeri esset ignarus, tamen aptè numerosèque concluserit. cum enim duo sint in ea periodo membra, primum pæone tertiò, alterum choriambo terminatur. itaque sæpe uerborum ordo, sine oratoris industria, numerum efficit.

Itaque si quæ ueteres illi (Herodotum dico, & Thucydidem, totamque eam ætatem) aptè numerosèque dixerũt, ea nõ numero quæsito, sed uerborum collocatione ceciderunt.

Herodoti & Thucydidis tempore nondum orationis numerus repertus erat, et tamen apud ipsos auctores multa numerosè dicta reperiuntur. hoc autem accidit, inquit Cicero, non quòd illi numerum quæsierint, quem penitus ignorabant: sed quia benè & aptè uerba collocabant. Ex quo fit, ut compositio diligens numerosam efficiat orationem.

Formæ uerò quædam sunt orationis, in quibus ea concinnitas inest, ut sequatur numerus necessariò. nam cum aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut quæ similiter cadunt uerba uerbis comparantur: quicquid ita concluditur, plerunque fit ut numerosè cadat. Quo de genere cum exemplis suprà diximus, ut hæc quoque copia facultatem afferat, non semper eodem modo desinendi: nec tamen hæc ita sunt arcta & astricta, ut ea cum uelimus, laxare nequeamus.

Tertius modus, quo fit oratio numerosa, in quadam uerborum concinnitate consistit: quæ eiusmodi est, ut secum numerũ necessariò trahat. Ea tribus modis fieri solet. Primo, cum par pari refertur. Secundo, cum cõtrarium contrario opponitur. Tertio, cum quæ similiter cadunt uerba uerbis comparant. Sed de his iam suprà dictum est, & exempla demonstrata. hæc autem concinnitas præstat eam facultatẽ, ut non semper eodem modo finiamus. omnis igitur numerosa oratio fit numero, cõpositione, concinnitate. Sed tamen his rebus nõ ita nos alligare debemus, ut cũ uelimus ab eis discedere nequeamus. licet enim interdũ hæc quasi negligere, & quodãmodo liberè spaciari: deinde paulo pòst ad numerum redire, ut hæc uarietas omnem satietatem tollat.

Multum interest utrũ numerosa sit, id est similis numerorũ, an planè è numeris cõstet oratio. alterum si fit, intolerabile uitiũ est: alterum nisi fit, dissipata & inculta, & diffluens est oratio.

Non debet oratio ita esse arcta & astricta, ut se, cum uelit, laxare nequeat. Plurimum enim interest, utrum similitudinem quandam numerorũ habeat, an tota constet è numeris. hoc enim magnum est uitium, cum è numeris tota constituitur, neq; ullo modo tolerari potest. At uerò, nisi numerorũ similis fuerit, non poterit ullam habere suauitatem: & dissoluta, nulloq; ornamento culta, sed quasi malè præcincta mulier, diffluere uidebitur.

Sed quoniam non modò non frequenter, uerùm etiam raro in ueris causis, aut forensibus, circunscriptè numerosèq; dicendum est: sequi uidetur, ut uideamus quæ sint illa quæ suprà dixi incisa, quæ membra. hæc enim in ueris causis maximam partem orationis obtinent.

Docuit hactenus, quando liceat in iudicijs uti numerosa comprehensione: nempe, cum aut laudandum est aliquid ornatius, aut exponenda narratio quæ plus dignitatis desideret quàm doloris. aut in amplificanda re, cum iam obsessus est auditor. Atq; hæc quot modis uarianda sint, ostendit. Nunc iam ad periodi partes, quæ membra dicuntur, & incisa, transit. nam in ueris causis, aut forensibus, raro numerose circunscriptèq; debent oratores dicere: nisi cum aliquid incidit eiusmodi, quod numerum desiderare uideatur. At uerò membra & incisa magnam partem iudicialium controuersiarum obtinent. quare de illis est accuratè tractandum. Ac primò quot ex partibus, siue membris absoluta comprehensio fiat: deinde separatim etiam, quomodo membra & incisa consideranda sint.

Constat enim ille ambitus & plena comprehensio è quatuor ferè partibus, quæ membra dicimus: ut & aures impleat, & ne breuior sit quàm satis sit, neque longior. quanquam utrunq; nonnunquam, uel potius sæpe accidit, ut aut citius insistendum sit, aut longius procedendum, ne breuitas defraudasse aures uideatur, ne'ue longitudo obtudisse.

Plena periodus è quatuor membris constat. talis enim aures implet, neq; breuior, neq; longior est quàm satis sit. ut in exordio de lege agraria Cicero: Est hoc in more positum Quirites, institutoq; maiorum, ut ij qui beneficio uestro imagines familiæ suæ consecuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficij uestri cum suorum laude coniungant. Sed tamen hæc regula non potest esse perpetua, quoniam frequenter accidit ut aut citius insistendum sit, & tantum duo aut tria membra ponẽda sint, aut longius procedendum:

dendum: ut non tantũ quatuor, sed etiam quinq; aut sex in uno ambitu membra ponantur. Hoc autem fit, ne si breuis periodus fuerit, aures non impleantur: aut si nimis longa, obtundantur. Ergo periodus aut uno membro clauditur, ut quidam uolunt: licet inferius Cicero dicat, comprehensionem duobus membris non esse breuiorem: sed nunc ponamus etiam unius esse, ut pro A. Cluentio: Animaduerti Iudices omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes. aut duobus contenta est. ut: Quæ res in ciuitate duæ plurimum possunt, hæ cõtra nos ambæ faciunt in hoc tempore. aut tribus terminatur. ut: Antequam de Repub. Patres Con. dicam, ea quæ dicenda hoc tempore arbitror, exponam uobis breuiter cõsilium & profectionis & reuersionis meæ. aut quatuor, quæ maximè commendatur. ut: Credo ego uos Iudices mirari, quid sit, quòd cum tot summi oratores, hominesq; nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim, qui neq; ætate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum ijs qui sedeant comparandus. Fiunt etiam ex quinq; membris periodi, ut initio pro lege Man. et pro Cor. Balbo. Atque è sex, ut pro P. Sestio. & denique è septem, ut pro Archia poeta, & pro Milone. Quare hoc, sicut alia pleraque, in oratoris prudentia situm est, ut uideat quot è membris plena comprehensio sit. Illud magnopere cauendum est, ne tam longa sit, ut non commodè animo atque intelligentia comprehendi posfit: quòd uehementer uitiosum est. Hoc tamen non accidet, quamuis longa periodus fuerit, si membra ipsa bene distincta fuerint, ut singula penè sensum suũ habeant ac absoluant.

Sed habeo mediocritatis rationem. nec enim loquor de uersu: et est liberior aliquanto oratio. E' quatuor igitur quasi hexametrorũ instar uersuum quod fit, constat ferè plena comprehensio. his igitur singulis uersibus quasi nodi apparent continuationis, quos in ambitu coniungimus.

Quoniam periodi modò breuiores, modò longiores fiunt, neque est ulla certa lex aut ratio, dicit hoc loco Cicero, uelle se mediocritatẽ sequi, quæ omnibus in rebus maximè laudabilis est: & hoc ideo se præstare posse ostendit, quoniam de uersu nõ loquatur, in quo sunt certæ atq; perpetuæ leges: oratio uerò multo est liberior. Ergo plena illa cõprehensio quatuor è membris conficietur, quæ quandam habebunt uersuum hexametrorũ similitudinem: non quòd eisdem numeris fiant, sed quòd ad eorum ferè longitudinem accedant, uel eam certè parum excedant. Huius generis exemplum est pulcherrimum pro A. Cecinna: Si quantum in agro locisq; desertis audacia potest, tantum in foro atq; in iudicijs impudentia ualeret, non minus in causa cederet A. Cecinna Sex. Ebutij impudentiæ, quàm tum in ui facienda cessit audaciæ. His autem singulis uersibus insunt quidam nodi, seu uincula, quæ sententiam continuent, donec totus ambitus absoluat. Nodos autem appellat, distinctiones, & quasi articulos, quibus membrũ à membro distinguitur. sicuti in corpore nodi quidam apparent, ubicunq; membrũ aliquod cum alijs coniũgitur.

Sin membratim uolumus dicere, insistimus: idq; cum opus est, ab isto cursu inuidioso facile nos & sæpe disiungimus.

Non semper coniungere membra debemus, ut ambitum faciant: quoniã odiosum quodammodo uideretur. Sed aliquando per se membra sine nodis, & sine ulla continuatione proferenda sunt. quod cum facimus, tunc membratim dicimus: & quemadmodum in ambitu fluit & labitur oratio, ita in membris insistit, & paulisper cõmoratur. Itaque cum opus est, facilè cursum illum quodammodo inuidiosum relinquere, et ad membra nos conuertere poterimus.

mus. quod frequentissimè faciendum est. Membra igitur cum singula proferuntur, paulisper insistūt. ut: Sed omitto ut sit factus uterque nostrûm. Sit sanè, sors domina campi.

Sed nihil tam debet esse numerosum, quàm hoc quod minimè apparet, & ualet plurimum. Ex hoc genere illud est Crassi: Missos faciant patronos, ipsi prodeāt. nisi interuallo dixisset, Ipsi prodeāt: sensisset profectò effluxisse senariū. omnino melius caderet, Prodeant ipsi: sed de genere nunc disputo.

Membra & incisa numerosa esse debent, quoniam in eis non ita numerus apparet, ut in periodis: & tamen plurimum ualet, uehementerque auditores mouet. ut in Pisonem: Nam quid ego de consulatu loquar? parto uis, an ne gesto? miserum me, cum hac me peste atque labe confero. Hæc tria membra sunt, quæ & in principio & in fine numerum heroum habent. Primum enim à dactylo incipit, & in dactylum desinit. Secundum incipit à spondæo, & desinit in spondæum. Tertium ab anapæsto proficiscitur, & dactylo clauditur. atque ita Cicero ubique ferè in membris & incisis diligentissimè numeros obseruat. Hoc loco citat exemplum L. Crassi, illius eloquentissimi, qui ita dixerat: Missos faciant patronos, ipsi prodeant. Hæc duo membra sunt, quæ si continuentur, comicum senarium efficiunt. quod profectò sensisset etiam ipse Crassus, ait Cicero, nisi interuallo dixisset, & in pronunciando membra separasset. itaque longè melius dixisset, Prodeant ipsi: nam ita uersum effugisset, & tamen numerose dixisset. nam quod ait Strebæus, fore scazonta si ita dicatur, Missos faciant patronos, prodeant ipsi: falsum est omnino. nam scazontes secundo & quarto loco iambum uolunt, aut tribrachum: quod hic non fit. Sed quid est quod ait Cicero, se nunc de genere disputare? Ne uideatur Crassum reprehendere, sed exempla tantum afferre, quomodo membra & incisa fiant in oratione. idcirco ait se de genere ipso membrorum & incisorum uerba facere, non autem disputare, utrum Crassus melius dicere potuisset, nec ne. Pergit igitur ex eadem oratione Crasi exempla sumere.

Cur clandestinis consilijs nos oppugnant? cur de perfugis nostris copias cōparant contra nos? prima sunt illa duo quæ κόμματα Græci uocant, nos incisa dicimus: deinde tertium κῶλον illi, nos membrum. Sequitur non longa: ex duobus enim uersibus, id est membris, perfecta comprehensio est, & in spōdæos cadit. & Crassus quidem sic plerunque dicebat: idque genus dicendi maximè probo.

Illa quæ iam superius ex Crasso citata fuerant, κόμματα Græcè, Latinè incisa dicuntur: & duo sunt. primum illud, Missos faciant patronos: alterum illud, Ipsi prodeunt. Hoc quod nunc adiungitur tertium, κῶλον Græci, nos membrum dicimus: Cur clandestinis cōsilijs nos oppugnant? postea sequitur continuatio, quæ ex duobus implicitis membris perficitur: Cur de perfugis nostris, copias comparant contra nos? quamuis enim hoc unum tantum membrum uideatur, tamen habet uim duorum. ut si quis ita explicet: Cur de perfugis nostris comparant copias? & eas contra nos comparant? Cadit autem hæc comprehensio in duos spondæos, ut quoniam breuis est, saltem longitudine syllabarum aliquanto magis producatur. Hac in dicendo Crassus utebatur diligentia. quod quidem dicendi genus Cicero magnopere comprobat.

Sed

Sed quæ incisim aut membratim efferuntur, ea uel aptißime cadere debent, ut est apud me: Domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabat? at egebas. Hæc incisa dicta sunt quatuor. at membratim, quæ sequuntur duo: Incurristi amens in columnas, in alienos insanus insanisti.

Sicubi numerus obseruandus est in oratione, in incisis & membris obseruari maxime debet. Sed fortasse dubitabit aliquis, quænam sit inter incisum & membrū differentia. & Quintilianus ita distinguit: Incisum est, sensus non expleto numero conclusus. plerisque pars membri. Tale est, inquit, quo Cicero utitur: Domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabat? at egebas. Fiunt etiam singulis uerbis incisa. ut: Diximus, testes dare uolumus. Incisum est, Diximus. Membrum est, sensus numeris cōclusus, sed à toto corpore abruptus, & per se nihil efficiens. id enim, ô callidos homines, perfectum est: at remotum à cæteris, uim nō habet, ut per se manus, & pes, & caput. hæc Quintilianus. Sed ex qua sint oratione uerba quæ citat hoc loco Cicero, non satis constat. Et sunt qui putent, pro Scauro. sed nihil certò affirmari potest, quoniam non extat oratio. Quod autem hæc aptißime cadant, aduertere licet. nam primò quatuor incisa ponuntur, quæ tamen bina copulantur, eodem seruato numero. nam primum choreo, secūdum bacchio, tertium choreo, quartum bacchio terminatur. itaq; idem numerus est in primo & tertio, qui est in secundo & quarto. Sequuntur duo membra, quorum primū bacchio clauditur: Incurristi amens in columnas, alterum duobus spondæis, choreo præcedente: In alienos insanus insanisti. qui numeri sunt omnes aptißimi.

Deinde omnia, tanquam crepidine quadam, comprehensione longiore sustinentur Depressam, cæcam, iacentem domum, pluris quàm te, & quàm fortunas tuas æstimasti. Dichoreo finitur: at dispondæus proximum illud. Nam in ijs, quibus ut pugiunculis uti oportet, breuitas facit ipsa liberiores pedes.

Iam quæ incisim, quæ membratim dicantur, ostendit. nunc ex eadem oratione sequentem comprehensionem recitat, qua tanquam crepidine quadam impetum orationis ait sustineri. Est enim crepido, promontorium, aut saxum aliquod eminens apud mare, quo fluctus agitati solent allidi, crepitumq; propter agitationem emittere. unde etiam crepido dicta est. Ergo sicuti crepido fluctus sustinet, ne ultrà progrediantur: ita cōprehensionis clausula fluentem & incitatam orationem reprimit. Ergo hæc comprehensio, depressam, cæcam, iacentem domum, pluris quàm te, & quàm fortunas tuas æstimasti: dichoreo finitur, qui numerus est Ciceroni maximè familiaris. At illud proximum membrum superius, In alienos insanus insanisti: dispondæo clausum est, qui numerus propter nimiam tarditatē non ita probatur in comprehensionibus, & in membris & incisis, quibus tanquam pugiunculis in aduersarios utimur, propter breuitatem, hoc est paucitatem uerborum, pedes liberiores esse solent.

Sæpe enim singulis utendum est, plerunq; binis. & utrisq; addi pedis pars potest, non ferè ternis amplius.

Docet quot ex pedibus incisa constent. & ait, uel uno, uel duobus, uel ad summum tribus constare: neque ferè accidere, ut ternis amplius constent. Sed ex fractis etiam pedibus fiunt, ut ex uno cum dimidio, aut ex duobus cum dimidio. Ex uno, ut: Abijt, excesit, euasit, erupit. Ex uno cum dimi-

dio. ut: Quæ tua mens? Ex duobus. ut: Quid cupiebas? quid optabas? Ex duobus cum dimidio.ut: O' me me miserũ,ô infelicem. Ex tribus.ut: Quę magnitudo animi? Nonnunquam simul omnia ferè permiſcentur. ut pro Milone: Quid opus eſt tortore? quid quæris? occiderit ne? occidit.iure an iniuria? nihil ad tortorem.hic enim ſex inciſa ſunt.quorum unius pedis eſt unum: Occidit.unius pedis cum dimidio unum: Quid quæris? duorũ pedum unũ: Occiderit'ne? duorum cum dimidio unum: Nihil ad tortorem.trium pedum duo: Quid opus eſt tortore? iure an iniuria? Hæc eſt huius loci ſententia.

Inciſim autem & membratim tractata oratio, in ueris cauſis plurimum ualet: maximeq́ꝫ his locis cum aut arguas, aut refellas. ut noſtra in Corneliana ſecunda: O' callidos homines, ô rem excogitatam, ô ingenia metuenda. Membratim adhuc, deinde cæſim diximus. rurſus membratim: Teſtes dare uolumus. Extrema ſequitur comprehenſio, ſed ex duobus membris, quia non poteſt, eſſe breuior: Quem quaſi noſtrûm fefellit, ita uos eſſe facturos.

In forenſibus atque iudicialibus controuerſijs inciſa & membra ualent plurimum: ſed præcipuè in confirmatione, atque in reprehenſione. quod ita eſſe, licet multis in locis apud Ciceronem uidere. Verùm hoc loco citat exempla, ex quadam oratione ſua pro Cornelio, quæ non extat amplius Hæc eadem exempla ponit Quintilianus libro nono. nam tria membra ſunt illa per exclamationem: O' callidos homines, ô rem excogitatam, ô ingenia metuenda. hæc igitur membratim dicta ſunt. Deinde inciſum unius pedis adiungit, cum ait: Diximus. poſtea membrum etiam ſubdit: Teſtes dare uolumus. poſtremò comprehenſionem duorum membrorum facit: Quem quaſi noſtrûm fefellit, ita uos eſſe facturos? Notandum eſt autem, id quod ait Cicero, comprehenſionem duobus membris eſſe non poſſe breuiorem: ut errent illi, qui periodum etiam unius membri ſtatuunt. cum enim breuiter ſententia perficitur, membrum dicitur orationis, non periodus. ut: Omnium rerum à dijs immortalibus principia ducuntur.

Nec ullum genus eſt dicendi aut melius, aut fortius, binis aut ternis ferire uerbis, nõnunquam ſingulis, paulo aliàs pluribus, inter quæ uarijs clauſulis interponit ſe rarò numeroſa cõprehenſio.

Adeò membra atque inciſa laudat, ut nullum dicendi genus aut melius, aut fortius eſſe dicat. Hoc autem de cauſis tantum forenſibus intelligendum eſt, & de iudicijs, non de laudationibus, & cæteris dicendi generibus, in quibus pugnare non eſt neceſſe. Membra enim, & inciſa ad pugnam & contentionem ferè comparantur. quæ binis aut ternis uerbis, et interdum etiam ſingulis aduerſarium feriant, & de gradu deijciant. Verùm ne nimium conciſa, aut interrupta uideatur oratio, nonnunquam comprehenſio numeroſa, ſed uarijs clauſulis eſt interponenda. ſic enim fortis & temperata fiet oratio. Exemplum ſit hoc pro Cœlio: Ipſius autem ueneni quæ ratio fingitur? ubi quæſitum eſt? quemadmodum paratum? quo pacto? cui? quo in loco traditum? Hactenus membratim & cæſim. poſtea comprehenſionem adiungit: Habuiſſe aiunt domi, uim'que eius eſſe expertum in ſeruo quodam ad rem ipſam parato, cuius perceleri interitu eſſe ab hoc comprobatum uenenum. Non eſt igitur ne in iudicijs quidem, cum arguas, aut refellas, fugienda comprehenſio.

Quam peruerſe fugiens Hegeſias, dum ille quoque imitari Lyſiam

ſiam uult, alterum penè Demoſthenem, ſaltat incidens particulas. & is quidem non minus ſententijs peccat quàm uerbis. ut non quę rat quem appellet ineptum, qui illum cognouerit.

Hegeſias Græculus quidam orator, comprehenſionem tanquam uitium aliquod peruerſe fugiebat. & dum Lyſiam magnum oratorem, atque in ſuo genere penè alterum Demoſthenem, imitari ſtudet, particulas incidit: atque ita progrediens, cæſim ſaltitare uidetur, quamuis etiam in ſententijs non mediocriter peccet. Si quis igitur inanes eius ſententias & incompoſita uerba conſideret, eum prorſus ineptum appellabit. De hoc eodem in Bruto ſic ait: At Chariſij uult Hegeſias eſſe ſimilis, is qui ſe ita putat Atticum, ut uiros illos præ ſe penè agreſtes putet. at quid eſt tam fractum, tam minutum, tam in ipſa, quam tamen conſequitur, concinnitate puerile? Fuit alius Hegeſias, philoſophus Cyrenaicus diſertiſsimus, qui tam copioſe de miſerijs humanæ uitæ diſputabat, ut eis auditis multi ſibi mortem conſciſcerent. qua de cauſa Ptolemæus Aegyptiorum rex illi mandauit, ne amplius talia diſputaret. auctor Cicero primo Tuſcul. & Val. Max. & Strabo.

Sed ego illa Craſsi & noſtra poſui, ut qui uellet auribus ipſis, quid numeroſum etiam in minimis particulis orationis eſſet, iudicaret.

Ratio cur & à Craſſo & à ſe poſuerit exempla: ne fortaſſe aliquis exiſtimaret, in periodis tantum ſeruandum eſſe numerum, in membris autem atque inciſis negligendum. Volui, inquit, oſtendere etiam in minimis orationis particulis, eſſe aliquid numeroſum, quod auribus iudicari poteſt, modò quis aduertat.

Et quoniam plura de numeroſa oratione diximus, quàm quiſquam ante nos: nunc de eius generis utilitate dicemus. Nihil enim eſt aliud Brute (quod quidem tu minimè omnium ignoras) pulchrè & oratoriè dicere, niſi optimis ſententijs uerbisq; lectiſsimè dicere.

Docuit hactenus, quomodo ſit oratio numeroſa facieda, & ſe plura quàm quenquam alium de hac re dixiſſe gloriatur. Sed quia res eſt ardua atq; difficilis, multæq; & longæ exercitationis: ideo nunc utilitatem proponit, ut fructus aliquis laboris appareat. Mouentur enim omnes ferè ſtatim ad res etiam difficillimas, magnæ utilitatis obiecta ſpecie. Incipit igitur à definitione, ut oſtendat neminem poſſe pulchrè & oratoriè dicere, niſi qui numeroſe dicat. nam oratoriè dicere, nihil eſt aliud, quàm optimis ſententijs uerbisq; lectiſsimè dicere. nam ex rebus & uerbis omnis cōſiſtit oratio. Sed oratoris propriū eſt aptè, diſtinctè, atq; ornatè dicere. Quo fit, ut in rebus optimis utatur ſentētijs: in uerbis autem ſumat ea quæ lectiſsima ſunt.

Et nec ſententia ulla eſt quæ fructum oratori ferat, niſi aptè expoſita, atq; abſolutè: nec uerborū lumē apparet, niſi diligenter collocatorum, & horum utrunq; numerus illuſtrat.

Licet ergo, inquit, optimas ſententias, et lectiſsima uerba orator habeat: tamen nulla ei ſententia fructum afferet, niſi aptè atq; abſolutè fuerit expoſita: quod fieri ſine compoſitione non poteſt. Et uerborum ſplendor, niſi bene collocentur, nequaquam apparet. Ergo numerus adiūctus orationi, & uerba & ſententias illuſtrat. Quare penè laus omnis orationis ex numero pendet.

Numerus autem (sæpe enim hoc testandum est) non modò nõ poeticè iunctus, uerùm etiam fugiẽs illum, eiq; omnino dissimillimus. non quin ijdem sint numeri non modò oratorum et poetarũ, uerùm omnino loquentium, denique etiam sonantium omnium, quæ metiri auribus possumus: sed ordo pedũ facit, ut id quod pronunciatur, aut orationis, aut poematis simile uideatur.

Id repetit, quod antea non semel admonuit, hunc numerum oratorium, quamuis idem etiam poeticus sit, non tamen poeticè iungi debere: sed omnino poeticam omnem coniunctionem in oratione fugiendam esse. ut oratorius numerus à poetico dissimillimus penitus fiat, & ne unquam in oratione uersus appareat. At dicet aliquis: Si est idem poeticus & oratorius numerus, quomodo dissimillimus fieri potest? Cui respondet Cicero: Non tantũ oratorum & poetarum, sed etiam loquentium omnium, & sonantium eundem esse numerum. Neque enim loqui sine numero quisquam potest, cum duæ tantum syllabæ quomodocunque coniunctæ pedem efficiant: * atque adeò syllaba, tempore seu interuallo suo distinguatur. Non igitur numerus omnis numerosam efficit orationem, sed ordo & obseruatio numeri, iuncturæ & concinnitatis. Pedum igitur distinctio facit, ut quod dicimus, aut poema sit, aut oratio, uel saltem poematis aut orationis simile.

Hanc igitur siue compositionem, siue perfectionem, siue numerum uocari placet, & adhibere necesse est, si ornatè uelis dicere: nõ solum, quod ait Aristoteles & Theophrastus, ne infinitè feratur ut flumen oratio, quæ non aut spiritu pronunciantis, aut interductu librarij, sed numero coacta debet insistere: uerùm etiã, quòd multò maiorem habent apta uim, quàm soluta.

Concludit, numerum ei necessarium esse, qui uelit ornatè dicere. Sed ostendit, numerũ etiam alijs nominibus appellari posse. Potest enim dici compositio, quia in compositione & collocatione uerborum totus consistit. Potest appellari perfectio, quia sententiam perficit & absoluit: quoniam in clausula maximè spectari solet. Duabus autem de causis numerum esse necessarium ostendit. quarum priorem Aristoteles & Theophrastus attulerunt, alteram adiungit ipse Cicero. Primò ergo numerus adhibendus est, ne tanquam flumẽ aliquod infinitè feratur oratio, sed alicubi consistat. Non autem insistere debet spiritu pronunciantis, aut interductu librarij, sed coacta numero. nam qui pronunciat, non ideo sententiam terminat, quia insistit, alioqui posset etiam mediam orationem abrumpere: sed ideo solet insistere, quia sentẽtia terminata est. Eodem modo librarius, qui scribit orationẽ, utitur interductu, hoc est distinctione et puncto in clausulis. sed distinctio atq; punctum non efficit ut sententia sit absoluta: alioquin ubicunq; poneretur, sententiam absolueret. sed idcirco interductu librarius utitur, quia numero finitam uidet esse sententiam. Hæc igitur prima causa est, propter quam numerus necessarius esse uideatur. Altera est, quoniam ea quæ apta sunt & cõposita, beneq; disposita, longè maiorem uim habent, quàm quæ soluta sunt & libera. quod exemplo demonstrari facile potest. Nam quamuis modicus exercitus bene dispositus, facile numerosissimum incompositum & palantem superabit. Sed huius causæ Cicero rationem subiungit.

Vt enim athletas, nec multo secus gladiatores, uidemus nihil nec uitando facere cautè, nec petendo uehementer, in quo nõ motus hic

tus hic

tus hic habeat palæſtram quandam, ut quicquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam, idem ad aſpectum etiam ſit uenuſtum: ſic oratio nec plagam grauem facit, niſi petitio fuerit apta: nec ſatis tectè declinat impetum, niſi etiam in cedendo quid deceat, intelligit.

A' ſimili probat, uim in oratione magnam numerum habere, ad uenuſtatem & gratiam, ſicut in athletis & gladiatoribus palæſtra. Dicebantur athletæ (ſicuti Iul. Pollux tradit) qui pugillatu, luctatione, & curſu contenderent. Alexander etiam Xyſticos & Thymelicos inter athletas à iuriſconſultis numerari probat. Erant autem Xyſtici, qui in longis & amplis porticibus, quæ xyſti uocabantur, uel pugnis uel haſtis contendebant. Thymelici uerò, qui prodirent in ſcenam, quæ θυμέλη Græcè dicitur. Sunt qui gladiatores etiam athletarum nomine comprehendant. Dabantur autem gladiatores Romæ & in funeribus clariſsimorũ hominum ab hæredibus, & ab Imperatoribus ſæpe, cum ad bellum eſſent profecturi. Erant igitur ordinarij gladiatores: erant etiam extraordinarij, qui petebantur à populo. Conſummati uerò gladiatores dicebantur, iam rude donati, & emeriti. dicebantur etiam arenarij, qui in arena depugnabant: qualis ille Veianius apud Horatium,

— Veianius armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.

Ergo athletæ & gladiatores in compoſitionibus & commiſsionibus duo ſeruare ſolent, primò ut cautè aduerſariorum plagas euitent, deinde ut uehementer eos petant. Sed cum diu ſeſe in palæſtra exercuerint, ordinatè compoſiteq; procedunt: adeò ut quicquid ad pugnam utiliter faciant, idem etiam ad aſpectum ſit uenuſtum, et ſpectatores magnopere delectet. Eodem modo etiam oratio uehementer aduerſarium petere non poterit, niſi petitio apta compoſitaq; fuerit. neque aduerſariorum impetum cautè atque occultè declinabit, niſi dum cedit, etiam decori rationem habeat. Hæc autem omnia facile fiunt apta compoſitaq; oratione. quo fit, ut non tantum uoluptatẽ, ſed etiam utilitatem magnam afferat oratio numeroſa. Contrà uerò ſoluta numeris, neque dignitatem ullam, neq; uim habere poteſt.

Itaque qualis eorum motus quos ἀπαλαίςρους Græci uocant: talis horum mihi uidetur oratio, qui non claudunt numeris ſententias. tantumq; abeſt, ne, quod ij qui hoc aut magiſtrorum inopia, aut ingenij tarditate, aut laboris fuga non ſunt aſſecuti, ſolent dicere, eneruetur oratio compoſitione uerborum, ut aliter in ea nec impetus ullus, nec ius eſſe poſsit.

Apud antiquos omnes ferè ingenui palæſtram diſcebant, ſicuti Plato in Alcibiade primo, atq; in multis alijs locis oſtendit. quod etiam Budæus annotauit, qui ſic ait: Alioqui chironomia lex geſtus à Quintiliano dicitur in primo, ab Heroicis ipſa temporibus orta, & à ſummis Græciæ uiris, atq; ab ipſo etiam Socrate probata: à Platone quoq; in numero ciuilium poſita uirtutum, à Chryſippo in præceptis de Liberorum educatione compoſitis non omiſſa: quam artem oratori neceſſariam eſſe, ipſe idem latè in undecimo docet. hæc eadem palæſtra uocatur, & qui eam docent, palæſtrici dicti ſunt. Cicero in primo de Oratore ſic ait: Vt qui pila ludunt, non utuntur in ipſa luſione artificio proprio palæſtræ, ſed ipſe motus indicat, didicerint'ne palæſtram, an neſciant. & in Bruto de Phaleræo loquens: Sed non tam armis, inquit, inſtitutus, quàm palæſtra. itaq; delectabat magis Athenienſes, quàm inflamma-

inflammabat. Palæstra igitur, inquit Budæus, decentiam illam significat, qua status, motus, flexusque corporis, ac omnes omnino habitus, uenustatem quandam leporemque præ se ferunt: quam qui non didicerunt, ij Apalæstri ab antiquis dicti sunt. ut hoc in loco Cicero, et Quintilianus libro nono: Sicut enim, inquit, quos palæstritas esse nolumus, tamen esse nolumus eos qui dicuntur Apalæstri. ij sunt, qui se indecorè atque incompositè mouent, ut Virgilius de saltante rustico dixit in Georgicis:

Det motus incompositos & carmina dicat.

Talis est igitur, inquit Cicero, eorum oratio, qui numeros negligunt, & sententias non bene claudũt: qualis est motus eorum qui penitus apalæstri sunt. Sed sunt qui dicant, Compositione uerborũ orationem eneruari. quod tantum abest à ueritate, ut si careat numeris, nec impetus ullus, nec uis in ea esse posit. Vis enim atque impetus omnis orationis est, in apta beneque disposita oratione: sicuti militũ robur est, in acie bene atque scienter instructa. Verùm qui tandem sunt isti, qui numerosam orationem uituperant? Nempe ij, qui sunt eius penitus ignari. Quod tribus potisśimũ de causis accidere potuit. uel quia magistros eius rei non habuerunt: nulla enim ars sine præceptore percipi cõmodè potest. uel quia tarditate ingenij laborant: nam cùm in omnibus artibus, tum in hac precipuè prompto atque celeri ingenio opus est. uel quia laborem subterfugerũt: nam, ut ait Horatius,

—Nil sine magno Vita labore dedit mortalibus.—

Hi sunt igitur, qui res præclaras damnant ac negligunt, qui eas aut magistrorum inopia, aut ingenij tarditate, aut laboris fuga non sunt assecuti. Tantum enim quisque laudat, quantum se assequi posse confidit.

Sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum qui genus hoc secuti, non tenuerunt, simile faciamus: ne aut uerba traijciamus apertè, quo melius aut cadat, aut uoluatur oratio. quod se L. Cœlius Antipater, in procemio belli Punici nisi necessariò facturum negat. O' uirum simplicem, qui nos nihil celat: sapientem, qui seruiendum necesśitati putet. Sed hic omnino rudis.

Quæ seruanda sunt in oratione composita, numerosaque, iam docuit. Deinceps igitur, quæ sint in ea uitanda uitia, demonstrat. Quidam enim imperiti, dum numerosè student dicere, ridiculam & inanem efficiunt orationem. Itaque magna & longa exercitatione opus est, ne quid nos simile faciamus eorum, qui quamuis hoc dicendi genus secuti sunt, illud tamen assequi non potuerunt. Ac primùm illud magnopere cauendum est, ne apertè de loco suo uerba traijciamus, quo melius oratio cadat, aut uoluatur. ut quarto ad Herennium: Hoc uobis Deos immortales arbitror dedisse uirtute pro uestra. Ridicula hæc est compositio: quoniam apertè duo ultima uerba de loco suo traiecta sunt in alienum. at si ita commutes, Hoc uobis pro uirtute uestra dedisse Deos immortales arbitror: plena erit, ac sine uitio sententia. item si quis dicat: Insidiatori uerò quæ potest afferri iniusta nex, & latroni? quamuis numerus optimus sit, quia dichoræo clauditur: tamen quia nimis apertè traiecta sunt uerba, uitiosum erit. illo uerò numero nihil rotundius: Insidiatori uerò, & latroni, quæ potest afferri iniusta nex. clauditur enim Cretico, quem numerum Cicero maximè probat. Hac in re Cicero L. Cœlium Antipatrum, qui scripsit historiam de bello Punico, quodammodo ridet, quòd in procemio librorum suorum dixerit, se non nisi necessariò uerba traiecturum, ut sententiam expleat. qua in re simplex primò uidetur, quia quod facturus est, prædicit, & nihil celat: deinde etiam sapiens, quia

necesśitati

necessitati parendum esse censet. nam necessitati parere, semper sapientis est habitum. Sed omnino rudem et imperitum in hac re se Cœlius ostendit, quoniam nulla est in scribendo necessitas. Hoc est quod ait Cicero.

Nobis autem in scribendo, atque in dicendo, necessitatis excusatio non probatur. nihil est enim necesse: & siquid esset, id necesse tamen non erat cōfiteri. & hic quidē, qui hanc à Lælio, ad quem scripsit, cui se purgat, ueniam petit, & utitur ea traiectione uerborum, & nihilo tamen aptius explet concluditq́ꝫ sententias.

In dicendo atq́ꝫ in scribendo necessitatis excusatio nihil prodest: quoniam nihil est necesse, potest enim quiuis arbitrio suo & dicere & scribere. quòd si quid etiam esset necessarium, tamen id non esset dicendum. Itaque dignus est reprehensione Cœlius, cum præsertim, quamuis hanc ueniam à Lælio petat, ad quem scribit, utatur tamen ea traiectione uerborū non necessaria, quo sententias expleat atq́ꝫ concludat: quod nihilo minus non assequitur. neq́ꝫ enim aptè claudit. Scripsit autem historias suas Cœlius Antipater, ad Lælium illū, qui cognomine Sapiens dictus est. nam fuerūt duo Lælij, uiri præstantissimi, pater et filius: quorū pater superioris Africani legatus, Syphacem Numidarū regem debellauit, & captiuū duxit: filius cum Aemiliano Scipione tanta con iunctus amicitia fuit, ut inter amicorum rarissima paria cōmemorentur. Hic est ille Lælius, quem de amicitia disputantem inducit Cicero, qui ualde doctus & elegans in dicendo fuit. Vnde ferunt etiam eum Terentio in conscribendis Comœdijs auxilio fuisse, quod ipsemet Terentius innuit.

Apud alios autem, & Asiaticos maximè, numero seruientes, inculcata reperias inania quædam uerba, quasi complementa numerorum.

Hoc est secundum uitium, eorum qui numerum inscitè consectantur, ut inania quædam uerba frequenter inculcent, quasi quædam numerorum com plementa: quod uitium Asiaticis oratoribus erat maximè peculiare. Quin poetæ Græci, atque in primis Homerus, hoc frequentissimè facit, ut particulas inserat explendi uersus gratia, quæ nihil penitus ad sensum faciant: quod quidam etiam apud Latinos imperitè faciunt. Verùm sciendum est, nihil quod ad sententiam non attineat, esse laudabile. quod exemplo declarari po test. Dixit Cicero in Philippicis: Nomen pacis dulce est. Si quis igitur mul ta uerba uelit inculcare, quo numerosior fiat hæc sententia, atque ita dicat: Illud quidem certè peroptatæ gentibus pacis nomen, & amabile cunctis omnium ordinum mortalibus, et iucundum est: uidebitur quidem esse magis flo rens & picta oratio: sed quia multa sunt uerba quæ sensum nō adiuuant, ideo uitiosa iudicanda est.

Sunt etiam qui illo uitio, quod ab Hegesia maximè fluxit, infringendis concidendisq́ꝫ numeris, in quoddam genus abiectum incidant, Siculorum simillimum.

Improbantur etiam illi maximè, qui sequuntur illud Hegesiæ uitium, ut omnes cōprehensiones fugiant, et numeros infringant atq́ꝫ concidant. nam in abiectum quoddam dicendi genus incidunt, quod olim Siculi sequebantur. Gorgias enim Leontinus concinnitatis inuentor, nimis concise & minutè loquebatur: quem auctorem reliqui postea Siculi secuti sunt. In hoc uitio ferè totus est Seneca, qui nunquam ferè colligat aut concludit sententias. Vnde non iniuria Caius Caligula dicere solebat, Senecæ dictionē tanquam arenā

esse

esse sine calce. cuius rei sit exemplum, initium epistolæ decimæ: Sic est. non muto sententiam. fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum. nõ habeo cum quo te cõmunicatum uelim. & uide quò iudicium meum abeat. audeo te tibi credere. Quid hoc dicendi genere minutius, aut abiectius?

Tertium est, in quo fuerunt fratres illi Asiaticorum Rhetorum principes, Hierocles & Menecles, minimè mea sententia contemnendi. etsi enim à forma ueritatis, & ab Atticorum regula absunt, tamen hoc uitium cõpensant uel facultate, uel copia. Sed apud eos uarietas non erat, quod omnia ferè concludebantur uno modo.

Cicero, postquam orationem illam habuisset pro Roscio Amerino, ueritus Chrysogoni Syllę liberti, quem offenderat, potentiam (ut Plutarchus ait) Roma discessit, & Asiam ferè totam peragrauit, ut peritos dicendi magistros uideret, & audiret. inter quos duos etiam fratres, quos hoc loco nominat, Hieroclem et Meneclem audiuit: qui eo tempore Rhetorum Asiaticorum principes habebantur. Hos igitur minimè contemnendos esse censet Cicero, quoniam & dicendi facultate, et copia plurimum ualebant. Duo tamen sunt, quę in eis reprehendat. primùm, quòd à forma ueritatis, & ab Atticorum regula abessent. Fictas enim tantum causas agebant, quæ ab usu & consuetudine forensi abhorrerent: atq; id cum facerent, non Atticam dicendi uenustatem, sed redundans & adipatæ dictionis genus sequebantur. Alterum, quòd omnia ferè concluderent uno modo. nam dichoreum in clausulis, præter cæteros numeros omnes expetebant, & ferè semper eum admittebant: quod esse uitiosum, iam superius demonstratũ est. in primis enim uarietatẽ desiderat oratio.

Quæ uitia qui fugerit, ut neque uerbum ita traijciat, ut id de industria factum intelligatur, neque inserciens uerba quasi rimas expleat, nec minutos numeros sequens concidat, delumbetq; sententias: nec sine ulla commutatione in eodem semper uersetur genere numerorum, is omnia ferè uitia uitauerit. nam de laudibus multa diximus, quibus sunt alia perspicuè uitia contraria.

Hæc breuis est eorum repetitio, quæ diligẽter in oratione uitanda sunt, eo quòd sint maximè uitiosa. Quatuor autem esse demonstrat. Primum, traiectio uerborum dici potest, cum ita uerbum unum uel plura traijciuntur, ut id de industria, numeri gratia, factum appareat. Secundum, inculcatio potest appellari, cum ita uerba inferciuntur superuacanea, quasi rimæ expleri uideãtur. Tertium, concisio uocetur, cum quis minutos numeros sequens concidit, & quasi delumbat sententias. Quartum, similitudo clausularum dicatur, cum sine ulla commutatione quis in eodem semper uersatur genere numerorum. Ergo si quis uerborum traiectionem, inculcationem, numerorum concisionem, similitudinem uitauerit, is omnia ferè uitia uitauerit. Cum enim de numerosæ orationis laudibus permulta dicta fuerint, qui laudes sequi didicerit, is etiam laudibus contraria uitia facile perspiciet. quod enim facere aut sequi decet, id non facere, aut non sequi, perspicuè uitiosum est. Quasi rimas expleat.) Metaphora à nauiculatoribus sumpta, qui nauium rimas ita conantur explere, ne aqua possit ingredi: aut à doliorũ fabris. sic Terentius: Plenus rimarum sum, hac atq; illac perfluo.

Quantum autem sit aptè dicere, experiri licet, si aut compositi oratoris bene structam collocationem dissoluas permutatione uerborum: corrumpatur enim tota res. ut & hæc nostra in Corneliana, &

na, & deinceps omnia: Neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lælios multi uenalitij mercatoresq́ superarunt. immuta paulum, ut sit: Multi superarunt mercatores, uenalitijq́: perierit tota res.

Cum iam de uirtutibus & uitijs numerosæ orationis multa dixerit, nunc exemplis declarare, & quasi oculis subijcere uult, quantum sit apte dicere. Quod, inquit, experiri licet, si quis alicuius compositi oratoris bene structam collocationē sumat, & eam permutatione uerborum dissoluat. uidebit enim statim totam rem corrumpi, atque omnem illam dignitatem interire. Quæ res ut testatior & clarior fiat, recitat ex Corneliana sua, quæ non amplius extat, exempla quædam, & sententijs & numeris absoluta. quorum illud primū est: Neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lælios multi uenalitij mercatoresq́ superarunt. Hæc comprehensio habet in clausula duo, quæ optima iudicantur. Primum est, quia uerbo clauditur. nam Quintilianus ait, semper optimum esse uerbo claudere sententiam, si modò id aptè fieri potest. Alterum est, quia duobus numeris amplissimis et optimis terminatur: hoc est, palimbacchio, & ionico à minori, quos præcedit spondæus. illa enim extrema pars, Mercatoresq́ superarunt: ex spondæo, palimbachio, & ionico à minori fit. Est igitur omnino bene structa collocatio. quam si quis paulùm immutet, hoc modo, Multi superarunt mercatores, uenalitijq́: statim tota perierit. Primò enim, uerbo non claudetur: deinde, quod longè maioris est momenti, totus numerus euanescet. Cadit enim minutè atque ineptè sic immutata sententia. Totus autem ille locus quem ex Corneliana sua citat Cicero, sententiam eam habet: Vt nemo diuitias admiretur, quia neque meliorem neque præstantiorem uirum efficere possunt. Facile enim fieri potest, ut improbi & abiecti homines, quales sunt multi mercatores & mangones, qui seruos nouitios uendunt, quos Latini uenalitios uocant, uiros præstantissimos, quales fuerunt Africani & Lælij, diuitijs superent. Magni enim uiri diuitias ferè cōtemnere, ac pro nihilo putare solent: quas tamen mercatores uenalitijq́ cupidè expetunt. Sed cur Cicero, cum mercatores dixisset, adiunxit etiam uenalitios, qui seruos emere atque uenundare solent? an non etiam uenalitij mercatores sunt? Non certè. nam Africanus ait: Mercis appellatione homines non contineri: & ob eam rem mangones, non mercatores, sed uenalitiarios appellari. ubi Alciatus ait: Venalitiarios esse, qui uulgò reuenditores uocantur, qui mercatores dici non possunt. & mangones etiam esse uenalitiarios, quoniā uenalitia, id est seruos uenales expositos ipsi emere præoccupant, ut carius uendant. Dicuntur autem mangones, quòd homines agant in manum, id est in potestatem. Interdum etiam uenalitij dicuntur, ipsi serui qui uenduntur: ut Plinius, Hoc est insigne uenalitijs gregibus. *ff. de Verb. signific. L. mercis.* *35. cap. 18.*

Et quæ sequuntur: Neque uestis, aut cælatum aurum & argentum, quo nostros ueteres Marcellos, Maximosq́, multi eunuchi è Syria, Aegyptoq́ uicerūt. Verba permuta sic, ut sit: Vicerunt eunuchi è Syria, Aegyptoq́.

Secundum hoc exemplum est ex eadem Corneliana, quod cum superioris sensu continuatum est: nempe non esse uestes, aut aurum, aut argentea uasa magnificè cælata, & præclaro opere facta, magni æstimanda: propterea quòd multi abiecti & uiles homines, quales eunuchi sunt, qui è Syria, Aegyptoq́ ducebantur, earum rerum copia, summos illos & præstantissimos uiros Marcellum & Maximum superarūt. Hoc autem ideo dicit Cicero, quia

ueteres illi Romani, quales fuerunt Marcelli & Maximi, diuitias spernebant, & paupertate quasi delectabantur. nihil autem aliud studebāt, quàm ut Reipublicæ prodessent, & sibi gloriam immortalem compararent. Marcellus is fuit, qui primus docuit Annibalem posse uinci, qui Romanæ Reipublicæ gladius dicebatur: sicuti contrà Fabius Maximus scutum appellabatur, quòd sine prælio uim atque impetum Annibalis reprimeret. unde cunctator dictus est. de quo Ennius:

Vnus qui nobis cunctando restituit rem.

Ergo isti pecunias, & uestes, & aurum, atque argentum cælatum negligebant: at contrà multi, qui seruitutem seruierāt, deinde manumissi, tantas opes congerebant, ut illos præclarissimos imperatores uincerēt. ait autem, E Syria & Aegypto: quoniam ex eis regionibus multi eunuchi & serui Romam uehebantur. Sed ad rem. Terminatur hæc cōprehensio uerbo suo, et iambum atque spondæum habet in fine, qui numerus optimus est, quoties spondæus est ultimus, et iambus præcedit, ut suprà diximus. Efficit enim hac ratione primus Epitritus, qui numerus est grauissimus & amplissimus. Si uerò quis ita permutet: Vicerunt eunuchi è Syria, Aegyptoque, statim omnis uenustas euanescet.

Adde tertium: Neque uerò mouent me ornamenta ista uillarū, quibus L. Paulum, & L. Mummium, qui rebus his urbem, Italiamque omnem refersèrunt, ab aliquo uideo perfacile Deliaco aut Syro potuisse superari.

Tertium exemplum, adhuc cum superiore cōtinuatū ex eadem oratione. Villatū ornamēta uocat signa, tabulas, uasa Corinthia, aut Deliaca, aut aliûs generis, & cætera quibus ornari domus solent. Idcirco autem L. Paulum & L. Mummium nominat, quoniā hi duo imperatores duas opulentissimas regiones imperio Romano adiecerunt, et penè incredibilem rerum omniū preciosissimarū copiam Romam attulerūt. nam L. Paulus deuicto Perse, Macedoniam subiugauit. Lucius autem Mummius euersa Corintho, uectigalē populi Romani totam Achaiam reddidit. ipsi uerò cōtinentissimi fuerūt, ut nihilo ditiores ex tantis uictorijs euaserint. Facile igitur ab aliquo Deliaco aut Syro mancipio, in uillarum ornamentis, & in diuitijs superari potuerunt.

Fac ita, Potuisse superari ab aliquo Syro aut Deliaco: uides'ne, ut ordine uerborū paulum cōmutato, ijsdem uerbis stante sententia, ad nihilum omnia recidant, cum sint ex aptis dissoluta?

Si quis illum numerum dissoluat, qui erat aptissimus, quoniam spondæo claudebatur sententia, præcedente trochæo, cum diceretur, potuisse superari: atque ita dicat, Potuisse superari ab aliquo Syro, aut Deliaco: ad nihilum omnia recident, etiam si stet eadem sententia, atque eadem uerba maneant, sed ordine commutato. Quoties igitur ex aptis dissoluta fiunt uerba, facile uidere licet, quantum ualeat numerus. Quin etiam contrà, si quis dissoluta uerba colliget numeris, atque deuinciet, facile poterit intelligere, quantum eis uenustatis accedet. Hoc est quod Cicero subiungit:

Aut si alicuius incōditi arripias dissipatam aliquam sententiam, eamque ordine uerborum paulum commutato in quadrum redigas, efficiatur aptum illud, quod fuerit antea diffluens, ac solutum.

Capiamus, inquit, alicuius oratoris sententiam aliquam, quæ sit incondita atque dissipata, uel quæ numeris non satis sit aptis colligata: & commutato pau-

to paulum uerborum ordine redigamus eam in quadrum: certè uidebimus illud statim aptum effici, quod erat antea diffluens ac solutum. Fuit ætate patrum nostrorũ uir Latinæ linguæ studiosissimus, Christophorus Longolius, qui certè (meo iudicio) maxima laude dignus est: quia relicta omni barbaria, se totum ad Ciceronis imitationem transtulit: atq; in multis sine dubio rebus Ciceronem satis feliciter imitatus est. Sed cùm in eo peccauit, quòd non satis distinctè atq; partitè suis in orationibus dixit: tum in hac re multo grauissima & maximè necessaria, perquàm infelix fuit, quia raró aptè numerosèq; sentẽtias claudit. nam & importunè frequenter uerba trajcit, & inculcat inania, & sentẽtias sæpe delumbat. Quòd si quando bene claudit, id potius ex assidua Ciceronis lectione, quàm ex arte aliqua prouenire crediderim. Habet tamen interdum & bonas sententias, & lecta uerba. quæ si paulum commutent, facile numerose cadere possunt. quod ut intelligi possit, duobus aut tribus exemplis experiamur. Sunt in oratione, quam ipse pro se habuit, in extrema cuiusdã periodi parte hæc uerba: Et meo ipse silentio proditus, ac mea etiam sentẽtia damnatus dici possim. quæ cõprehensio pessimè cadit, cum in extremo quatuor spondæi ponant. id autem esse uitiosum, iam suprà demonstratũ est. Permuta igitur uerborum ordinem, hoc modo: Et meo ipse silentio proditus dici possim, ac etiam sentẽtia mea damnatus: longè melior & suauior clausula fiet, ex iambo & palimbacchio. Idem alibi: Date hanc mihi Patres Con. ueniam, ut de superiore mea uita, pauca ipse apud uos dicam. certè pars extrema huius periodi maximè est hiulca, atque iniucunda. Transpone duo uerba, hoc modo, Vt apud uos ipse de superiore uita mea pauca dicam: & sentics quantum iucũditatis accesserit. Sunt etiam apud eundẽ aliquæ tam insciẽter clausæ sententię, ut nulla uerborũ permutatione in quadrũ redigi possint. qualis est illa: Nec se certò ullo consilio aut iudicio duci, sed cæco aliquo animorum impetu perturbatos ferri atq; raptari ostendũt. qua nihil inamœnius fieri potest. Sed ad Ciceronem redeamus, qui ita subiungit:

Age, sume de Gracchi apud Cens. illud: Abesse non potest, quin eiusdem hominis sit, probos improbare, qui improbos probet. quanto aptius, si ita dixisset: Quin eiusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare. Hoc modo dicere nemo unquam uoluit, nemoq; potuit, quin dixerit.

Exemplum sumit ab oratione C. Gracchi, qui sui temporis oratorum eloquentissimus habitus fuit. eam autem orationẽ habuit apud censores, in qua posuit hoc argumentum à contrarijs: Qui improbos probat, is etiam probos improbabit. Verùm sententiam diffluentem ac solutam fecerat, quoniam in fine duos iambos posuerat, cum dixisset: Qui improbos probet. Sed ordine uerborum commutato, hoc modo: Qui improbos probet, probos improbare: fit extremus dichoreus, quem optimè claudere, iam superius multis exemplis docuimus. De hoc autem Graccho sic in Bruto loquit: Sed ecce in manibus uir & præstantissimo ingenio, et flagranti studio, & doctus à puero, C. Gracchus. Noli enim putare quenquam, Brute, pleniorem & uberiorẽ ad dicendum fuisse. Deinde ait: Damnum illius immaturo interitu res Romanas Latinasq; literas fecisse. & paulo pòst: Grandis est uerbis, sapiens sententijs, genere toto grauis: manus extrema non accessit operibus eius. præclarè inchoata multa, perfecta non planè. Compositionem igitur & numerũ uidetur innuere Cicero, cum ait: Manum extremam orationibus Gracchi defuisse. nam nemo unquam dicere numerose potuit, quin libentissimè dixerit.

Qui autem aliter dixerunt, hoc assequi non potuerunt: ita facti

sunt repentè Attici. quasi uerò Trallianus fuerit Demosthenes, cuius non tam uibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur.

Irridet eos, qui cum numerosæ orationis scientiã assequi non potuissent, & incõpositè dicerent, tamen Attici uideri uolebant, de quibus etiam multa superius. Eos igitur ad Demosthenis normam reuocat, qui cum maximè Atticus esset, tamen cõpositionis & numeri studiosissimus fuit: Cuius, inquit, uerborũ fulmina nõ tantopere uibrarẽt, nec tanto impetu ferirẽt animos, nisi numeris, quasi quibusdã neruis cõtorta ferrenẽ. Ita facti sunt repentè.) Ironia est. quoniam nemo repentè Atticus, id est politus & elegans fieri potest. Sed longo tempore & maximo studio opus est. ita Persius:

Nec in bicipiti somniasse Parnaso
Memini, ut repentè sic poeta prodirem.

Quasi uero Trallianus.) Perstat in Ironia, ut doceát non posse Atticos dici, qui numeros orationis contemnũt: cum eos diligentissimè Demosthenes obseruarit, qui nõ Trallianus, hoc est Asiaticus & barbarus, sed maximè Atticus fuit. Trallis enim ciuitas est in finibus Cariæ et Phrygiæ. Cares autem & Phryges, tanquam barbari & incompositi notabantur. quod in oratione pro L. Flacco uidere licet.

Sed si quos magis delectãt soluta, sequanẽ ea. Sanè modò si quis Phidiç clypeũ dissoluerit, collocationis uniuersam speciem sustulerit, non singulorũ operum uenustatẽ. ut in Thucydide orbem modò orationis desidero, ornamenta cõparent. Isti autem cum dissoluunt orationem, in qua nec res, nec uerbũ ullum est, nisi abiectum: non clypeũ, sed (ut in prouerbio est, etsi humilius dictũ est, tamen consimile est) scopas, ut ita dicam, mihi uidentur dissoluere.

Rursus eos insectatur, qui peruersè Attici dici uolebant, cum & sententijs & uerbis essent inanes. Si qui sunt, inquit, quos soluta magis delectent, quàm composita, suo arbitrio sequantur ea, modò aliquid habeant quod laudari possit. Quemadmodũ si quis dissoluerit clypeum illum, quem Phidias summus artifex in statua Palladis fecit, uniuersam quidẽ speciem cõpositionis sustulerit: sed tamen in singulis operis illius partibus sua uenustas remanebit. Phidias enim statuarius excellentissimus, Mineruæ simulachrũ ex ebore atq; auro mira arte confecit: cui clypeũ addidit, in quo gigantũ pugnam cum dijs & quædam alia sculpserat. Sed illud memorabile, quod ita nomẽ suum illi clypeo inscriptũ illigauit, ut auferri nullo modo posset, nisi totũ opus dissolueretur: quod magna gloriæ cupiditate motus fecit, ne unquã opus illud alterius quàm Phidiæ dici posset. Ponamus igitur, inquit Cicero, clypeũ illum dissolui, certè uniuersa clypei species peribit, sed tamẽ singula opera suã uenustatem retinebũt. sic in Thucydide nõ est ille orbis atq; ambitus uerborũ, qui numerosè apteq; sententiã claudat: sed tamẽ orationis apparẽt ornamẽta, ut sit Thucydidis oratio tanquã Phidiæ clypeus dissolutus. At isti uiles & abiecti oratores, qui se Atticos dici uolũt, cum orationẽ suam dissoluant, & nullis numeris deuinciãt, in qua nulla est grauis sentẽtia, nullum elegans & politũ uerbum, sed abiecta omnia, non clypeũ dissoluere dici possunt, ut de Thucydide modò dicebamus: sed id quod in prouerbio est, facere uidenẽ, id est, scopas dissoluere. Licet enim prouerbiũ hoc humile sit, & è uulgi fece sumptũ, tamen istorũ orationi uidetur esse cõsimile. Significat autem hoc loco Cicero, prouerbiũ hoc eo tempore fuisse, ut si quis rem prorsus inutilẽ & contemnendam faceret, is scopas dissoluere diceret. Quamuis ad Atticum libro septimo prouerbium

prouerbium hoc aliter quodammodo acceperit. nam homines uiles & abiectos, uocat scopas dissolutas. sic enim ait: Cæsarem uidi Minturnis ad viij. calendas Februarias, mane, cum absurdissimis mandatis, non ad homines, sed scopas dissolutas, ut id ipsum ille mihi uideatur irridendi causa fecisse. hæc Cicero. Ergo uel oratio incondita, sine doctrina rerum et uerborum: uel homo uilis & abiectus, qui negocia sua nullo ordine sciat explicare, scopæ dissolutæ uocari optimè potest.

Atque ut planè genus hoc quód ego laudo, contempsisse uideant, aut scribant aliquid uel Isocrateo more, uel quo Aeschines aut Demosthenes utitur: tum illos existimabo non desperatione reformidauisse genus hoc, sed iudicio refugisse. aut reperiam ipsa eadem cõditione, qui uti uelit, ut aut dicat, aut scribat utra uoles lingua, eo genere quo illi uolunt.

Proponit conditionem istis qui numerosam orationem uituperant, ut ostendat eos non iudicio numerum in oratione damnare, sed desperatione, quia non eum assequi possunt. Faciant, inquit, huius rei periculum, ut ostendant se planè cum iudicio contemnere compositam orationem, non eam ignorare. Scribant aliquid eo modo quo scripsit Isocrates, aut Aeschines, aut Demosthenes. Quòd si bene præstare potuerint, tunc omnino iudicandum erit, eos non idcirco genus hoc reformidare, quia desperent se illud assequi posse, sed quia iudicent indignum quod sequantur. Quòd si nullo modo scribere numerose possunt, desinant tandem id improbare, quod omnes probati oratores secuti sunt: cum præsertim ij qui numerose dicunt, facilè possint, cum eis uisum fuerit, à numeris sese relaxare: qui uerò loquuntur inconditè, nequaquam dicere numerose possint. hoc est quod ait Cicero: Ego facile reperiam aliquem oratorem ex eorum genere qui compositè dicunt, qui hac uti conditione uolet, ut cum istis Atticis nouis contendat, mutato dicendi genere, in utra uoluerint lingua: hoc est, ut isti numerose dicant, ipse uerò sine numeris istorum dicendi genus exprimat. Facile igitur nos, cum uolumus, relinquere numeros possumus: isti uerò, etiam si uelint, numeros assequi non possunt.

Facilius est enim apta dissoluere, quàm dissipata cõnectere. Res autem se sic habet: (ut breuissimè dicam quod sentio) compositè & aptè sine sententijs dicere, insania est: sententiose autem sine uerborum & ordine & modo, infantia: sed eiusmodi tamen infantia, ut ea qui utantur, non stulti homines haberi possint, etiam plerunque prudentes. quo qui est contentus, utatur.

Nemini sanè dubium est, quin longè facilius sit ea quæ bene collocata sunt dissoluere, quàm quæ sunt dissipata, connectere. Sicuti facilius est destruere, quàm construere. Ergo qui dissipata connectit, is etiam cum uoluerit, ea dissoluere poterit: ut architectus, postquam domum substruxerit, eandem potest etiam destruere. at contrà, qui dissoluit ea quæ apta sunt, non ita facile postea connectere ea poterit. Cuiuslibet enim hominis est, substructionem egregiam demoliri: nullius autem nisi architecti, bene ædificare. His ita disputatis, ad extremum explicat sententiam suam Cicero: docetque eos insanos dici posse, qui relictis rebus & sententijs, numerose tantum atque aptè student dicere. Nam tota penè uis orationis in sententiarum & rerum pondere sita est. Qui autem egregias & graues sententias quærunt, & eas sine uerborum & ordine & modo proferunt, infantes posse meritò nominari. quorum

tamen infantia talis erit, ut ſtulticiæ nomine careat, & prudentiam aliquando etiam præ ſe ferat. Sic enim Thucydides, grauiſsimus auctor, ſcripſit. Quòd ſi quis hac re contentus eſt, ut ſententioſe dicat, utatur arbitrio ſuo: modò intelligat, ſe inter eloquentes numerari nullo modo poſſe.

Eloquens uerò, qui non approbationes ſolum, ſed admirationes, clamores, plauſus, ſi liceat, mouere debet, omnibus oportet ita rebus excellat, ut ei turpe ſit quicquam aut ſpectari, aut audiri libentius.

Eloquens utrunque coniungere debet, ut & grauiſsimas atque optimas ſententias habeat, & lectiſsima uerba: quæ in dicendo tam bene collocet, ut non tantum approbetur & laudetur ab ijs qui audiunt, ſed eos etiam in tantã admirationem trahat, ut clament, plaudant, aſſenſionem præbeant. Denique in omnibus rebus tantopere debet excellere, nihil ut omnino ſit, quod libẽtius homines aut ſpectent, aut audiant. Hoc ſanè Demoſtheni atque Aeſchini accidit, quo tempore hic contra, ille pro Cteſiphonte dicturus erat. nam ad id iudicium cõcurſus dicitur è tota Græcia factus eſſe. Quid enim, inquit Cicero, aut tam uiſendum, aut audiendum fuit, quàm ſummorũ oratorum, in grauiſsima cauſa, accurata, & inimicitijs incenſa oratio?

Habes meũ de oratore, Brute, iudiciũ: quod aut ſequere, ſi probaueris: aut tuo ſtabis, ſi aliud quoddam eſt tuum. in quo neque pugnabo tecum: neque hoc meum, de quo tantopere hoc libro aſſeueraui, unquam affirmabo eſſe uerius, quàm tuum. Poteſt enim non ſolum aliud mihi, ac tibi, ſed mihi ipſi aliud aliàs uideri.

Hæc eſt totius operis concluſio, qua ſuum iudicium de oratore, Bruti iudicio ſubijcit. Quoniam diuerſæ ſunt hominũ ſententiæ, & quod ait Perſius:

Velle ſuum cuique eſt, nec uoto uiuitur uno.

Poteſt igitur fieri, ut aliorum iudicium probemus: poteſt etiam fieri, ut diſſentiamus. Hoc eſt quod ait Cicerò: Iam intellexiſti Brute, quod nam ſit meũ de oratore iudiciũ. quod ſi tibi placuerit, illud ſequi poteris: ſi minus, in tuo perſeuerabis, ſi tuum à meo diuerſum eſt. neque enim tecum unquã contendam, & quãuis in hoc libro multa de perfecto oratore dixerim, nõ tamẽ ideo dicã, me uerius de eo iudicaſſe, quàm tu iudicaturus ſis: quoniã frequenter accidit, ut non tantum ab alijs diſſentiamus, ſed quodammodo etiam à nobis ipſis: ut quod aliquãdo probauerimus, idem alias improbemus. Habes meũ.) Hoc modo Cicero frequenter claudit libros ſuos, ut tertio de Officijs: Habes à patre munus M. fili. in Lælio: Hæc habui de Amicitia quæ dicerem. in Catone Maiore: Hæc habui de ſenectute quæ dicerem, ad quam utinam perueniatis.

Nec in hac modò re quæ ad uulgi aſſenſum ſpectet, et ad auriũ uoluptatem, quæ duo ſunt ad iudicandũ leuiſsima: ſed ne in maximis quidem rebus quicquam adhuc inueni firmius, quod tenerem, aut quò iudiciũ meum dirigerem, quàm illud, quodcunque mihi quàm ſimillimum ueri uideret, cum ipſum illud uerum in occulto lateret.

Cicero in rebus philoſophicis Academicos præcipuè ſecutus eſt, quorum Plato princeps fuit. Hi enim philoſophi dicebant, nihil omnino uerè præcipi poſſe: multa tamen eſſe ueriſimilia, quæ noſtrum animum probabilitate percutiant. Contra quorum opinionem accuratè Lucullus apud Ciceronem diſputat: ſed longe accuratius ipſe Cicero Lucullo reſpondet, & Academicos defendit.

defendit. Hanc autem Academicorum sectam ab ineunte adolescentia secutus est Cicero, quod ex Procemio secundi libri de Inuentione facile potest intelligi, quos libros adolescentulus scripsit. sic enim ait: Quare nos quidem sine ulla affirmatione simul quærentes, dubitanter unumquodque dicemus, ne dum paruulum hoc consequimur, ut satis commodè hæc perscripsisse uideamur: illud amittamus, quod maximum est, ut ne cui rei temerè atque arroganter assenserimus. Hoc igitur est quod ait hoc loco, nihil se habere certi quòd affirmet, non modò in hac re quæ tota popularis est, & ad uulgi sensum accommodanda, & quæ nihil aliud quàm aurium uoluptatem sequatur, quæ res ad iudicandum uidentur esse leuissimæ: sed etiam in rebus maximis, quæ in Philosophia tractantur. Itaque concludit, eò dirigendum esse iudicium, quò nos ueri similitudo traxerit. quoniam ueritas in occulto latet, atque in profundo mersa est: ut aiebat Democritus. Hæc autem eò spectant, ut ostendat, suũ iudicium de perfecto oratore falsum esse posse.

Tu autem uelim, si tibi ea quæ disputata sunt, minus probabuntur, ut aut maius opus institutum putes quàm effici potuerit: aut dum tibi roganti uoluerim obsequi, uerecundia negandi, scribendi me impudentiam suscepisse.

Eandem in extrema libri parte Bruto difficultatẽ obijcit, quam initio proposuerat. quasi diuinaret, fore ut hoc opus Bruto nõ planè satisfaceret. ait autem, maius opus institutum fuisse, quàm effici posßit: quoniam aggressus est id ostendere, & cogitationi subijcere, quod nunquam fuit; neque fortasse futurum est. Sed tamẽ dum obsequi Bruto roganti uoluerit, ab uno uitio in aliud contrarium uitium incidisse. nam uerecundia per se uirtus non est (ut sentit Aristoteles) sed tamen quodãmodo custos est uirtutum omnium, ut in Partitionibus ait Cicero. uerùm sæpe fit, ut uitiosa sit uerecundia, quod iusto uolumine Plutarchus ostendit. Si quando autem uitio datur uerecundia, tunc profectò id accidit, cum ea negare non audemus amicis rogantibus, quæ nequaquam eis præstare possumus. nam tunc propter uerecundiam, in impudentiam incidimus.

FINIS.

ERRATA QVAEDAM, OPERARVM INCVRIA inter excudendum commiſſa, ſic emendabis.

*Pag. 19. uerſ. 44. Academiæ ſpacia 25. 8. perfectè eloquentē 74. 17. prælusiones. & 22. ſolius orat. 90. 12. callidiſsima 138. 24. iam nullum. 145. 34. in perorando 168. 33. neque orator 197. 29. repertam 260 15. ubi in exemplari manuſcripto tres uoculæ neſcio quo pacto ita obliteratæ erant, ut nec legi à typographis poſſent, nec ab autore abſente reſtitui. Itaq; * ponere eo loco, Lectoris admonendi gratia, uiſum eſt fore tutiſsimum. Quod ſi qua etiam alia fortè occurrent, leuiora eſſe putamus ea, quàm ut lectorem, modò non prorſus indoctum ac rudem, offendere poſſe uideantur.*

Commentarijs præcipuè memorabilium Index: in quo litera a superiorem, b inferiorem paginæ cuiusq; partem significat.

A

Attico

D

Dema-

L

oratori

P

B pars

V

uerba

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA IOannis Oporini, Anno Salutis humanae M. D. LII. Mense Martio.

Item ma ... me produci ... seu da
Tribrachum u u - u (cui ...)
vel bacchi u - - vel spondeum ...
brachy u u u non recte dactilum ...
... quartus u u u - ... iteratus
- u - - u - tribrachy ... vel ... u u u
vel u u u - u Iambum et spondeum u - - - Choream
rum ex ... vel dactylo - u - u - vel - u - v u vel
Iambum et dactilum u - - v u ... molosso
u - - - spondeum et bacchio - - - u Bacchium
aut contrar ex bacchio ... u - - Creticum
et spondeum - u - - - dispondeum - -